FRANCISCI
Piccolominei Senensis.
IN LIBROS ARISTOTELIS De Cœlo
LVCIDISSIMA EXPOSITIO.
Multiplici Annotationum varietate amplificata.

Nunc recens in lucem edita,

Et Perillustri atque Excellentissimo

LAVRENTIO VSIMBARDO,
SERENISSIMI MAGNI DVCIS HETRVRIAE
PRIMO A SECRETIS DEDICATA.


CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS, MDCVII.

Apud Io. Antonium, & Iacobum de Franciscis.





PERILLVSTRI,

ATQVE EXCELLENTISSIMO LAVRENTIO VSIMBARDO, SERENISSIMI MAGNI HETRVRIÆ DVCIS PRIMO LOCO A SECRETIS DOMINO SVO COLENDISSIMO,

Alexander Piccolomineus Auctoris Filius Bene agere.



VI, & communi hominum conſenſu ob ſingulare meritum alijs præſtare iudicantur, & ſummorum, ſapientiſſimorumque Principum præcipuo teſtimonio tales toti manifeſtantur orbi: eos certis quibuſque argumentis, debitiſque ſignificationibus generoſißimus quiſque, non honore proſequi ſolum, verumetiam (ſi ita loqui fas eſt) penè dixerim adorare tenetur. Hos inter tu (PRAECLARISSIME LAVRENTI,) vel præcipuè numerandus; eiuſcemodi videlicet in te dotibus, atque virtutibus confluentibus, vt iure optimo Sereniſsimus noſter Dynaſta, te, & vt probatiſſimum, cui ſecretorum arcana, & vt prudentiſsimum, cui altitudinem crederet conſiliorum delegerit: & vt talem denique virum, cuius virtutis inconcuſſæ ceruici, æthereum illud ſui regiminis onus audacter fulciendum daret. Quapropter ſubiectorum vnuſquiſque, præſertimque Senenſes, virtutem hanc ex ſpecula quadam excelſa, opem bonis omnibus oſtentantem experti atque admirati, de tuo aucupando fauore quaſi inter ſe dimicantes, ſinguli vario pacto tibi gratificari, teque ipſum egregijs quibus poſſunt exemplis laudare, omnique ex parte exornare conantur; quamuis hæc tua ſit vnica laus, laudari aut nolle, aut non poſſe. Quo quidem & ipſe ardentiſsimo flagrans deſiderio, cum nullum in cenſu meo munus adinuenirem dignum tuorum magnitudine meritorum, dignum pariter deſiderio meo, non deſtiti tamen, & de meo ſi nequeam, de paterno penu obtrudam. Etenim inter eius literarum monumenta perſcrutanti mihi, num aliquid reperiretur, quod huic reſponderet voto, ecce lætabundo in libros Ariſtotelis de Cælo, ſe ſe obtulit Commentatio. Quod quidem non inſuaue tibi donum affore credidi, cumquæ ipſe

in mortalibus agens Principibus viris dicauerat, omni semper illi fuerint (liceat ita fari) reuerentia mirati, ac venerati. Quæ sanè Commentatio, tum ob ipsius argumenti excellentiam, tum ob Auctoris nomen tibi viuentis vel maximè deuincti, tum etiam quia in postrema ætatis suæ periodo exactiore diligentia, atque iudicio perfectiore exarata & recognita; non indigna mihi visa est, quæ in lucem daretur sub luce ac tutela nominis tui. Quæ profectò, vel hoc ipso Cœli nomine tibi congruet; cum tu illius instar geminatorum serenissimorumque luminum excelsa, ac propè cœlestia dona non impertiaris solum, sed etiam ea magis ac magis, gratia, prudentiaque tua benigniora, indiesque salubriora reddas. Iam verò tuæ benignitatis atque generositatis erit, munus, munereque ampliorem animum, quorum vtrumque tibi consecro, serena excipere fronte, illud vt perpetuæ reuerentiæ monumentum, me seruitutis. Diu fœlix viue, & vale. Senis. Kal. Iulij M. DC. VII.

COPIA.

GLI Eccellentissimi Signori Capi dell'Illustrissimo Consilio di X. Infrascritti hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoua, per relation delli dui à questo deputati, cioè del Reuerendo Padre Inquisitor, & del Circ. & fedelissimo Secretario del Senato Gio. Marauegia con giuramento. *Che nel Libro intitolato Francisci Piccolominei Senensis Priorum de Cælo librorum expositio.* Non si troua cosa contra le leggi, & sono degno di Stampa, concedono licentia, che possino esser Stampato in questa Città.

Dat. die 17. Maij 1607.

D. Z. Battista Vitturi
D. Marco Triuisan. } Capi dell'Illustris. Conf. di X.
D. Vicenzo Dandolo

Illustrissimi Consilij X. Sec.
Barth. Cominus.

1607. a' 18. Maggio Registrato in lib. à carte 170.

Ant. Lauren. Officij Cont. Blasph.



FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS.

PRIORVM DE COELO Librorum perſpicua expoſitio.

MVLTIPLICI ANNOTATIONVM Varietate illuſtrata, & amplificata.



BONVM adeo eſt formoſum, vt diligatur ab omnibus, adeo optabile, vt ab omnibus expetatur, adeo fœcundum, vt cuncta procreet, & demum adeo rerum omnium gradibus congruit, vt cunctos perficiat, & abſoluat; hinc Ariſtotilis ſententia prodijt, quod omnis Ars, omnis Actio, omniſque Electio bonum quærit. Eſt autem bonum non forma ſimplex, ſed triformis, nimirum vtilis, honeſta, & iucunda, id quod abſolute eſt bonũ cũctas tanquã cœleſtis tricolor Iris, includit, & id quod nõ includit omnes, non abſolute, ſed ſolum in parte bonum iudicari meretur.

Boni cõmendatio.

Bonum triplex.

Conſideratio Cœli reuera & abſolute bona eſt, propterea in ea iucundum, vtile, & honeſtum fœliciſſime conſpirant; eſt iucunda, quia peregrino nil iucundius quam de ſua optata patria loqui, homo autem in terris eſt peregrinus, & eius patria eſt Cœlum; eſt vtilis, quia nos excitat & dirigit ad reditum in eam; eſt honeſta, quia ſcientia omnis eſt ex genere honeſtorum, & eo magis quo eſt de re præſtantiore, quale eſt Cœlum. Et quoniam ſublimia & præclara etiam ſunt ardua, & ad ea non niſi parati accedere valemus, propterea cum intentio mea ſit explicare libros Ariſtotilis de Cœlo, præcurrentis diſpoſitionis loco de quattuor agam, nimirum de ſubiecto, inſcriptione, ordine, & vtilitate. Ordiens a ſubiecto quod ab expoſitore & auditore prænoſci debet, cum ſit tanquam ſcopus in quem omnis conſideratio dirigitur, cum in his libris agatur de Mundo toto, de Cœlo, principaliore eius parte, & de ſimplicibus corporibus, quæritur num hæc omnia, vel vnum, vel plura eorum ſtatui debeat ſubiectum; qua de re agens, referam primo opiniones varias, eligam ſecundo potiorem, tertio conſiderabo num queant conciliari, demum dubia potiora diluam; opiniones ſunt variæ, quæ in quinque capita rediguntur.

Conſideratio Cęli qualis.

Quatuor prę noſcenda.

De ſubiecto.

Quinque opinionum capita.

Prima opinio. Prima est opinio Syriani apud Academicos cognomine Magni, & Iamblichi apud eosdem cognomine Diuini, qui de hoc contendunt quod subiectum secũdum se, & solum sui ratione consideratum, sit pars Mundi ætherea, nomine Cęli denotata, Elementa autem sub Cœlo posita aiunt non secundum se considerari, sed in gratiam Cœli, vel quatenus continentur, permutantur, & seruantur a Cœlo, eique pro rerum ortu inseruiunt, vt dixit Iamblichus, vel vt per mutuã comparationem & negationem Cœlum clarius fulgeat, nam de re difficili, facilius est cognoscere quid non sit, quam quid sit, ita ostendetur Cœlum non esse vnum ex quattuor Elementis, neque mixtum ex eis, similiter non mutari motu recto, non variari, non alterari, non esse præditum contrario, vt quattuor vocata Elementa.

Fundamentum. Fundamentum huius opinionis est, quia declaratis communibus omni corpori Physico, quod fit in libris Physicorum, cum sit singulatim descendendum ad contenta sub eis, primo de primis est agendum, vt dicitur sub initio libri de sensu & sensili, primum autem inter Physica corpora Cœlum est, hinc de Cœlo inscribitur, inscriptio autem petitur a subiecto.

Confirmatio. Confirmatur, quia quattuor vocata Elementa, nõ debent includi in subiecto, quia post libros de Cœlo sequitur consideratio generationis & interitus, quæ sunt communia mortalibus, & sermo de Elementis, hinc in 2. de Anima cont. 117. & in libro de sensu & sensili libri de ortu & interitu nuncupantur de Elementis.

Euersio. Hanc opinionem minime approbandam puto, pugnare enim videtur & cum Aristotile, & cum ratione, & cum authoribus eius, cum Aristotile primo, quia in duobus postremis libris de Cœlo, latissime de quattuor Elementis verba facit, & non est rationi consonum quod in duobus integris libris de re agatur solum ex accidenti considerata, cum de talibus solum obiter, & breuibus debeat esse sermo. *Confirmatio.* Confirmatur: quia res ita consideratur, vt consideranda proponitur, vt in procemio tertij de Cęlo non proponuntur consideranda Elementa in gratiam Cœli, sed ob eandem rationem, ob quam in primo libro proponitur agendum de Cœlo, nimirum quia scientia de natura versatur circa corpora, & codẽ loco ait Aristotiles de primo Elemento, hoc est de Cœlo dictum est, reliquum modo est reliqua considerare, adeo vt indicet eadem ratione considerari, non autem ex accidenti, nam quæ considerantur ex accidenti non proponuntur in procemijs in ordine principalium consideranda, nec colliguntur epilogo. Insuper ea opinio aduersatur rationi: quia quattuor simplicia corpora, grauia, & leuia, sunt Elementa Mundi, ideo vt talia alicubi considerari secundum se debent, at id non fit alibi, sed solum in duobus postremis libris declaratur quomodo suo ordine Mundum constituant, quare in eis secundum se considerantur.

Contra Syrianum. Euertitur sententia relata Syriani, quia ea per quorum negationem alia declarantur, prius non vltimo loco sunt explicanda.

Contra Iamblichum. Euertitur ea Iamblichi, quia in his libris non consideratur Cœlum vt principale principium ortus & interitus, sed potius id fit in 2. libro de ortu & interitu. Quare longe minus considerari possunt Elementa vt instrumenta eius pro hoc fungendo munere. Fundamenta esse inania & leuia patebit ex dicẽdis.

Opinio secunda Simplicij. Propterea est secunda opinio Simplicij dicentis in his libris agi de simplicibus corporibus suo ordine Mundum cõstituentibus, adeo vt corpus Physicum simplex subiectum sit, quorum primum est Cœlum, ideo de eo primo agitur, & ab eo vt a parte principali sumitur inscriptio.

Confirmatur hæc opinio primo per attinentia ad ordinem. Nã primo consideranda occurrunt communia, & prima principia Physica, ex quorum notitia refulget corpus Physicum vniuerse sumptum; eis succedere debet consideratio primorum compositorum ex eis, huiusmodi autem sunt prima, & simplicia cor

Insuper diuiditur corpus Physicum vniuerse primo declaratum, in sim-

...m agendum de simplici.

...primo competunt affectiones quæ

osten-

ostenduntur, at esse vnum, ingenitum, immortale, rotundum, quæ sunt affectiones ostendendæ, primo comperunt Cœlo corpori simplici, non Mundo nisi per Cœlum. Confirmatur: quia corpus Physicum simplex debet alicubi considerari, & nō alibi de eo agitur nisi in his libris. Hinc Aristot. in primo Meteorum epilogo declarata colligens ait, non de Mundo, sed de cunctis simplicibus corporipus se egisse, & Auer. in primo com. tertij libri de Cęlo ait, intentio est loqui de partibus Mundi simplicibus, & nonnullis interpositis addit, quod consideratio de Elementis, vt sunt simplicia corpora, pertinet ad hunc librum.

Euersio. At hæc quoque opinio dubia est, primo, quia Aristot. librum inscripsit de Cęlo, & Cont. 97. ait se de Cœlo agere, vt denotat Mundum totum; in qua significatione Plato in Timeo vtitur nomine Cœli; confirmatur, quia Arist. in principio secundi de Cœlo colligit se declarasse Cœlum totum, addit totum, vt denotaret Mundum.

Præterea in Cont. 5. huius primi libri, proponit agendum de vniuersi natura, & in procemio, vt nos hortaretur ad hanc considerationem, patefacit perfectionem vniuersi, quod inaniter fecisset, nisi subiectum esset vniuersum. Insuper cū sermo sit de vniuerso, & de simplicibus id componentibus, vel vniuersum consideratur in gratiam simplicium, vel contra, non primum: quia compositum nō consideratur in gratiam componentium, sed contra, quare vniuersum compositum, non simplicia componentia statui debet subiectum. *Soluuntur rationes.* Fundamenta eius opinionis facile euertuntur, & reflectuntur, primum sumebatur ex inscriptione, quod reflectitur: quia Arist. in Cont. 97. se declarans, ait nomine Cœli se denotare Mundum totum. Alterum fundamentum sumebatur ex ordine, quia declarationi primorum principiorum succedit consideratio simplicium primo ex eis compositorum. Reflectitur ratio: quia consideratio primorum principiorum in libris Physicorum erat consideratio corporis Physici vniuersè sumpti, cui recto ordine succedit consideratio totius corporis Physici, qualis est Mundus, mox ea partium; his accedit, quod Cęlum ex eis primis principijs non componitur, cum sit omnino simplex, nec Elementa considerantur vt composita ex eis, cum potius id fiat in 2. libro de ortu & interitu, sed præsertim cōsiderantur vt Mundum constituunt; addebatur, quod cum corpus Physicum diuidatur in simplex & mixtum, primo debuit corpus simplex considerari.

Respondeo, declaratis communibus, primo totum vniuersum occurrit considerandum, & simplicia Elementa in libro de ortu & interitu considerantur, & ille ab Arist. nuncupatur liber de Elementis, vt patet ex 2. de Anima 117. & ex libro de sensu & sensili mixta autem in alijs sequentibus libris declarantur, & primo imperfecta, mox perfecta. Dicebatur id debere statui subiectum cui affectiones ostendendę primo competunt; Reflecto rationem assumendo pro minore, eas vt subiecto adæquato primo competere Mundo, Cœlo autem primo competunt vt principali principio, & si hæc ratio vim aliquam includeret, solum fauet opinioni Iamblichi & Syriani, quod Cœlum sit subiectum.

Insuper addebatur, simplicia corpora proponi declaranda, & colligi declarata vt simplicia corpora Physica, non vt principia Mundum constituentia. Reflectitur ratio per Aristotilem in principio 12. Metaphysicæ dicentem, id esse subiectum, cuius principia quæruntur, Elementa autem sunt principia Mundi. & in quinto Cont. huius primi libri proponitur consideranda natura vniuersi, nū finita, vel infinita sit, quod patebit ex declaratione simplicium corporum. Demum dicebatur, quod nisi id fieret in his libris, Elementa vt simplicia corpora nullibi considerarentur.

Elementa quattuor modis posse considerari. Respondeo, ea quattuor modis considerari posse, primo vniuersè, vt corpora Physica ex communibus principijs conflata, ac ita patent ex libris Physicorum. Secundo vt ita constituta vniuersum orbem cōstituunt, quod fit in his libris. Tertio vt ex proprijs principijs conflantur. Et quarto, vt ex eis conflata conspirant ad mixtorum constitutionem, qua duplici postrema consideratione explicantur in libris de ortu & interitu, adeo vt nil pro eorum exacta explicatio-

ne desideretur. Demum addebatur authoritas Aristotelis & Auerrois. De Auerroe dico quod si secus sentit mihi non est curæ, & præsertim quia in principio Paraphrasis de Cęlo ait, institutum Philosophi esse agere de Mundo, & simplicibus corporibus, ardum agitur de composito & componentibus, non componentia sed compositum est subiectum, quod Arist. putauerit Mūdum esse subiectum ex dicendis patebit.

Opinio tertia. Tertia opinio est satis communis multorum Latinorum dicentium, vel corpus, vel ens mobile ad vbi, esse subiectum, cum enim corpus vel ens mobile statuant subiectum vniuersæ scientiæ Physicæ, idque vniuerse consideretur in libris Physicorū, in his proxime sequentibus id mobile debuit considerari, quod primum est, huiusmodi autem est mobile ad locum, denotatum ab eis per mobile ad vbi.

Euersio. Hæc opinio est verior præcedente, quia corpora Physica & mobilia motu loci potius constituunt suo ordine vniuersum, quam vt simplicia. Absolute tamen approbanda non est primo, quia nec corpus, nec ens mobile, iudicari debet subiectum vniuersæ scientiæ Physicæ, vt suo loco patefeci.

Secundo quia in primo libro de Cœlo, consideratur Cœli ratio non gratia sui, sed ob aliud, nimirum vt pateat natura & conditio cęlestis corporis.

Tertio quia in his libris considerantur simplicia corpora nedum vt mobilia motu ad locum, sed etiam vt immunia ab ortu & interitu, vel ei obnoxia, sic de Cœlo ostenditur, quod sit ingenitum, æternum, sphęricum, nil extra derelinquens, finitum, & alia similia.

Quarto quia ad locum etiam mouentur Animalia.

Quinto quia non semper prius est sermo de motu ad locum, nam Aristot. in primo Physicorum, de principijs generationis loquitur, & in 8. libro de motu ad locum.

Opinio quarta. Quarta opinio fuit quorundam illustrium nostri temporis veluti celeberrimi M. Antonij Ianuæ Patauini, quem honoris gratia nomino, & quorundam aliorum, qui subiectum adæquatum vniuersæ scientiæ Physicæ putarunt esse corpus Physicum generabile, vt generabile. Alij dixerunt corpus Physicum mixtum cuius communia & prima principia quæ sunt Materia prima, & primum efficiens, declarantur in octo libris Physicorum, proxima, vero quæ sunt quattuor Elementa, & Cœlum, in his libris de Cœlo, adeo vt libri Physicorum, & de Cęlo sint libri de principijs, vel communibus, vel proximis, & subiectum huius libri sint principia proxima corporea corporis generabilis.

Euersio. Hanc opinionem non puto approbandam, tum quia subiectum totius non puto esse corpus Physicum generabile, sed absolute corpus Physicum, vt suo loco patefeci, tum insuper quia si Cœlum consideraretur in his libris, vt proximum efficiens, male nuncuparetur Elementum, nam Elementi nomen de materia, non de efficiente dicitur, cum tamen ab Aristotile Elementum nuncupetur.

Præterea Mundus & simplicia corpora, cum sint corpora Physica, principijs, & affectionibus prædita secundum se, & tanquam subiecta in aliqua parte Naturalis scientiæ considerari debent, non autem solum in gratiam partis vilioris, & mortalis.

Opinio quinta. Quinta opinio cęteris præferenda est Alexandri, ex relatione Simplicij hic in loco, quę etiam fuit opinio Philoponi, vt ex eo elicitur in Proœmio Meteorum, necnon Themistij hoc in loco, & Theophrasti, cuius authoritate (referente Simplicio) vtebatur Alexander. Hi putarunt subiectum librorum de Cœlo esse Mundum totum tanquam corpus Physicum consurgens ex ordine simplicium corporum, & iure optimo profecto, nam id est subiectum quod definitur, cuius declarantur principia, & affectiones, & ad quod referuntur omnia quę considerantur, huiusmodi est Mundus cuius proxima principia sunt corpora simplicia, de quo ostenditur quod sit vnus, finitus, sphæricus, æternus, omni ex parte perfectus, nil extra derelinquens, adeo vt nil prętermittatur, quod ad exactam eius cognitionem pertineat. Insuper id ipsum elicitur ex ordine, nam cōmunem

Approbatio.

munium indefinitè sumptorum considerationem sequitur consideratio magis propria quæ est vniuersi, ex declaratione communium principiorum inclusa in Libris Physicorum refulget compositio prima confusa ex eis: modo vero declaratur compositio secunda distinctior ex simplicibus corporibus totius vniuersi, mox autem agendum erit de parte mortali, nam partis æternæ declaratio absoluitur in his libris de Cœlo, sic primo agitur de æternis mox de mortalibus, & hoc lucidissimè indicauit Arist. qui in Proœmio agit de perfectione vniuersi, vt nos hortetur ad eius considerationem, & in Cont.5. proponit agendum de vniuersi Natura, num finita, vel infinita sit. Et libros inscripsit de Cœlo, & declarans quid nomine Cœli denotet in Cont.80.97.& 107. ait se Mundum denotare quem definit.

Præterea in 3. de Cœlo Cont.1. Cœlum nuncupat Elementum primum, Elementum autem est materia, & refertur ad id cuius est Elementum, vt principiũ eius; similiter simplicia corpora, & Cœlum sæpè nuncupat partes, pars autem ad totum refertur. Sic itaque vniuersum vt consurgens ex ordine simplicium corporum debet statui subiectum, cuius forma est ordo simplicium corporum, vt suo loco patebit.

Relata varietate opinionum, & approbata veriore, sequitur vt pro tertia parte consideremus num opiniones illæ variæ conciliari possint. Nonnulli aiunt id posse fieri; & à varijs duo modi referuntur: nonnulli aiunt id posse fieri per distinctionem subiecti, vsurpatur enim subiecti nomen vel pro genere communi, vel pro adæquato, vel pro parte principali, corpus simplex vel ens mobile ad vbi, aiunt esse subiectum commune, Mundum ex ordine simplicium constitutum, subiectum adæquatum, Cœlum subiectum principale, at hoc genus concilij est negligendum, quia illi qui varia accipiunt pro subiecto, omnes id quod accipiunt iudicant esse subiectum adæquatum de quo loquuntur, & de quo est dubitatio. *Agitur de concilio.* *Modus primus.* *Subiectum.* *Euersio.*

Propterea alij opinionem Simplicij statuentis pro subiecto corpus Physicum simplex, & opinionem Alexandri approbatam conciliare nituntur, dicentes quod Mundus & simplicia corpora in idem veniunt quatenus Mundus nil est præter simplicia corpora illum constituentia, non enim adest forma alia præter subordinata corpora, vt in Animali præter membra reperitur Anima ea nectens, & compositum constituens, Plato excogitauit Animam Mundi non Aristoteles. *Modus alter.*

Hęc opinio approbanda non est: quia dum variatur modus considerandi, etiã variatur subiectum; at consideratio Mundi, vt totum & vniuersum, & consideratio simplicium vt sunt corpora Physica, est modus considerationis apprimè varius. Confirmatur: quia multa sunt vera vna consideratione quæ non sunt vera alia, veluti quod vniuersum sit vnum, sphæricum, absolute perfectum, & similia. *Euersio.*

Præterea dum hi vtuntur hoc concilio & per id cupiunt tueri Simplicium simul illum damnant & ostendunt quod ignarus fuerit suæ opinionis, nam Simplicius profert opinionem suam vt variam & distinctam ab ea Alexandri, eamque Alexandri vt distinctam reijcit.

Colligamus itaque opiniones esse varias, nec absolute posse conciliari, sed solum dicere valemus, quod in cunctis veri aliquid includitur, veluti quod sermo sit de Cœlo, vt de parte principali, de simplicibus corporibus, vt de principijs proximè vniuersum constituentibus, at re vera & propriè subiectum est vniuersum vt proximè consurgens ex ordine simplicium corporum. *Conclusio.*

In quarta & postrema parte, vt veritas clarior refulgeat diluenda occurrunt varia dubia. *Pars quarta.*

Nam primo iure aliquis dubitabit quomodo Mundus statui possit subiectum adæquatum horum librorum, cum sit commune subiectum vniuersæ Naturalis scientiæ? Mundus enim est corpus Physicum quod exactè, non in parte, sed in vniuersa scientia de Natura declaratur. *Dubitatio prima.*

Solutio. Respondeo omnem scientiam esse de Mundo, & attinentibus ad eum, sed distincta ratione, & consideratione Mathematicus Mundum considerat vt quantum, Metaphysicus vt ens, Physicus vt est corpus Physicum, & id facit tribus modis, vel per compendium, vt fit in libro de Mundo ad Alexandrum, vel diffuse, & pro omni eius gradu, & compositione, & hoc fit in vniuersa scientia Physica, vel tertio secundum eius ex corporibus simplicibus compositionem, ac ita, vt vniuersum corpus Physicum consurgens ex ordine simplicium corporum est subiectum adæquatum horum librorum.

Secunda dubitatio. Dubitatur secundo, quia legitur in libro de Mundo ad Alexandrum nefas esse loqui de Mundo, & non loqui de Deo, vt in his libris non est sermo de Deo, quare vel subiectum non est Mundus, vel Aristoteles facinus patrat; confirmatur, quia subiectum in scientia debet definiri: in his autem libris Mundus non definitur veluti in libro de Mundo ad Alexandrum, in quo dicitur, quod sit rerum ordinata compages, a Deo, & per Deum seruata.

Solutio. Soluitur dubitatio: nam vera est sententia debere Deum considerari in absoluta Mundi declaratione, & in ea parte ad quam pertinet Dei consideratio: at non in contracta, qualis est explicatio Mundi in his libris, quæ contrahitur per id quatenus consurgit ex ordine simplicium corporum; sic Deus, vt ad Physicum pertinet declaratur in 8. Physicorum, absolute autem consideratur, & explicatur in 12. Metaphysicæ.

Definitio Mundi. De Mundi definitione, reflecto primo rationem, quia nec etiam definitur corpus simplex. Dico secundo non esse necesse tradi semper secundum propriã formam definitionem subiecti, sed esse satis, vt per declarata refulgeat, & ex eis eliciatur. Addo tertio Mundum ab Aristotile definiri, vt patebit ex contex. 97. & erit totum extrema circumlatione terminatum conflatum ex omni Physico corpore, non definitur per Deum, vt in libro de Mundo quia non consideratur vt ex Deo pendet, sed vt constat ex ordine grauium, leuium, & neutrorum corporum per quæ difinitur.

Tertia dubitatio. Tertio dubitatur, quia congregatum ex pluribus ex accidẽti non constituit secundum se subiectum vnum: Mundus est huiusmodi, nam est congregatio simplicium corporum ex accidenti, quatenus Aristoteles non concedit Animam Mundi secundum se ea connectentem, ac ita comprobatur sententia dicentium considerationem simplicium corporum non distingui a consideratione Mundi ex eis constituti cum Mundus nil sit nisi ordo simplicium corporum.

Solutio. Soluitur dubitatio negando Mundum esse vnum ex accidenti: nam quamuis non ei competat anima, tamen vnus est per Naturam simplicium corporum ita se habentium, vt continens sit tanquam forma contenti: hinc Aristoteles in 4. de Cęlo ait tendere ad locum esse tendere ad formam, quæ Natura simplicium corporum dicitur virtus Dei effusa per vniuersum, prodiens ex Deo maxime vno, & in Deum, vt in finem vnum conspirans, adeo, vt dicere valeamus inter corpora composita Mundum esse maximè vnum, maximeque iunctum, cum & virtute Dei, & sui Natura, & conditione sit vnus, & iunctus.

Instantia. At vrgebit adhuc aliquis, compositum est vnum per formam, forma Mundi est ordo, hic est accidens, quare Mundus est vnus per accidens.

Solutio. Respondeo ordinem illum non esse accidens, sed Naturam propriam ordinatorum, ac ita per essentiam propriam ab vno, & in vnum directam iuncta sunt: hic ordo dicitur natura rerum, & aliud est loqui de simplicibus Physicis corporibus, aliud de Mundo ex eorum ordine consurgente, cuius eminentissima forma ad hunc locum non attinens est Deus, altera est Cœlum; tertia est figura; quarta maximè propria est essentialis ordo.

Quarta dubitatio. Dubitatur quarto, quia dicebat Simplicius, quod Aristoteles in procemio tertij de Cœlo proponebat agendum non de Mundo, sed de reliquis simplicib. corporibus; similiter in procemio primi Meteorum colligit se egisse non de Mundo sed de simplicibus corporibus.

Solutio. At solutio ex dictis est conspicua: si enim est sermo de simplicibus corporibus quæ

bus, quæ modo partes, modo elementa Mundi appellantur, sequitur, vt de Mundo sit sermo, vt elicitur ex consequutione formata in principio 12. Metaphysicæ. & hæc de subiecto satis.

Explicationi subiecti recto ordine succedit explicatio inscriptionis, quam Aristotiles ex subiecto sumere consueuit. *De libri inscriptione.*

Apud Arabes, quos multi sequuntur Latinorum inscribuntur hi libri de Cœlo, & Mundo, quam inscriptionem dupliciter exponunt: nonnulli aiunt debere intelligi per modum expositionis, adeo, vt dicamus de Cœlo, hoc est de Mundo; alij aiunt nomine Cęli denotari partem Mundi æthercam, nomine Mundi, Elementarem. *Opinio prima.*

Hanc sententiam approbandam non puto: primo, quia non consueuit Aristotiles inscriptionem sumere ex duobus, ne consideratio videretur non vna. Præterea si inscriptio sumatur per modum expositionis hoc inscriptioni non conuenit, quæ absoluta, & breuis esse debet, non cum expositione iuncta: insuper si nomine Mundi denotetur pars mortalis contradistincta ab ætherea hoc aduersatur consuetudini Aristotelis, qui non in hac significatione consueuit nomine Mundi vti. Demum nemo ex Gręcis talis inscriptionis mentionem facit, sed omnes absolute dicunt libros inscribi de Cœlo, nulla facta Mundi mentione, vt etiam legitur in Græcis Codicibus. *Euersio.*

Propterea dicamus libros absolute fuisse ab Aristotile inscriptos de Cœlo, & per errorem fuisse additum de Mundo: At cum consentiant Græci libros inscribi de Cœlo dissentiunt tamen in assignanda ratione inscriptionis; Syrianus, & Iamblichus aiunt fuisse deprompram inscriptionem à parte ætherea quam putarunt subiectum adæquatum; Simplicius negauit esse subiectum adæquatum, sed partem eius principalem à qua tanquam præstantiore depromptum sit nomen totius; H. errant primo, quia non rectè sentiunt de subiecto adæquato, vt apparuit. Secundo, quia minus rectè nomine Cœli putant denotari solam partem æthercam, cum Aristotiles semetipsum secus exponat, propterea cum Alexandro, Phylopono Themistio, & Theophrasto dicamus libros absolute inscri bi de Cęlo, & nomine Cęli denotari Mundum totum ex ordine simplicium consurgentem, ita enim se declarat Aristotiles in progressu primi libri contex. 97. & alibi, nam id denotat de quo ostendit affectiones, at cum de Cœlo ostendat esse vnum, finitum, constans ex vniuersa materia, explicans quid nomine Cęli intelligat, ita se denotate Mundum totum, ex omni graui, leui, & neutro corpore conflatum, & iure: nam inscriptio a proprio subiecto petenda est. Insuper dū Aristotiles nomine Cęli solam partem æthercam vult denotare, consueuit dicere de primo Cęlo, vt patet ex initio tertij libri: at iure optimo quæret aliquis si Aristotiles Mundum totum sua inscriptione denotare voluit, cur non est vsus nomine proprio inscribendo libros absolute de Mundo potius quam nomine æquiuoco, ambiguo, & plura denotante? *Opinio verior.*

Quattuor ego præsertim puto fuisse causas ob quas id fecit, quarum prima est, quia Plato in Timeo loquens de Mundi generatione, illum nomine Cęli appellauit, Aristotiles autem in hoc libro aduersus illum sibi differendum proposuit, propterea eadem voce vtendum censuit. *Ratio inscriptionis. Prima.*

Altera ratio est, quia Mundi nomen magis denotat vniuersum, cuncta includens, & cunctarum rerum speciebus insignitum: Cęlum vero magis ordinem simplicium corporum sumpta denominatione a primo simplicissimo, & duce cæterorum, vt consideratur in his libris. *Secunda.*

Tertia ratio est, quia magna ex parte de primo Cęlo agitur, & absoluitur vniuersa eius declaratio, cum solum Mundi sit Elementum, non autem absoluitur explicatio cęterorum, quia nedum Mundi sunt Elementa, sed etiam in vicem permutantur, & sunt Elementa mixtorum. *Tertia.*

Quarta ratio est, vt indicetur quod cum sermo sit de Mundo, vt constat ex ordine simplicium, præsertim est sermo de Mundo ex parte ætherea pendente, per quam ei variæ affectiones conueniunt. At instatur, quia in scientijs non est *Quarta. Instantia.*

vtendum

vtendum vocib. equiuocis & ambiguis quæ funt femina deceptionum; refpondeo non effe vtendum vocibus æquiuocis equiuoce, & fine explicatione, at vniuoce & cum explicatione id fieri poffe vt fit ab Arift. His accedit quod nomen Cœli potius eft ab vno,& ad vnum,quam equiuocum.

De ordine. Declarato fubiecto & infcriptione,fequitur vt tertio loco de ordine verba faciam,qui duplex eft,vnus totius libri,alter partium eius,ordiẽs ab eo q eft totius, *Ordo totius.* omnes confentiunt inter libros ad fcientiam de Natura attinentes libros de Cęlo fecundum fibi optare locum,& proximè fequi libros octo Phyficorum.

Ratio. Ratio tamen huius ordinis à varijs varia affignatur, & iure: cum enim ratio eliciatur præfertim ex fubiecto quod à varijs ftatuitur varium, ideo varia quoque ordinis ratio ab eis affertur.Illi qui putant mobile ad vbi,effe fubiectũ,rationẽ fumunt ex motu,cum enim in octo libris Phyficorum fit declaratum ens mobile abfolute, defcendendo ad fpecies, primo occurrit mobile ad vbi, mox mobile ad formam explicandum in libris de ortu & interitu: at hi Primo non recte fentiunt de fubiecto. *Euerfi.*

Secundo non rectè præcipuam rationem ordinis fumunt ex affectione, quæ pofterior eft,& fequitur ordinem principiorum & fubiecti.

Tertio per mobile non poffet affignari ratio cæterorum librorum,vt Meteorum,de Anima,& reliquorum,& demum non femper Ariftoteles prius loquitur de latione,quam de ortu,nam in primis libris Phyficorum eft fermo de generatione,in poftremis de latione.

Sententia Simplicij. Simplicius rationem ordinis elicit ex re confiderata: cum enim putet fubiectum,& rem confideratam effe fimplicia corpora,ait in libris Phyficorum declarata fuiffe principia prima,& communia,quibus proxime fuccedunt corpora fimplicia, quæ primo ex eis funt conftituta, & proxime Mundum conftituunt; infuper addunt alij, cum ex libris Phyficorum refulgeat corpus Phyficum vniuerfe fumptum, idque diuidatur in fimplex & mixtum,& fimplex antecedat mixtum, iure libros Phyficorum proxime fequuntur libri de Cęlo in quibus agitur de fimplicibus.

Euerfio. H. earenus falluntur, quatenus non recte putant corpus fimplex effe fubiectum. Prætereа,corpus fimplex in his libris non omni ex parte declaratur, fed perficitur eius declaratio in libris de ortu & interitu, nec ftatim fequetur declaratio mixti,fed potius fimplicium mortalium.

Opinio propria. Propterea dicamus,ordinem librorum de Phyfica aufcultratione,de Cęlo, & de ortu & interitu, patefactum fuiffe ab Ariftotile in proœmio primi Meteorum,quo loco colligens declarata in præcedentibus,Primo refert declarata in libris Phyficorum. Secundo in libris de Cęlo. Tertio in libris de ortu & interitu, Ratio ordinis elicitur ex fubiecto, ex principijs & ex affectionibus.

Primo ex fubiecto:nam corpus naturale vniuerfe fumptum, eft communiffimum,& dicitur cum de vniuerfo,tum de partibus:ei fuccedit vniuerfum,fequũtur partes,in libris Phyficorum explicatur corpus Phyficum vniuerfe fumptum ideo eos proxime fequuntur libri de Cęlo in quibus vniuerfum confideratur.

Secundo elicitur ratio ordinis ex principijs:nam materia,forma,finis, & efficiens declarata in libris Phyficorum in fcientia de Natura funt prima abfolute, fimplicia corpora quæ funt principia vniuerfi fecundum fibi optant locum.

Tertio elicitur ratio ex affectionibus, nam vt confiderauit Philofophus confueuit Phyficus Phyfica diuidere in mobilia æterna, & mortalia, vt patet ex fecundo Phyfic. & 12. Metaphyficæ, æterna autem antecedunt mortalia, & primo funt explicanda; fimiliter vnum antecedit multitudinẽ,Ariftotiles autem de Mundo oftendit quod fit æternus & vnus; Sic Elementa funt prius confideranda,vt fuo ordine vniuerfum conftituunt,mox vt in vniuerfo conftituto inuicem permutantur, & ad mixtionem confpirant.

Ordo partiũ. Declarato ordine totius libri de Cęlo, fequitur vt agamus de ordine partium eius. fecatur liber in tres præcipuas partes, in prima quæ abfoluitur in primo libro, fermo eft de Mundo toto,in fecunda, quæ attinet ad librum fecundũ, agitur de

tur de parte eius æthetea, in tertia includente libros duos postremos agitur de parte Elementari.

Ratio ordinis est conspicua, nam primo occurrit totum, vt natura primum, perfectum enim natura primum est, sequitur pars eius æterna quæ præest mortali. Pars prima extensa per vniuersum primum librum in quinque partes distribuitur. Pars prima est procemium, quod absoluitur in quinto Cont. in secunda vsque ad Cont. 33. sermo est de partibus Mundi, vt refulgeat Cœlum esse distinctæ naturæ à mortalibus, per quod multa competunt Mundo, & vt pateat ordo componentium Mundum qui est forma eius. *Ratio.* *Subdiuisio primæ partis.*

In tertia parte vsque ad Cont. 76. reijcitur ab vniuerso infinitum.

In quarta vsque ad Cont. 105. manifestatur Mundum esse vnum cuncta includentem, nil extra derelinquentē. In postrema vsque in finem libri, ostenditur esse ingenitum, & omni ex parte æternum; ac ita primo præsertim patebit quid Mundus sit per ordinem partium eius, mox qualis sit, nimirum finitus, vnus, & æternus.

Vt pateat ordo harum quinque partium primo aduersus illum est dubitandū.

Dubitatur primo, quia sententia est Platonis in Timeo, id quod de Mundo primo considerandum occurrit esse, num sit genitus, vel ingenitus, Aristor. aut hoc non seruat, sed vltimo loco de hoc loquitur. *Dubitatio prima aduersus ordinē.*

Altera dubitatio est, quia inquit Arist. sub initio primi Physicorum de principijs primo esse agendum, quod modo non seruat, cum enim simplicia corpora sint principia Mundi, non prius sed posterius declarantur. *Secunda.*

Tertia dubitatio est, quia Arist. in hoc primo libro orditur à partibus Mundi, mox agit de toto Mundo, & tertio in alijs libris redit ad partes, adeo vt sibi met non constet. *Tertia.*

Quarto dubitatur, quia quattuor primæ qualitates sunt priores grauitate, & leuitate, & Arist. prius in his libris Elementa considerat vt grauia & leuia, mox in libris de ortu, & interitu, vt prædita quattuor primis qualitatibus. Hæc sunt dubia potiora, accuratiore consideratione digna. *Quarta.*

De prima difficultate dico, cum Plato putauerit Mundum genitum, & in Timeo de eius generatione sibi proposuerit agendum, iure tenebatur primo considerare an genitus sit, Arist. aūt censuit esse ingenitum, ideo primo priores affectiones considerauit, quæ sunt finitum, & vnum. *Sol. primæ.*

Insuper quamuis Arist. postremo de Mundo distincte consideret an sit genitus, primo tamen de Cœlo patefacit esse immunē ab ortu, ab interitu, alteratione & accretione, ex quo saltem confuse elicitur Mundum esse ingenitum, & ob id de eo mox ceteras affectiones voluit explicare.

Dubitabatur secundo, quia principia primo sunt explicanda, Elementa autem & simplicia corpora sunt principia Mundi. *Secundæ.*

Respondeo, principia esse duplicia, quædam per totum extensa vt materia, & forma cōpositi, & Elemēta mixti, & hæc prius sunt explicanda. Alia ita sunt principia, vt non per totum sint extensa, sed sint partes distinctæ subordinatæ diuisim considerandę, qualia sunt simplicia corpora Mundi. De his sat est vt primo communia quædam noscantur, distinctæ tamen posterius post totius explicationem considerari debent, & hoc seruauit Aristot. De his tamen hoc dicere valemus quod non distincte noscitur totum quousque huiusmodi partes non fuerint distincte notæ.

Ex quo patet solutio tertiæ difficultatis, nam Arist. orditur a partibus vniuerse consideratis, & præsertim à Cęlo, per quod varia mundo competunt; mox declarato mundo redit ad subordinatarum partium distinctam explicationem. *Tertiæ.*

Quarto dubitabatur, quia quattuor primæ qualitates alterantes sunt priores origine grauitate & leuitate. *Quartæ.*

Respondeo, qualitates alterantes & loco mouentes considerari posse dupliciter, primo secundum absolutam originem, & sic alterantes sunt priores, vt dicitur in 2. de ortu & interitu. Secundo, vt competunt Elementis pro mundi constitutione,

stitutione,& quia simplicia corpora primo mundum constituunt, mox considerantur vt inuicem permutantur, & constituunt mixtum, mundi autem ordinem constituunt per grauitatem & leuitatem, ideo hac prima relatione, & consideratione Arist. in libris de Cęlo, primo loquitur de grauitate & leuitate, mox in libris de ortu & interitu, verba faciet de quattuor primis qualitatibus alterantibus;& hactenus de ordine.

De præstantia huius cõsiderationis. Postremo loco de præstantia & vtilitate simul huius considerationis superest agendum, sententia est Arist. in octauo libro Topicorum, scientiam vnam præstare alteri primo ob rem de qua agitur.

Secundo ob certitudinem quam actiuam appellat.

Præstantia subiecti. Tertio ob vtilitatem, quod consideratur est mundus totus, totum autem præstat partibus, vt perfectum imperfecto, pars præcipua eius cuius consideratio absoluitur est Cęlum, quod longè præstat mortalibus, & sedes Dei nuncupatur.

Certitudo. Si loquimur de certitudine, ea est duplex: vna ex parte nostri, altera ex rei natura, ex parte nostri dicitur in proęmio Physicorum totum sensu esse notius,& magis mouere, primoque se offerre sensibus; si cõsideratur ex rei natura, & absolute etiam totum est certius partibus, nam est perfectum, est firmius & constãtius partibus, ac vt constat ex ordine simplicium corporum, est natura prius,& principium productionis,& cognitionis cæterorum.

Vtilitas. Si tertio vtilitatem consideramus, ea perspicue fulget, considerando quod cõducit primo pro cognitione, secundo pro actione; pro cognitione quidem; quia qui mundum noscit, dicitur modo aliquo noscere cuncta, cum omnia includat, insuper dicitur noscere se, quia noscens mundum magnum, dicitur noscere paruum; insuper noscimus vbi simus. Demum maxime noscimus Dei prouidentiã, nam cum valeamus excogitare cętera ab alijs fieri, de solo mundo & Cęlo excogitare non valemus ab alio fieri quam a Deo, cum eis solus Deus præsit, hinc maxime patefaciunt Dei curam & prouidentiam,& iure, Cœli enarrant gloriam Dei. Conducit deinde hæc contemplatio pro actione; Primo, quia contemplantes cęlestes motus, mensuras suas & ordines exquisite seruantes, valemus ad eorum imitationem componere humana. Secundo, quia contemplantes mundũ magnum, valemus nosmetipsos recte gubernare: cum enim simus mundi parui, vniuersa nostra recta institutio in eo est posita, vt cum magno conformemur, in quo supera inferis, diuina terrenis,& æterna mortalibus dominantur.

Tertio, contemplantes Cęli eminentiam, cum simus peregrini,& patria nostræ requietis sit Cęlum, excitamur ad eius appetitionem, & dirigimur pro adeptione, sic addiscimus negligere & paruipẽdere mortalia, & magni facere æterna; Demum, cognoscentes cęlestia corpora continenter moueri, nunquam requiescere, & pro eorum viribus munera sua effundere, addiscimus vile ocium negligere,& proximo pro facultate prodesse, quod est recta ratio nostrarum actionum, & fundamentum vniuersæ rectæ institutionis humani generis. Est itaque mundi consideratio præclara & vtilis,& ob id maxime optanda, nõ enim ille debet iudicari sapiens, qui multa noscit, sed qui vtilia.

Dubitatio. At, dubitatio occurrit de libris Physicorum, qui cum sint de prioribus, videntur includere maiorem certitudinem secundum Naturam,& cum sint de vniuersalioribus, videntur esse magis de toto,& ob id de præstantiore. Similiter dubitatio est de libris de Anima, quibus Arist. in proęmio eorum tribuit principatum.

Solutio. De libris Physicorum dico, eos esse de communioribus secundum prædicationem & abstractionem, at non secundum proprium actum, in quo est posita rei perfectio, nil enim reperitur præter vniuersum. De libris de Anima dico, locari quidem ab Arist. inter principales, at non ob id esse absolute primos, nam si considerationem corporum naturalium inspicimus, libri de Cęlo sunt de primo & præstantissimo absolute, hinc Arist. in proęmio de præstantia corporis mundi verba facit. Si vero animam mortalium cum corpore mundi comparamus, ea per mentem hominis liberam & æternam præstat, at hæc non absolute pertinet ad Physicum; de cæteris animæ gradibus dubium est, nam quamuis Anima

mortalis

mortalis longe præſtet corpori mortali, nõ ob id præſtat corpori æterno, in quo eminentia, & virtute includitur, cum ab eo producatur, ſic Sol & homo generant hominem ea ex parte qua natus eſt gigni.

His præcurrentibus diſpoſitionibus parati ad Ariſtotilem accedamus hæc enunciantem.

Contextus Primus.

SCientia de Natura fere plurima videtur circa corpora, & magnitudines & horum affectiones, & motus; adhuc autem circa principia quæ huiuſcemodi ſubſtantiæ ſunt, Natura enim conſtantium, hæc quidem ſunt corpora, & magnitudines, hæc autem habent corpus & magnitudinem, hæc vero principia ſunt habentium.



PHILOSOPHVS ſublimi libro inſigne præponit Procemium, quod in quinto contextu abſoluitur. Diuiditur autem proœmium hoc in tres partes; in prima proponitur id in quo verſatur vniuerſa ſcientia de Natura, & ſunt corpora, & magnitudines.

In ſecunda eorum traditur definitio, & manifeſtatur quę magnitudinum ſit abſolute perfecta.

In tertia proponuntur ea de quibus primo eſt diſputandum; pars prima includitur in hoc primo contextu, qui reſoluitur in hunc Syllogiſmum,

Quæcunque natura conſtant, vel ſunt corpora, & magnitudines, vel habent corpus, & magnitudinem, vel ſunt Principia habentium, ſcientia de natura magna ex parte verſatur circa ea, quæ natura conſtant, igitur magna ex parte verſatur circa corpora, & magnitudines, & horum affectiones, & motus, & circa principia huiuſmodi ſubſtantiæ, huius Syllogiſmi. Primo proponitur concluſio. Secundo eius ratio affertur.

ANNOTATIONES.



ONSIDERO Primo, quod Ariſtoteles frequenter vniuerſam Philoſophiam Naturalem conſueuit appellare ſcientiam de Natura, veluti in proęmio primi Phyſicorum, in proęmio tertij, hoc in loco, & alibi, quam etiam in proęmio tertij de Cęlo appellat Hiſtoriam de Natura, nomine Hiſtoriæ denotans ſcientiam, in qua ſignificatione in proęmio de anima conſideratio animæ nuncupatur Hiſtoria. *Primũ quod conſideratur.*

Ex hoc eliciunt nonnulli Naturam eſſe ſubiectum vniuerſæ Naturalis Philoſophiæ: at conſpicue falluntur, cõſpicue .n. Ariſtoteles cum in hoc proęmio, tum in eo tertij li :ri, materiam in qua ſcientia Phyſica verſatur ait eſſe ſubſtantiam corpoream, cuius Natura Principium eſt; dicitur autem ſcientia de Natura hoc eſt de corpore per Naturam conſtituto, & conſiderato vt Naturam includit, & Naturale eſt, adeo, vt poſita Natura, ponatur ſcientia Phyſica, & dempta, dematur, vt ſe habere dixit Philoſophus de ſubſtantijs abiunctis, & Metaphyſicus. *Error quorundam.*

Conſidero Secundo, quod Ariſtoteles materiam Phyſico ſubiectam in hoc procemio breuibus refert, id autem facit latius in proęmio tertij libri, adeo, vt *Conſideratio Secunda.*

ex eo

ex eo eliciatur expositio nonnullorum,quæ breuius hic referuntur, non enim constat quid per nonnullas voces denotauerit, & variæ sunt expositiones : sed quia parum refert, ego quas puto veriores referam : nam Primo non constat quid denotet Physicus per corpora,& magnitudines,similiter, per habentia cor pus; conspicuum est, Conclusionem esse hanc, Naturalem Philosophum con siderare corpus Natura constans, eius affectiones & Principia, nam hæc sunt illa tria quæ pro subiecti constitutione requiruntur, verum quibus vocibus, & quomodo hæc denotet non constat.

Quid per corpora, & magnitudines intelligēdum. Duas puto ego esse expositiones probabiliores; vna est, quod

Prima expositio. Primo per corpora denotet absolute, & vniuerse omnia corpora Physica, quæ sunt subiectum naturalis scientiæ, per magnitudines vero eas quæ attinent ad Prædicamentum Quantitatis, & sunt accidentia comitantia corpus Physicum, cuius affectiones,& Principia explicantur a Physico; Mox vero in ostensione huius Conclusionis Arist. distinctius loquens, ea quæ primo vniuersa nuncupauerat corpora, diuidit in corpora, & habentia corpus, per corpora denotando simplicia, & animæ expertia, quę Primo & absolute dicuntur corpora, nec eis competit forma superueniens corpori simplici, vel mixto, habentia autem corpus sunt viuentia, quæ constituuntur per animam superuenientem corpori composito, & ideo non proxime sunt corpus, sed id supponunt, & cum corporibus dicuntur gigni, vt dicitur in Proœmio tertij libri.

Altera expositio. Possemus Secundo dicere, per corpora denotari cœlestes orbes, qui ita sunt corpora, vt sint simplicia penitus absque alia superueniente forma; per habentia vero corpus, denotari cuncta mortalia, quæ cum corporibus dicuntur gigni, quia recipiunt esse a forma proxime educta ex materia, cuius conditio est moles, & indefinita dimensio. Ambæ expositiones defendi possunt, & neutra inclu dit aliquod absurdum, Prior tamen expositio est communior.

Tertia Consideratio. Considero Tertio, quod iure aliquis dubitabit, cum Arist. referat vniuersum subiectum Naturalis scientiæ, cur dicit quod fere plurima videtur in his versari, nonne tota versatur in his? inquiunt nonnulli, addi, fere plurima in conclusione, dum solum referuntur corpora, nam præter ea adsunt habentia corpus, quæ mox in ostensione conclusionis referuntur.

Cur dicantur fere plurima.

Prima expositio. Quæ expositio non est approbanda, tum quia (vt dixi) Arist. Primo per corpora denotat etiam habentia, tum insuper, quia in Proœmio tertij referens corpora, & quæ cum corporibus generantur, quæ modo appellat habentia corpus, etiam consimiliter loquitur, inquiens plurimum accidere, Historiam de Natura circa corpora versari.

Euersio.

Altera expositio. Propterea dicamus, Aristot. ita loqui, vt cautius loquatur, & magis approbetur ab omnibus, nam hoc erat ei satis.

Secundo, id facit ob Empedoclem, & veteres Philosophos, qui in scientia de Natura de omnibus loquebantur ad Mundum attinentibus, etiam de Deo.

Tertio, id inseruit, quia in scientia de Natura, nonnunquam est sermo de nonnullis ex accidenti, & ob connexionem, quæ tamen ad Physicum non attinent, dum eorum essentia consideratur, vt sunt motores Cœlorum, & mens hominis.

Quarta consideratio. Quarto, quia agitur etiam de nonnullis quæ nil sunt relatorum, sed solum esse uidentur, vt inane, & infinitum.

Cur dicatur Corpora, & magnitudines. Considero Quarto, quod cum Arist. dicat Corpora, & magnitudines, videtur redundans, satis enim fuisset dicere corpora, cum omne corpus sit magnitudo. Nonnulli viri celebres dixerunt, addi magnitudines ob Atomos Democriti, quæ dicebantur corpora indiuidua : at decipiuntur, quia Atomi a Democrito, vt dicebantur corpora indiuidua, ita nuncupabantur magnitudines indiuiduæ.

Possemus dicere, per corpora denotari ea quæ attinent ad Prædicamentum Substantiæ, per magnitudines vero attinentia ad Prædicamentum Quantitatis, quæ quamuis sint iuncta, tamen sunt Prædicamento distincta, quasi dicat Aristot. circa corpora mole & magnitudine prædita, de quibus distinctam facit mentio-

mentionem, vt distincte magnitudinem definiat, & inde occasionem recipiat, & rationem patefaciendi præstantiam vniuersi.

Quinta Consideratio. Considero Quinto, ea verba (& horum affectiones, & motus) pro notitia animaduertendum, quod affectiones præsertim sunt facultates, ex quibus mox prodeunt operationes, quæ secundo loco affectiones dicuntur, & ambæ compe tunt Physico corpori, & in scientia Physica considerantur, & ob id de vtrisque fit mentio, veluti Elementis competit facultas ad motum secundum locum, & ad mutuas alterationes, & permutationes, quam facultatem sequitur mox latio, alteratio, & permutatio Aristot. absolute affectiones appellauit facultates, & permanentes, opera autem dixit motus, vt indicaret cuncta considerari vt iuncta motui. *Quid per affectiones, & motus.*

Sexta consideratio. Sexto loco ɔsidero sequētia verba (Adhuc circa principia huius substātiæ, &c.) tria considerantur in scientijs, Subiectū, Affectiones, & Principia, relatis duob. priorib. refert tertiū, & iure principia tertio loco referūtur, cū solū cōsiderētur. *Circa principia huius substantiæ.*

Primo gratia subiecti, mox Affectionum, & ait circa Principia huius substantiæ, inquit huius, hoc est corporeę substantiæ, quæ est Subiectum scientiæ.

Et hactenus de attinentibus ad Conclusionem, quod vero attinet ad rationem in Secunda parte relatam.

Septima consideratio. Considero Septimo loco, quod Arist. referens Subiectum scientiæ de Natura, refert ea, quæ natura constant, perspicue patefaciens corpus Natura constans esse adæquatum Subiectum eius; quæ constantia Natura ait esse tria, Prima sunt corpora, & magnitudines, indicando corpora quinque simplicia, suo ordine mundum constituentia, & mixta ex eis quibus primo competit vt sint corpora, & per ea cætera sunt corpora; Secunda sunt habentia corpus, de quibus in procœmio tertij de Cœlo dixit cum corporibus gigni, & magnitudinibus, huiusmodi sunt cuncta viuentia ex anima & corpore constantia, quæ ab anima corpori superueniente habeat esse.

Dubitatio. Simplicius. Tertio loco referuntur Principia habentium corpus. At cur non absolute referuntur Principia substantiæ corporeæ, vt fit in prima parte. Simplicius & multi cum eo, aiunt subintelligi, quod non videtur dicendum; quia sic ea particula (habentium) solum obesset, & ob id iure fuisset dimittenda. Propterea dicamus, institutum Arist. esse, pro ratione solum referre subiectum & partes eius; nam cętera sequuntur: Subiectum est corpus naturale diuisum in corpora, & habentia corpus, & ideo assumpsit ea quę Natura constant, & dixit esse corpora, nimirum simplicia & inanima, considerata Primo vt partes Subiecti, mox vt Principia habentium corpus constitutorum ex eis, Principia communia & prima, vt materia & forma, nec sunt partes tanquam species Subiecti, nec constant Natura, sed sunt Naturæ: sic sat est pro ratione accipere principale, cætera sequuntur. Insuper debuit id accipere quod corpus esset, quia statim de corpore erat loquuturus.

Octaua consideratio. Considero Octauo, quod cum Arist. de quattuor faciat mentionem, de corpore, habentibus corpus, principijs & affectionibus, quæ sunt Subiectum, Affectio, Principium, & Pars Subiecti, etiam libros composuit, qui quamuis sint pręditi suo proprio subiecto, tamen præsertim de aliquo horum quattuor esse videntur, & inscribunt, vt primi Physicorū dicuntur de Principijs, sequētes de motu, & affectione, vt et libri de Ortu & interitu, & Parua Naturalia ab affectionib. inscribunt: libri de plātis, & animalib. sunt de habentib. corpus, & sic de cęteris.

Nona consideratio. Dubitatio. Postremo loco considero, quod iure aliquis dubitare posset, quoniam Subiectum commune debet proponi in principio scientiæ, & in libro communi, Aristotiles autem hoc non seruauit de Subiecto scientiæ de Natura, non enim id proposuit in principio libri Physicorum, sed in hoc particulari libro.

Solutio. Respondeo, Arist. supponere vt notum & vt concessum ac seruatum à veteribus Philosophis, scientiam Physicam versari circa corpus Physicum, ideo in procemio Physicorum hoc supposito, solum dixit Primo eius declaranda esse Principia, hoc autem in loco refert id Subiectum, non vt illud proponat considerandum,

derandum, sed vt ex eo noto, & approbato eliciat subiectum proprium huius libri, & præstantiam considerationis eius, nam tunc numerari debēt consideranda, dum descenditur ad propria.

Contextus Secundus.

Continuum igitur illud est, quod aptum est diuidi semper in ea quæ diuidi possint, Corpus vero quod omni ex parte diuidi potest: nam magnitudinis ea quæ per vnum diuidi potest, est Linea, quæ per duo, Planum, quæ per tria, Corpus; & præter has non est alia magnitudo, propterea quod tria omnia sunt, & ipsum ter est omniquaque: nam vt aiunt Pythagorei, ipsum omne, & omnia, tribus terminata sunt, Finis enim, Medium, & Principium, numero eo sunt prædita, qui est ipsius omnis.

Propterea ex Natura sumentes tanquam leges eius, pro sacrificijs Deorum hoc vtimur numero; id ipsum facimus in rerum nuncupationibus, nam duo ambo dicimus, & duos ambos, omnes autem non dicimus, sed de tribus hoc dicimus primo; hoc autem facimus (vt dictum est) Naturam ducem sequentes.

Intentio.



SSVMPTO scientiam de Natura considerare corpora Physica, magnitudinibus prædita, Intentio Philosophi modo est de magnitudinibus loqui, & patefacere facta comparatione inter magnitudines, corpus esse magnitudinem perfectam, & vltra tres eius dimensiones non dari dimensionem aliam; ratio autem huius intentionis est, vt patefaciat perfectionem vniuersi corporei mundi in his libris pro subiecto considerandi, ac ita inuitet & hortetur præclara ingenia ad hanc considerationem.

Diuisio. Diuiditur autem præsens Contextus in quattuor partes; in prima definiuntur continuum & eius species; in alijs tribus triplici ratione ostenditur corpus esse recte definitum, adeo, ut omni ex parte diuidi possit, nec præter trinam eius dimsionem dari dimensionem aliquam per quam fieri possit diuisio.

Expositio. Dicitur itaque in prima parte cōtinuum esse aptum diuidi in infinitum, cum enim non constet ex indiuiduis, vt ostenditur in sexto Physicorum, etiam non licet ad indiuidua deuenire, & in ea id resoluere. Nec diuisio corpori prædito trina dimensione competit vndequaque, quod refulget per mutuam comparationem magnitudinum, quarum prima origine est Linea sola longitudine prædita, quam sequitur Superficies longitudini addens latitudinem; tertium est corpus addens profunditatem; & vnaquæque harum magnitudinum eatenus potest diuidi, quatenus est dimensione prædita, propterea cum corpus præditum sit qualibet dimensione, iure definitur quod sit omni ex parte aptum diuidi; Quod autem præter tres corporis dimensiones non detur dimensio alia, ostenditur: quia perfecto nil potest addi, trinum est perfectum, quare nil ei addi potest, nec dari potest trāsitus in aliud, trinum autem esse perfectum, triplici ratione ostenditur. Prima est; Quod est omne & omnia, est perfectum, trinum est omne & omnia. quare est perfectum. Minor ostenditur: quia includens numerum Principij, Medij & Finis, est omne & perfectum, trinum includit nume-

Perfectio Trinitatis.

rum Prin-

rum Principij, Medij & Finis, igitur est omne & perfectum; & vtitur authoritate Pythagoræ, maxime versati in attinentibus ad numeros numerorumque affectiones. (Propterea ex Natura sumentes tanquam leges, &c.) Hæc per ratio Secunda, ita formanda: Quod per Naturę leges in sacrificijs tribuimus Deo, perfectionem includit, attribuimus trinum, eoq; vtimur, quare per fectionem includit, Natura enim pendens ex summe perfecto, per media includentia perfectionem ad id quod perfectum eit ducit, & dirigit. (Idipsum facimus in rerum nuncupationibus, &c.) *Cur vtatur authoritate pitagoræ.*

Hæc est pars postrema, & ratio tertia pro confirmatione perfectionis numeri ternarij, sumpta ex vsu vocum, & modo loquendi, ex quo dicimus de tribus dici primo omne, quod perfectionem denotat, quæ ratio magis apparet in Grecorum idiomate, vtentium triplici numero, Singulari de vno, Duali de duobus, Plurali de tribus primo. Latini autem, & Itali de duobus, dicunt ambos, de pluribus, omnes, & ratio ita formatur: Id de quo primo dicitur omne, perfectionem includit, at primo dicitur de tribus, quare, &c. Pro conspicua deductione huius rationis tria sunt accipienda; Primum est, quod cum Natura pendeat ex vero, & bono, ad verum & bonum dirigit, & nos sequentes instinctum Naturę, non erramus, sequimur autem instinctum Naturæ, dum de tribus primo dicimus omne; quod patet: quia communi instinctu nationes omnes id faciunt. Alterum est, quod quamuis eloquutiones, & nomina dicantur esse ad libitum imponentium ea, tamen recta ratio impositionis ex Natura petenda est; hinc dicimus, nomina debere esse consona rebus, & Nominum quædam dicimus recte esse imposita, alia perperam.

Tertium est, quod viri vulgares & populares, illi sunt qui inter omnes magna ex parte sequuntur instinctum Naturæ, potius quam rationem propriam, modi autem eloquutionum populares sunt, ideo dicitur loquendum esse vt plures, sentiendum vero vt sapientes, per popularem autem vsum loquendi omne primum dicitur de tribus.

ANNOTATIONES.



Ex præsenti Contextu varia se nobis offerunt quæ vel pariunt difficultatem, vel annotatione sunt digna; & ordiens cum Arist. a definitione Continui,

Considero Primo, quod cum continuum valeat præsertim tribus modis considerari, tres quoque sunt principales eius definitiones: nam primo dum refertur ad motum, definitur ab Arist. in quinto Metaphysicæ Côt. 8. necnon 10. Metaphysicæ Cont. 1. quod sit id, cuius motus est vnus. 1. *Consideratio.* *Tres Continui definitiones.*

Considero Secundo, pro huius definitionis explicatione, quod aliud est dicere, continuum esse aptum diuidi in infinitum, & in infinita, nam Primum denotat diuisioni non posse imponi finem, adeo, vt ad indiuisibile deueniatur, & hoc recte de eo dicitur cum non sit conflatum ex indiuiduis; Alterum autem non recte de eo dicitur, nam dum dicimus, quod sit diuisibile in infinita, indicamus quod valeat in infinita resolui, quod non pro parte dicitur: nam tunc actus eius esset ea resolutio in infinita, quæ ei non est apta cõpetere cum infinito repugnet finis. 2. *Consideratio.* *Declaratio definitionis Continui.*

At dubitatur: quia potentia quæ non valet redigi ad actum, inanis est; quod cõtinuum sit aptum diuidi in infinitũ, non potest redigi ad actum, quare est inanis. *Dubitatio.*

Respondeo, potentiam hanc optime præditam esse actu sibi respondente, nam actus eius est vt diuisioni nequeat imponi finis, & ad indiuiduum nunquã deueniatur, & hoc ei competit, adeo, vt actus eius sit semper cum potentia iunctus; Hoc indicauit Arist. 9. Metaphysicæ Cont. 11. inquiens Infinitum non ista *Solutio.*

potentia est tanquam actu futurum separabile, sed notitia, eo enim quod non deficiat diuisio, ostenditur hunc actum esse potestate, non autem quod separari valeat. Similiter, in 4. libro Physicorum Cont. 57. legitur. (Sed quoniam multipliciter contingat aliquid esse, quemadmodum dies est & certamen, eo quia semper aliud & aliud fit) sic & infinitum, nam in hoc constitutum est esse actu, & potestate, sic diuiduum in infinitum denotat actum cum potentia iunctum, dicere quod diuidatur & resoluatur in infinita, est euersio definitionis, ita enim diuisioni & infinito tribueretur finis.

Alexander. Similiter Alexander in primo Naturalium qq. cap. 23. dixit continuum esse aptum diuidi in infinitum, non quia simul omniquaque, sed quia in quocunque aptum est diuidi, adeo, vt vbique diuidi valeat, redditur conspicua conditio continui per conditionem numeri ei aduersam: nam dicitur aptus crescere in infinitum, non quia valeat dari numerus actu infinitus, sed quia accretioni eius nullus valeat imponi finis, & hic est actus semper cum potestate iunctus.

3. Consideratio. Considero Tertio, quod definito continuo definitur corpus tanquam præcipua eius species quæ modo præsertim optatur, & dicitur diuisibile omniquaque, omni ex parte trifariam, & secundum omnem dimensionem: nam quod sit aptum diuidi secundum longitudinem, habet a linea, secundum latitudinem, a plano, at quod sit tale secundum profunditatem, siue altitudinem, habet ex se, ac ita magnitudini ex se perfectionem adhibet.

Dubitatio. Sed oritur dubitatio, quia Arist. videtur secum pugnare: nam hoc in loco ait corpus omni ex parte esse continuum, & aptum diuidi in infinitum, ac propterea non dari corpus minimum, oppositū autem profert in primo Physicorum, disputans contra Anaxagoram, necnon in secundo de Anima, ostendens accretionem ex Anima ortum ducere, & ab eo terminum recipere, inquiens, omnia quæ Natura constant, definita esse maximo & minimo.

Solutio. Soluitur controuersia, quia corpus dupliciter potest considerari; Primo vt corpus & continuum; Secundo vt Physicum, & formatum; dum consideratur ex parte quanti & continui, nullus ei competit terminus, sed termino est præditum dum consideratur vt Physicum, ita enim est formatum, forma quæ natura est & terminus, infinitum verò ex materia ortum ducit, & quia definitiones debent intelligi secundum se, & cum reduplicatione, ideo rectè dicitur continuū & corpus esse apta diuidi in infinitum, hoc est, quatenus continua & quanta sunt.

4. Consideratio. Quarto loco maior emergit dubitatio, quia Arist. videtur egredi terminos suos: nam corpus attinens ad Physicum, est substantia, ipse autem definit corpus Mathematicum, & definit definitione Mathematica cum abstractione a materia sensili, solum includendo materiam Mathematicam, quæ dicitur intelligibilis, & sunt continuum & partes; Auerroes hoc in loco ait, quod intentio Philosophi est describere corpus quod est subiectum vniuersale huius artis, & oportet quemlibet artificem prius describere genus quod considerat; Insuper in secūdo Phys. Cont. 3. inquit subiectum huius libri est natura & principia naturalia cū sint communia omnibus, ideo in hoc libro non definit corpus, nec alia quæ considerat Physicus, vt facit in principio librorum de Cœlo.

Auerroes.

Reijcitur sententia Auerrois. Plura in dictis Auerrois refulgent errata, & præsertim quinque, Primum est; quia minus rectè pro subiecto librorum octo Physicorum statuit principia cōmunia, cum potius sit corpus Physicum vniuersè sumptum, vt suo loco patefeci; ex quo Primo errore prodit Secūdus, & est, quod corpus Physicum non debeat eo loci definiri, nam maxime definiri debuit, cum sit subiectum eorum librorū, & definitio subiecti præsumenda sit, & quod refulgeat ex declaratione principiorum quæ ibi explicantur, nec possent declarari affectiones communes, non definito subiecto, cum tamen conspicue constet communes affectiones in eis libris declarari. Tertius error est, dum ait in illis libris corpus Physicum non definiri, cum tamen constet definiri sub initio secundi Physicorum, dum definitur habens naturam; immo solum ibi potuit definiri, cum eliciatur definitio ex declaratione principiorum eius & naturæ.

Aduersus Mainettum.

Et conspicue errat Mainettus, inquiens in secundo Physicorum id fieri obiter & incidenter, cum tamen apparuerit id fieri, vt in proprio loco, & ex principali instituto. Quartus error est, quod id debuerit facere in libris de Cœlo, nam quod est commune, in libro communi fieri debet. Error Quintus est, quod hoc in loco id commune subiectum definiatur, nam nec definitur, nec eius explicantur principia, sed (vt apparuit) definitur corpus prædicamenti quantitatis, quod est species continui, vt inde eliciatur occasio patefaciendi præstantiam mundi, quod est subiectum horum librorum.

Solutio.

At instabatur, quia sic Arist. definiret corpus Mathematicum definitione non Physica, sed Mathematica.

Respondeo, id quod consideratur & cognoscitur a Mathematico de conditione Quanti, longe exactius cognosci a Physico, & quod continuum sit aptum diuidi in infinitum, distinctius ostenditur & cognoscitur a Physico, vt patet ex sexto Physicorum quam a Geometra; & quamuis Arist. vtatur definitione qua etiam vtitur Geometra, nil refert, quia Arist. eius facit mentionem, quod ei inseruire debet, seruata semper relatione ad corpus Physicum alibi explicatum, & referens modo hæc omnia ad mundum qui corpus Physicum est.

5. Consideratio.

Præstantia Trinitatis.

Considero Quinto, quod veritas adeo est potens, vt vel latenter vel conspicue etiam inuitos compellat ad eam confitendam, vt apparet hoc in loco de eminentia Trinitatis nobis per naturam patefacta, & per instinctum naturæ confirmata, per solum enim naturæ instinctũ Primo de tribus dicimus omne, & in Dei cultu vtimur Trinitatis numero: sic Arist. in 2. de partibus animalium, cap. 1. ait naturam ternario numero perficere generationes rerum; idipsum affirmat in 3. Meteorum, loquens de trino colore Iridis. Similiter Plato in Epistolis ait, vsque ad tertium gradum descendere diuinitatis conditionem. Sic rerum perfectio in principio, medio & fine est posita, quæ eminentissime competunt Deo, qui est via, veritas & vita, bonitas, pulchritudo & iustitia, potens volens, & sciens, in quem per Trinitatem eleuamur, quæ est fides, spes, & charitas; Insuper & per aliam quæ est pietas, religio, sanctitas.

6. Consideratio.

Quõ in sacrificijs vtamur ternario.

At sexto loco considerandum occurrit, quomodo in sacrificijs vtamur numero ternario. Pro explicatione dico; numeros pares dici fœmininos, quia in partes æquales diuidi possunt; impares vero masculinos, & solidos, formam præseferentes, quorum primus est ternarius; hoc in sacrificijs duce natura & comite ratione multipliciter vtimur; Primo, tria munera nato Deo obtulerunt Magi. Secundo eriguntur Deo tria altaria, & offeruntur tria holocausta, tresque victimæ, formantur tria tabernacula, vt legitur in Euangelio. Vis faciamus hic tria tabernacula. Ita loquebatur tunc Apostolus, insequens simul spiritum & instinctum naturæ.

Insuper, vti consueuere veteres Sacerdotes, Voce, Sono Musico, & Incenso.

Insuper, oblationibus, expurgationibus, & votis. Similiter, de Deo dicebant, quod est, quod fuit, & quod futurum est. Demum, vtebantur ternario, ter idem repetentes.

Damascius.

Damascius loquens de Sacerdotibus Aegyptiorum, ait, quòd primum principium appellant tenebras, super omnem cognitionem ter id enunciantes, & acclamantes.

Porphyrius

Porphyrius in libro de Sacrificijs ait, Sacerdotes offerebant Deo primo Flores, secundo Arbores, tertio Animalia. Chaldæi vtebantur Thure, Mirra, & Aloe, siue Auro. Hebræi Pane, Vino, & Sanguine. nos Pane, Vino, & Aqua.

7. Consideratio.

Septimo considerandum id quod ab Arist. dicitur: (Propterea ex natura sumentes tanquam leges eius, &c.)

Quomodo ex natura sumamus leges.

Non constat quomodo ex natura sumamus leges, quod potest tribus modis explicari; Primo, per principia firmissima nostrorum Theologorum, approbãtium eminentissimam cunctorum cognitionem Dei, distinctissimamque prouidentiam, per quam proposito fine disponuntur media ei congruentia, & in illũ latenter per eorum naturam diriguntur. Modus alter non longe distans a Pri-

mo, est Academicorum, dicentium id fieri per aureum nexum, Primo Idearum attinentium ad mentem; Secundo Rationum, attinentium ad animam rationis compotem; Tertio Seminum, attinentium ad naturam; Quarto vmbrarum, attinentium ad materiam, qua catena aiunt cuncta trahi a Cœlo, & retrahi in Celum. Tertius modus est Peripateticorum, non approbantium Ideas, vt Academici, nec distinctam singulorum prouidentiam & cognitionem, vt nostri Theologi, sed solum eminentem; ex quorum opinione teneor modo hac de re verba

Lex quid sit. facere, & pro notitia ordinaria, conditione & ordine legum, Lex est ordo agendorum.

1. Ordo. Primus ordo & ordinum origo fulget in Dei prouidentia, qui est lex legum, & caput ordinum, & ad Theologum pertinet.

2. Ordo. Secundus est ordo & lex Fati, tanquam promulgatio primi.

3. Ordo. Tertius est ordo & lex naturæ sola ratione a secundo distinctus, & est tanquã forma impressa in materia & apparens, qui duo ordines ad Physicum pertinẽt.

4. Ordo. Quartus est ordo & lex Ciuilis & humana, & est tanquam vmbra præcedentium collecta & considerata a Ciuili Philosopho. Dum Arist. ait nos a natura tanquam lege aliquid recipere; id verum est duobus modis.

Primo, quia legem recipimus a natura nobis propria.

Secundo, a natura communi dicimur recipere & includere legem per naturã propriam, quatenus frequenter dum operamur sequimur insitum naturæ instinctum, qui est interna commotio sequens formam quæ natura est, quatenus ex bono pendet & in bonum nos ducit & dirigit; sic de tribus primo dicimus omne, & erga Deum vtimur numero ternario. Modus alter quo a natura communi dicimur suscipere leges, est, quatenus ex ordine & conditionibus attinentium ad naturam regulas excipimus nostrarum actionum; hoc denotauit Auerr. hoc in loco, inquiens (Quia natura naturata ita facit, ideo nos sequimur suum opus in actionibus voluntarijs, &c.

8. Consideratio. Octauo considero, quod Auer. mentionẽ facit de natura naturata, indicans distinctionem naturæ in naturantem, & naturatam, quam distinctionem non recolo me legisse apud Græcos interpretes, sed apud Boetium in libro de Consolatione philosophica, & per tres comparationes potest tribus modis explicari.

Natura naturãs & naturata. Primo, relato Deo ad vniuersum orbem, Deus est natura naturans, orbis totus est natura naturata, munere Dei; & hanc puto denotasse Auerroem.

Secundo, referendo Cœlum ad mortalem orbem, Cœlum est natura naturans, orbis mortalis ex Cœlo pendens est natura naturata.

Tertio, referendo Formam ad Compositum, cui largitur esse, ea est natura naturans.

9. Consideratio. Nono considero, quod Arist. leui ratione videtur ostendere vltra profunditatem non dari dimensionem aliam: nam ratio sumpta ex perfectione ternarij, est Dialectica & popularis, & varijs instantijs potest patefieri fallax, ita enim tres digiti essent digiti oẽs, & præditi duobus oculis duobusque cruribus, carerent perfectione numeri oculorum & crurum. His accedit, quod ratio qua vtuntur Geometræ sumpta ex intersectione linearum ad angulos rectos, videtur efficacior, tot enim sunt dimensiones per quot lineæ in eodem puncto valent secare se ad angulos rectos, id autem solum contingit fieri tribus modis, qua ratione vtitur Ptolomeus.

Ratio pro numero dimensionum.

Insuper, tot sunt dimẽsiones, quot sunt oppositiones differentiarum loci, quarum Prima est sursum & deorsum, respondens longitudini; Secunda est dextrũ & sinistrum, respondens latitudini; Tertia est anterius & posterius, respondens profunditati. Demum, adest ratio sumpta ex fluxu, attinente ad magnitudines, qui fluxus soli sunt tres distincti, cõstituentes distinctam dimensionem, nam fluxu Puncti constituitur Linea, fluxu Lineæ Superficies, fluxu Superficiei Corpus; fluxus quartus aliam constituens dimensionem excogitari non potest. Hæ sunt rationes efficaciores & magis propriæ.

Solutio. Profecto, hæ difficultates non sunt leues, & a viris doctis varia dicuntur, quibus

bus silentio decursis, id solummodo dicam quod approbandum iudico, quorũ.

Primũ est, quod dimensiones non esse plures tribus, adeo est notũ, vt superuacaneum sit firmiores optare rationes, nemo enim mediocriter peritus id negat, solum latet cur sint tres, quod saltem potest ostendi ratione ex conditione perfectionis formæ deprompta.

Dico Secundo, hoc esse Procemium, in quo non sunt expetendæ exactæ ostensiones, sed populares.

Addo Tertio, quod trium additarum ostensionum duæ sunt Mathematicæ penitus, & minime ad hunc locum attinentes, vt sumptę ab intersectionibus ad angulos rectos, & a fluxu a Mathematico excogitato.

Tertia sumpta ex differentijs & oppositionibus locorum, est per posteriora, & sub initio secundi de Cœlo oportunius referetur. In hoc procemio affertur ratio ex ternario sumpta, vt huic loco accommodatissima, pro patefacienda absoluta perfectione mundi.

Quæ ratio extrinsecus considerata est Dialectica, & popularis, at considerata intrinsecus, est supra humanam rationem, cum sit deprompta ex interno instinctu naturę prodeunte ex fonte boni, & directo in bonum. *Qualis sit ratio ab Arist. formata.*

At instabatur, quia est fallax; ita enim tres digiti manus essent digiti omnes; immo si deberem Arist. mille aureos, sat mihi esset ei tres retribuere, quia ei dicerem, per tuam ostensionem tres sunt omnes, quare omnes reddidi. *Soluuntur instantiæ.*

Respondens dico, vim rationis non esse positam in numero ternario absolute, vt numerus est, sed in numero ternario seruante conditionẽ principij, medij, & finis pro constitutione alicuius. Hoc indicauit Arist. inquiens Principium, Medium & Finem tria esse: sic Longitudo est Principium, Latitudo Medium, Profunditas Finis, pro absoluta constitutione perfectæ magnitudinis & forma perfectionis.

Decimo & postremo considerandum occurrit, an numero competat propria aliqua virtus? Ex vna parte videtur prorsus virtute carere, quia ex sententia Aristot. Quantitas non est principium operandi, sed Qualitas tertiæ speciei, hinc legitur in 14. Metaphysicæ cap. 5. numerum in nullo genere causæ esse causam, & 13. Metaphysicæ cap. 6. inquit Philosophus, in Mathematico numero nulla vnitas differt ab altera. *10. Consideratio.* *An numero cõpetat propria virtus.*

Ex aduerso, Arist. hoc in loco, & alibi, ternario virtutem tribuit; Pythagorei numeros rebus omnibus prætulerunt, eosque dixerunt esse principia cunctorũ, & cuncta in eos resolui: nam Physica resoluebant in Geometrica, & hæc in numeros, & ob id nonnulli, vt Io. Picus, & alij, profitebantur per numeros tanquã per rerum principia ad interrogata respondere, & quæstiones dissoluere: sic apud eos numerorum nonnulli dicuntur mares, alij fœminæ, nonnulli steriles, alij fœcundi, nonnulli primi, alij non primi: Et apud Medicos nonnulli sunt Critici siue iudiciarij, alij indices, reliqui symptomatici. *Pythagorei.* *Io. Picus.* *Medici.*

Similiter nostri Theologi numerum seruant ieiuniorum, repetitionum orationis, & aliorum similium, quod inaniter facerent, nisi numero virtus aliqua cõpeteret. Res itaque est dubia. *Theologi.*

Pro solutione ordiẽdum est a distinctionibus, & primo ab ea quæ est numeri. *Resolutio.*

Proclus ex sententia Academicorum quattuor statuit gradus numerorum. Primus est Diuinus, eminentior Ideis. Secundus essentialis, attinens ad Ideas, quæ rerum dicuntur essentiæ. Tertius est Rationalis, attinens ad Animam rationis compotem, ex qua prodit numerus Mathematicus, ratione formatus. Quartus est numerus Physicus, ad naturam pertinẽs. Arist. alia vtitur distinctione magis ad rem faciente: nam in 4. Physic. Contex. 102. Numerum secat in numerantem & numeratum; hinc prodeunt tria membra, datur enim numerus solum numerans, numerus solum numeratus, & numerus cum numerans tum numeratus. In 8 Metaphysicæ Contex. 10. essentias rerum dixit perinde se habere ac numeros, quatenus in indiuiduo positæ sunt; & in calce 4. de Generat. Animalium dixit, numero vitium Cœli, Solis & Lunæ numerari ortus & interitus *Diuisio numeri.* *Proclus.* *Arist.*

rerum.

rerum. Similiter,in 2.lib.de ortu & interitu legitur,tempus & vitam vniufcuiufque numero effe prędita. Simile etiā legitur in 8.partic. Problemate poftremo.

Numerus numerās du plex. Infuper,numerus poteft dici numerans duob.modis: vel fua effentia & actione,vt Cœlum & Sol dicuntur numerare mortalia, & Deus eft vnitas eminentiffima, includens effentias omnium, tanquam participatas vnitates; vel numerat fola fua quantitate, vt Numerus Mathematicus.

Virtute prę ditū triplex. Dico Secundo,quod effe prœditum virtute,cōtingit tribus modis; vel vt Caufam,vel vt Signum,vel vt Subiectum;veluti Sol eft calidus vt Caufa,fumus vt Signum,ignis vt Subiectum.

His ita affumptis,tres profero Conclufiones.

Conclufio prima. Prima eft,quod numerus pure Mathematicus,folum numerans,fua quantitate non includit virtutem,vt Subiectum,fed folum vt Signum, veluti patet de ternario,& per Analogiam,fiue fimilitudinem proportionis & proprietatis,vt impar dicitur Mas.

Secunda. Secunda Conclufio eft, quod numerus numerans fua effentia vt Deus & Cęlum,includit virtutem primo vt fubiectum,fecundo vt caufa.

Tertia. Tertia eft,quod numerus numeratus cum fit res Phyfica, eft præditus virtute vt Subiectum. Ex his elicitur refolutio difficultatis, & folutio pugnantium rationum.

Contextus Tertius.

QVoniam itaque omnia, omne, & perfectum, non forma inter fe differunt, fed fiquidem materia, & his de quibus dicuntur, corpus vtique folum erit magnitudinum perfectum, id enim folum definitum eft tribus, quod quidem omne eft. Nam quod trifariam eft diuiduum, omniquaque diuiduum eft, cæterarum autem magnitudinum, hæc quidem per vnum, ea per duo diuidi poteft, vt enim numerum fortiuntur ita diuifionem, & continuum, nam hæc per vnum, hæc per duo diuidua eft, hæc demum omniquaque.



DECLARAVIT Philofophus definitionem Corporis,& patefecit tres eius dimenfiones effe omnes.

Intentio. Modo vero ex definitione vult elicere perfectionē, quæ comparatis inuicem magnitudinibus toti corpori competit.

Diuifio. Diuiditur Context.in duas partes; in Prima oftēditur id quod dixi; in Secunda confirmatur per mutuam cōparationem magnitudinum.

Ratio. Ratio ita formatur: quod eft omne & omnia, eft perfectum,corpus inter magnitudines eft omne, & omnia, quare inter magnitudines eft perfectum. Minor patet ex dictis: nam tres funt dimenfiones omnes. Maior oftenditur: quia omne,omnia,& perfectum, ratione,effentia,& conditione idem funt,folum differunt materia, hoc eft,eo cui tribuuntur, & de quo dicuntur; (Cæterarum autem magnitudinum hæc quidem per vnum,& cæt.)

Hæc eft pars Secunda, in qua Arift. per mutuam magnitudinum comparationem confirmat Corpus, & id folum inter magnitudines effe præditum ternario, & perfectione,nam Linea folum fecundum longitudinem, Superficies fecundū hanc & latitudinem, Corpus autem omniquaque, omni ex parte, & fecundum

omnem

omnem dimensionem diuidi potest: nam vt prædita sunt numero dimensionũ, ita prædita sunt numero continuorum, & diuisionum, magnitudini enim primo competit dimensio, mox per dimensionem redditur continua, & vt continua, est apta diuidi, & ob id hæc tria sibi mutuo respondent.

ANNOTATIONES.



ONSIDERO Primo, quod Aristotiles ait omne, omnia, & perfectum, non distingui forma, sed materia: hoc autem est dubium, tum quia distinctio pendet ex Forma, & actu; tum insuper, quia alterius materiæ altera est Forma, cum inuicem referantur, vt dicitur in secundo Physicorum, 26. *Considera-tiõ prima. Dubitatio.*

Pro solutione dico Primo, quod aliud est loqui de distinctione principali conditionis rerum, quæ ex forma pendet, aliud de distinctione secundaria, qualis est ea quę est relatarum vocum, quæ ex materia duci potest. Insuper, aliud est loqui de absoluta rerum natura, aliud de signis eam denotantibus, qualia sunt nomina relata ad ea quæ denotantur vt principalia, ex quibus distinctio duci potest; insuper, aliud de signis eam denotantibus, qualia sunt nomina relata ad ea quæ denotantur vt principalia, ex quibus distinctio duci potest, sic varia nomina vni imponi possunt, & nomen vnum pluribus; Addo tertio, secus se habere de cõposito substantiæ quod per formam constituitur, secus de accidentibus ad aliud relatis, vt nomina. Demum dico, secus se habere de vniuocis, secus de his, quæ sunt ab vno, quorum distinctio ex denotatis, & subordinatis oritur, & dum dicitur, quod alterius materiæ altera est forma, respondeo, id esse verũ de propriè sumpta materia, & Forma substantiæ, ex quibus vnum secundum se contingit. *Solutio.*

Considero Secundo, reperiri has voces, omne, Græce Pan, omnia, totum, & perfectum, quarum distinctio explicatur ab Arist. in quinto Metaphysicæ Contex. 31. Nam Omne siue vniuersum, dicitur de vno continuo, cui competit principium, medium, & finis, & positio partium non constituit differentiam, vt de Aqua, dicimus enim omnis Aqua, vniuersus Aer, & si extenditur ad prædita varietate, id fit dum consideratur cum ratione vnius, vt omne quod est; Omnia autem dicuntur, dum considerantur multa secreta, vt omnes homines, omnes Leones. Totum dicitur id quod præditum est certo numero partium, quarum nulla deest, & varietas positionis earum constituit differentiam, vt totus homo, tota domus. Omne, & Totum de eodem dicuntur, quando idem partim seruatur, partim variatur, vt indumentum, & cera quæ seruantur secundum essentiam, & variantur figura & positione. Hæc nos docet Arist. in 5. Metaphysicæ Cont. 31. *Secunda. Omne. Omnia. Totum.*

Considero Tertio, loquendo de perfecto quod inquit Auerr. Omne dici de Discreto, Totum de Continuo, Perfectum de Forma & Qualitate prædito. At errat, non considerans discrimen inter Omne & Omnia, vt Arist. nec est necesse vt Totum sit Continuum, vt patet de toto exercitu, Alex. & Simplicius inquiunt perfectum dici de vtrisque, nimirum de Continuo, & Discreto. Dicendum puto, quod Arist. de toto non facit mentionem, quia totum, integrum, cõpletum, absolutum, & similia, fere idem denotant quod perfectum: hoc autem vsurpatur dupliciter: vel vt contradistinctũ ab alijs, vel in vniuersa sua latitudine, dum vsurpatur vt contradistinctum, denotat compositum præditum varietate partium, quarum nulla desit, vt domus perfecta; dum vero vsurpatur pro vniuersa sua latitudine, est latius quam Omne, & Omnia; nam dicitur de his, & de alijs cunctis, quibus initium, medium, & finis competant, secundum quam latitudinem id protulit modo Philosoph. & ob id Trinum, Omne, & Omnia dicit esse perfecta, quibus nil desit. *Tertia. Perfectum. Auer. Alex. Perfectum dupliciter sumitur.*

Quar-

Quarta consideratio. Quarto considero, quod Arist. magnitudinum solum corpus ait esse perfectum, adeo, vt Linea & Superficies perfectione careant, quod dubitationem *Dubitatio.* parit: quoniam nil tota sua specie caret perfectione, Linea autem & Superficies sunt species magnitudinis.

Solutio. Respondeo, Linea & Superficies dupliciter considerari possunt, Primo, vt principia ordinata pro constitutione corporis, & ita carent postrema perfectione; Secundo, absolute, vt definitæ quædam magnitudines sunt, ac ita ad duo possunt referri, vel ad genus magnitudinis, vel ad propriam conditionem & essentiam, ac ita includunt perfectionem suæ conditioni congruentem, vt formica *Quinta consideratio.* quamuis sit Animal vile, est tamen in propria specie perfecta. Considero quinto, quod cum quantitatum vna sit Continua, altera Discreta, Continua est magis materiata quam Discreta, & in Discretam modo aliquo resolui dicitur, veluti punctum dicitur vnum, non autem contra: nam materia Mathematicorum duplex est, Continuum, & Partes, numero solum competunt partes, magnitudini autem & continuum, & partes.

Arithmetica prior Geometria. Hinc Arithmetica est prior & certior quam Geometria; Propterea consueuere Pythagoræi, & Academici, Physica explicare per magnitudines, secreta autem a materia & Diuina, per numeros, hoc seruauit modo Philosoph. qui Physica in magnitudines, & has in numeros resoluit, tribuens Corpori trinum numerum, Superficiei binum, Lineæ vnitatem Dimensionis, Diuisionis, & Continuationis.

Contextus Quartus.

MAgnitudinum itaque quæcunque diuiduæ sunt, etiam sunt continuæ, num vero continuæ omnes sint diuiduæ, nondum ex antea dictis est notum sed illud patet, quod non datur transitus in aliud genus, vt ex longitudine in Superficiem, & ex Superficie in Corpus, ita enim huiusmodi magnitudo non esset perfecta, nam ex defectione oritur vt fiat transitus; Perfectum autem defectione caret, cum sit omni ex parte; Eorum igitur corporum quæ partis subeunt rationem, vnumquodque huiusmodi est, cum omni dimensione sit præditum, sed quia terminatum est tactu ad id quod proximum est, modo aliquo multa corporum unumquodque est; At vniuersum cuius hæ sunt partes, necessario perfectum est, & vt nomen significat omniquaque, & non hac quidem ex parte, ex alia non.



Intentio. OSTENSA Perfectione corporis, intentio Arist. modo est patefacere inter corpora absolutam perfectionem vniuersi corporei mundi. *Ratio.* Ratio huius est, vt patefacta subiecti perfectione, hortetur, & inuitet ingenuos animos ad accuratam eius considerationem. *Diuisio.* Diuiditur Contextus in tres partes, in Prima colligitur quod per dicta hactenus non sit manifestum, & quid manifestum, idque confirmat.

In Secunda colligit perfectionem Corporis inter magnitudines.

Expositio. In Tertia absolutam perfectionem corporis mundi inter corpora. Quod pertinet ad primam partem, inquit Physicus, patere ex dictis, magnitudinem omnem diuiduam esse continuam, diuisio enim est seiunctio continuationis, & per quot dimensiones est diuidua, per tot est continua, adeo, vt diuisio sit ali-

quid

quid posterius,necessario supponens suum prius: Contra vero, num omne cōtinuum sit diuiduum,non est notum ex antea dictis: nam Democritus,Leucippus,& Epicurus putabant dari Atomos,quas nuncupabant corpora & magnitudines indiuiduas;quorum sententia non est reiecta,sed reijcietur in tertio libro. Aliud ex dictis notum est, non dari dimensionem quartam, nec transitum ex corpore in magnitudinem aliam,non enim ex perfecto,sed diminuto datur trāsitus in aliud perfectius,nā quod est origine posterius est perfectione prius.(Eorum igitur corporum quę partis subeunt rationem, &c.) Hæc est pars Secunda,in qua nos docet Philosophus particularia corpora,q̄ sunt vniuersi partes posse dupliciter considerari: Primo,ex parte generis,& quatenus corpora sunt, ac ita perfectione sunt prædita.

Secundo ratione propria,quatenus sunt partes alijs partibus iunctæ, multitudinis conditionem subeuntes,qua consideratione diminutionem aliquam includunt;Primo,quia pars comparata cum toto,caret perfectione totius. Secundo, quia multitudo comparata cum vno cuncta includente, similiter imperfectionem denotat. (Ipsum autem Omne,cuius hæ sunt partes, &c.)Hæc est pars Tertia, in qua colligitur vniuersum corporeum mundum vtraque consideratione esse perfectum. Primo est perfectus ex parte generis, quia est Corpus; Secundo ratione propria, tum quia non est pars, sed totum, & vniuersum, tum insuper quia est vnum quoddam totum, & absolutum non multitudine prę-ditum.

ANNOTATIONES.



CONSIDERO Primo,tria elici ex pręsenti Contextu. Primum est, mundum esse subiectum horum librorum: nam inaniter mundi perfectio & præstantia pate-fieret,nisi esset id de quo futurus est sermo. *Prima consideratio. Ex cont.tria elici. Primum.*

Alterum est, quod conspicue falluntur nonnulli, putantes quod dum Arist. in principio li ti ait scientiam de natura versati circa corpora & magnitudines, addi magnitudines,ob eos qui putant dari Atomos,quę corpora sunt,non autem magnitudines: falluntur inquam, quia fautores Atomorum vt dicebant eos esse corpora indiuidua,ita affirmabant esse magnitudines indiuiduas,ideo Arist.ait, non cō-stare an magnitudines omnes continuæ sint diuiduæ. *Secundum.*

Tertium est,diuisio perfecti:nam dupliciter aliquid potest dici perfectum;vel secūdum genus, vel secundum propriam speciem;id dicitur perfectum genere, quod includit conditionem generis,specie vero, quod est particeps potioris differentiæ & conditionis,quæ distinctio traditur in 5.Metaphys.Contex.21. *Tertium. Perfectio duplex.*

Considero secundo, quod Arist.ait non constare ex dictis, num omne continuum sit aptum diuidi, at hoc est dubium: quia iam est ostensum in sexto libro Physicorum,& patefactum continuum non constare ex indiuiduis. *Secunda cōsideratio.*

Respondeo,Arist.ait hoc non constare ex antea dictis,hoc est ex dictis in hoc procemio,& ita loquitur,quia quamuis in sexto Physicorum sit ostensum, continuum non constare ex indiuiduis, tamen non distincte est reiecta opinio Democriti & Leucippi oppositum affirmantium, sed in progressu, nimirum in 3. lib. de Cœlo id efficietur.

Considero Tertio, quod Arist. ait constare ex dictis, omne aptum diuidi esse cōtinuum;quod dubitatione non caret, cum etiam numeri in partes diuidi possint, similiter, grana frumenti in area diuiduntur. *Tertia consideratio. Dubitatio.*

Respondeo,sola continua proprie diuidi, quia solum eorum partes communi termino iunctæ sunt,discreta autem vt discreta,semper seiuncta sunt,& solum diuidi potest congregatio non continuata: competit itaque soli continuo pro- *Solutio.*

pria

pria diuifio connexioni per communem terminum oppofita, difcretis vero fola diuifio oppofita congregationi.

4. Confideratio. Confidero quarto, quod Arift. declarans partes abfoluta perfectione carere, ait, id eis competere, quia ad proximum terminantur, & ideo modo quodam vnamquamque effe multa.nam quatenus termino funt prçditæ,non funt omniquaque,fed termino coarctatæ,adeo,vt ei poffit aliquid addi; Infuper, cum fint partes, carent conditione totius, quæ eft conditio perfectionis. Demum, cum terminentur ad aliud,indicant multitudinem oppofitam vnitioni, quæ etiam eft perfectio: Sic centrum circuli quamuis fit punctum, vnum tamen, vt terminus multarum linearum multiplex eft.

5. Confideratio. Quinto loco dubitatio occurrit, quia Arift. inquit particularia corpora non vndique perfecta, quia vnumquodque eorum modo aliquo multa eft, & Auer. ait ob dimenfionem reperiri multitudinem fub fpecie.

Num multitudo prodeat ex imperfectione. Quæritur itaque, num multitudo ex imperfectione prodeat, imperfectionẽque denotet? id enim videtur abeffe a vero,tum, quia multitudo prodit ex fçcunditate,tum infuper,quia perfectio quo magis eft extenfa, eo potentior redditur & melior. confirmatur:quia fic Trinitas, & corpus Trinitate præditum imperfecta effent;fimiliter ftellæ firmamenti imperfectiores effent Luna,& melius effet habere oculum vnum,quam duos,& digitum vnum,quam quinque.

Lud. Boccafer. Ludouicus Boccafer. quem fequitur Mainettus, ait Arift. comparare mortalia quæ fub fpecie funt numero plura cum æternis numero fub fpecie non multiplicatis; Quæ fententia approbanda non eft: quoniam Arift.comparat corpus vniuerfi cum eius partibus, in quarum numero eft Cœlum, quod eft æternum, & vt pars caret perfectione.

Solutio. Pro folutione quattuor ftatuenda cenfeo. Primum eft, quod multitudo eft triplex,Genere,Specie,Numero.

Alterum eft,quod multitudo & imperfectio ex eodem fonte prodeunt, nimirum ex receffu a Deo,& ex materia fiue modo materiæ qui poteftas eft.

Addo Tertio,quod multitudo oritur ex imperfectione, cum ortum ducat ex materia & potentia:eft fignum imperfectionis, quia parata eft vt id quod in vno feruari non poteft,feruetur fucceffione multorum: eft perfectio fecundum extenfionem, & ducit ad perfectionem, eft enim tanquam medela imbecillitatis, medela autem recipit occafionem ex imbecillitate. eft fignum eius,fecũdum fe autem eft bonum aliquid,& ducit ad bonum.

Sententia Arift. Quarto dico, fententiam Ariftotelis ita effe intelligendam, melius eft includere vniuerfam perfectionem fimul iunctam, quam eam feiunctam in partes, dum enim feiuncta eft,nulla pars vniuerfam includit, & nulla pars feruat conditionem totius, quod totum cum perfecto reciprocatur; Sic Deus præftantiffimus vnitiffime includit omnem perfectionem contentorum fub eo, & corpus mundi includit vniuerfam extenfionem dimenfionum corporis fimul iunctam. Hæc funt vera de omni multitudine & generum,& fpecierum, & indiuiduorũ.

Fundamentum. Fundamentum huius fententiæ ex Platone depromptum eft, quia vnum eft eminentius bono,& fupra bonum eleuatum,hinc cuncta eo meliora quo magis ad vnum eleuantur; Ex Arift. vero aliud depromitur fundamentum, quod eft, quia ens,vnum, & bonum, reciprocantur, ideo maxime vnum, maxime ens, & maxime bonum eft.& 2.Cœli 22. Prius natura in omni genere eft vnum multo & fimplex compofito. Rationes aduerfæ facile reijciuntur; Dicebatur primo, multitudinem ex fçcunditate prodire.

Diluuntur rationes aduerfæ. Refpondeo, multitudinem effe bonam fecundum extenfionem,& præfertim dum pars quælibet feruat conditionem totius, vt indiuidua fpecierum,& prodire id bonum ex fçcunditate parentum, ea tamen fupponit potentiam materiæ, & parata eft pro medela mali, & melius effet quod poffet feruari fpecies fine ea multitudine.

Addebatur,quod virtus magis extenfa eft potentior.

Refpondeo,Arift. compatat vnum cuncta includens, veluti mundum cũ partibus

tibus

tibus eius diuisim consideratis, id autem vnum non impotentius est, sed cumulatius perfectione est præditum.

Insuper dicebatur, quod sic Trinitas & corpus, ea prędita imperfectiora essent vnica dimensione & linea, at hoc ad rem non facit: quia Arist. comparat totum cum vnitione cuncta includens cum eius partibus, quale est corpus comparatu in cum antecedentibus magnitudinibus, & mundus comparatus cum partibus. Addebatur: quod sic stellæ firmamenti innumeræ imperfectiores essent Luna.

Respondeo, id euenire, si Luna cum vnitione includeret cuncta diffusa per stellas, vt mundus suas partes. Solum ex dictis Arist. inferre valemus, quod octaua sphęra simul tota præstat singulis eius stellis diuisim consideratis. Similiter, non sequitur melius sit habere oculum vnum, & digitum vnũ, quia hæ sunt partes non includentes virtutem totius, sed manus tota præstat digitis partibus suis, & oculus quilibet tanquam totus præstat suis partibus.

Sexto & postremo loco, quia Arist. ostendit corpus vniuersi omni ex parte esse perfectum; de mundi perfectione superest aliquid esse dicendum. Res ex causis pendens, vt ex causis habet vt sit, ita ex eisdem habet vt sit perfecta, perfectio enim est conditio rei & forma ex efficiente propter finem in materia recepta. Ex his omnibus conspicua refulget perfectio mundi; nam parens & servator eius est Deus; hinc dicitur Dei filius, & sensilis imago insensilis Dei. Similiter est eius finis, cui inseruit & cuius gloriam enarrat; Materia eius sunt corpora cuncta: hinc dicitur constare ex vniuersa materia; Forma est ordinata cunctorum series, adeo, vt omnis eius causa vniuersitatē patefaciat, & vndique vniuersi conditionem constituat. At dubia nonnulla diluenda occurrunt. *6. Considera tio. De mũdi perfectione.*

Primum est cum rationibus efficacissimis possit patefieri perfectio mundi, cur Arist. tam leui ratione eam censuit ostendendam? *Dubitatio prima.*

Insuper, includens mala non meretur dici perfectum, mundus includit vniuersa mala, interitus rerum, & deprauationes. *Secunda.*

Insuper, ait Arist. verum esse adagium illud quod semper noui aliquid affert Africa, quia in ea frequenter nouæ species Animalium gignuntur, & Theologi aiunt Deum posse mundum hunc augere, & nouas in eo species generare. *Tertia.*

Demum, solus Deus est absolute perfectus, quare nõ mundus, & præsertim quia est vnus, non trinus, non omne, totum & perfectum, quæ ternario cõpetūt. *Quarta.*

Pro solutione dico, perfectum esse duplex, vel absolute, & sic solus Deus est perfectus, ita vt sit vniuersa absoluta perfectio, vel in genere aliquo, ac ita in genere corporum mundus est perfectus: Qui mundus tripliciter considerari potest, vel vt est subiectum huius libri, ac ita est perfectus, vt constat ex omni graui, leui, & neutro corpore; vel vt consideratur in vniuersa inspectrice Philosophia, ac ita est perfectus, quia est cunctorum subordinata series & plenitudo specierum; vel tertio, vt pertinet ad dicta in hoc procemio, & est perfectus, quia est corpus vniuersum absolute, non pars alterius. Rationes aduersæ facile diluuntur. *Solutio.*

Quærebatur Primo, cur tam leui ratione modo sit vsus?

Respondeo id factum esse, quia res est conspicua, nec exposcit exactam ostensionem. *Solutio aduersarum rationum.*

Insuper, in procemijs non sunt expetendæ ostensiones exactæ. Præterea genera causarum mundi ex quibus perfectio refulget, non considerantur in hoc procemio, sed in vniuersa inspectrice Philosophia, quæ tota in hoc versatur. Vsus autem est ratione deprompta ex corpore, tum quia hoc est satis notum, tum insuper, quia est commune cunctis consideratis in sciētia de natura, vt pręassumpsit, & ob id hac ratione redditur conspicuus principatus horum librorum inter libros corpora considerantes.

At instabatur, quia mundus includit mala.

Respondeo, mundus vt sit vniuersum, debet constare ex cunctis rerum gradibus in vnum versis, mala naturæ sequuntur imbecillitatem materiæ, quæ tamen Dei prouidentia diriguntur in bonum. *Quo mũdus includat mala.*

Insuper, omnia quæ sunt, vt sunt bona sunt, prauus frequenter est vsus eorum. Addebatur approbari adagium, quod noui semper aliquid affert Africa.

Respondeo, id nouum (vt ait Arist.) esse species denuo productas, ex coitu Animalium distinctæ speciei, quarum vniuersa perfectio in parentibus includitur, & earum generatio est potius degeneratio, & peruersio legum naturæ, quam Physicus ortus. Addebatur, solum Deum esse perfectum.

Respondeo, id esse verum absolute, at in proprio genere multa perfecta sunt. Quod Deus valeat hunc mundum augere, & nouas in eo producere species nō cognoscunt nec concedunt Philosophi, ex sententia Theologorum recte sentientium.

Dico primo, mundum esse perfectum inter ea quæ sunt, & cum suis partibus comparatum, includit enim omnia quæ sunt.

Insuper, ita constitutus mundus est perfectus, quia ita Deus iudicauit, & præfiniuit eum esse creandum. Iudicium autem Dei est mensura rerum. Demum dicebatur, quod cum mundus sit vnus, non est omnes, nec ternario est præditus.

Respondeo, quod quamuis non sit omnes, quod de discretis dicitur, est tamē totus, & perfectus, vt ei competit.

Insuper, includit ternarium cum vnitione, vt præditus est trina dimensione, principio, medio, & fine, & constat ex ordine immobilium, mobilium æternorum, & mobiliū mortaliū, & demum, ex ordine grauium, leuium, & neutrorū.

Contextus Quintus.

DE ipsius itaque vniuersi natura, siue sit mole finita, siue infinita posterius erit agendum; De ijs autem quæ sunt partes eius secundum speciem, nunc dicamus, hoc sumpto principio.

Intentio.



Atefacta subiecti, nimirum mundi præstantia, modo in calce procemij quæ de eo sint declarāda proponit, hæc enim procemij est necessaria conditio, vt proponantur ea de quibus est agendum.

Diuisio. Diuiditur Contextus in duas partes; in Prima proponitur id, de quo posterius erit agendum, nimirum num vniuersi natura sit mole finita, vel infinita; in Secunda proponitur id quod prius est explicandum, & est, quæ sint partes eius non molis, sed specie distinctæ, ex quarum ordine consurgit species, hoc est forma mundi; addit hoc facto principio indicans absolutum esse Procemium; & sequi exequutionem propositorum.

ANNOTATIONES.

1. Consideratio.



ONSIDERO Primo, conditionem Procemij esse hortari, dirigere & parare ad dicenda; direxit nos Philosophus proponendo considerandum mundum tanquam scopum; hortatus est patefaciendo præstantiam eius; parauit ad dicenda, patefaciendo quæ, & quo ordine sint consideranda, per quæ conspicue manifestat mū dum esse subiectum, cum hæc proponat declaranda de natura vniuersi, & simplicia corpora nuncupet partes eius, nam sunt partes & principia eius, & putandum est ea ita considerari vt proponuntur consideranda.

2. Consideratio. Considero Secundo, ea prima verba. (De vniuersi natura siue infinita sit mole,

mole,&cęt.)ait natura,quia a Physico mundus consideratur vt natura constans, & omne natura constans corpus est, de quo occurrit considerandum an sit finitum,vel infinitum mole,& iure: nam de eo dictum est quod est vndique,& omniquaque; & hoc primo occurrit considerandum: quia sine eius explicatione nec figura,nec numerus, nec alia multa nosci possunt; id tamen non potest fieri nisi primo appareant partes,illud constituentes,& ait sine infinita sit mole,quia mundus quattuor modis potest dici finitus,vel infinitus,primo numero, vt Democritus dixit dari mundos numero infinitos. Secundo,vniuersa mole, vt Anaximander dixit terram suis radicibus in infinitum descendere, & extendi. Tertio,mora & tempore.Quarto,diuisione,vt continuum est;mundus primis duobus modis finitus est,reliquis infinitus. *Mūdus quatuor modis finitus vel infinitus.*

Considero Tertio,quod Arist.in primo libro loquitur de mundo toto; in secundo,de parte æctherea,in Tertio,de Elementari; non potest tamen in hoc primo declarare an sit infinitus mole nisi primo ostendat quæ sint partes illum cōponentes,ex quibus pendet quod sit finitus vel infinitus, ideo primo ait agendū de partibus eius secundum speciem, de quibus solum declarabit numerum, & conditionē Cęli, per qd varia mundo cōpetunt, reliqua suis locis explicabūtur. *3. Consideratio.*

Considero Quarto, simplicia corpora dici partes secundum speciem: Nam mundo quadruplici consideratione possunt partes competere: *4. Consideratio.*

Primo,secundum essentiam,vt materia & forma sunt partes compositi. *Mundo partes.*

Secundo,secundum molem, vt partes quantitatis eius.

Tertio,secundum absolutam eius perfectionem,vt est series cunctarum specierum & plenitudo,& sic Plantæ & Animalia sunt partes eius.

Quarto,vt constat ex ordine simplicium corporum,veluti in hoc libro consideratur,qua consideratione modo simplicia corpora dicuntur partes eius secūdum speciem:Et nuncupantur partes secundum speciem,quia sunt specie distinctæ,& suo ordine constituunt speciem,hoc est formam mundi, & dicuntur secū dum speciem & formam, vt contra distinguuntur a partibus secundum materiam,per quam continuum in partes Quantitatis diuidit.

At dubitare quis posset, cum simplicia corpora sint materia mundi, quomodo dici possunt partes secundum speciem,quæ formam denotat. *Dubitatio.*

Respondeo, distincta ratione vtrumque esse verum: quia sunt materia non prima,sed proxima & formata, vt nerui & caro sunt materia hominis proxima, & secundum se considerata sunt distincta specie, & hoc præsertim de simplicibus corporibus dici potest, quatenus nedum vt formata distinguuntur specie, verum insuper suo ordine formam mundi constituunt. *Solutio.*

Contextus V. & VI.

Omnia Physica corpora, & magnitudines secundum se mobiles loco esse dicimus, Naturam enim asserimus esse in eis principium motus, Omnes autem motus secundum locum, quem lationem dicimus,vel est rectus,vel orbicularis, vel ex his mixtus,simplices enim hi duo soli sunt.

Propterea, quod & magnitudines hæ duæ solæ sunt simplices recta & orbicularis,orbicularis motus is est, qui fit circa medium, rectus qui sursum & deorsum tendit,nuncupo motū sursum qui a medio,deorsum qui ad mediū est.

Quare necesse est lationem omnem simplicem, aliam esse a medio, aliam ad medium, aliam circa medium; & videtur hoc recta ratione sequi ea quæ in initio dicta sunt, nam corpus tribus perficitur, similiter & motus eius.



ERVATVRVS Philosophus ea, quæ est pollicitus, & loquuturus de partibus mũdi specie distinctis, qualia sunt simplicia corpora, præsertim tenetur verba facere de corpore Cœlesti, per quod multa mundo competunt, vt patefaciat aduersus veteres Philosophos illud esse naturæ & conditionis distinctæ a cõtentis sub eo, initiũ sumit a motu secũdum locum communi cunctis corporibus, & maxime patefaciente cõditionem Naturæ quæ est internum principium eius.

Intentio.

Diuisio. Diuiditur præsens Contextus in tres partes, in Prima accipit Philosophus cuncta Physica corpora moueri motu secundum locum, & ait secundum locum, quia hic solus est communis cunctis, idque confirmat per definitionem Naturæ traditam in secundo Physicorum.

In Secunda parte diuidit motum secundum locum, in rectum, orbicularem & mixtum, ostendens motus simplices solum esse duos, sumpta ratione a simplicibus magnitudinibus, quæ duæ solæ sunt, recta, & orbicularis.

In Tertia circumscribit motus simplices per relationem ad medium vniuersi, colligens motus simplices esse tres, duos rectos & tertium in orbem, quem numerum recta ratione ait respondere ternario numero dimensionum perficientium conditionem corporis, verba autem sunt conspicua.

ANNOTATIONES.



1. Consideratio. ONSIDERO Primo, quod Aristoteles orditur a definitione Naturæ & corporis Physici tradita sub initio secundi libri Physicorum, conspicue patefaciens commune subiectum eo loci fuisse definitum, non autem in proœmio huius libri, vt perperam sentit Auer.

2. Consideratio. Considero Secundo, quod vt natura, ita eius definitio, & attinentia ad eam non sunt aliquid vniuocum; sed ab vno, Natura enim Primo dicitur de forma, secundo de materia, insuper ordine dignitatis primo dicitur de Natura æternorum, ordine autem proprietatis Primo dicitur de Natura mortalium.

Insuper, Primo dicitur principium motus, mox quietis, & primo motus secundum locum, mox cœterorum, Arist. in secundo Physicorum (vt eo loci patefeci) definiuit Naturam mortalium vt notiorem, nobisque magis familiarem, id autem ita fecit, vt paucis mutatis ea definitio reddatur communis etiam naturæ æternorum; Duo sunt quæ mutari debuerunt, primo non debuit accipi motus omnis, sed is solum qui est secundum locum; Secundo debuit dimitti quies, & hoc seruauit Arist. nam cum in Secundo Physicorum definiens Naturam mortalium dixerit esse internum principium motus & quietis, modo eleuaturus eam definitionem ad naturam cœli, contrahit motum ad eum qui est secundum locum, & prætermittit quietem, ex quo etiam patet, quod Arist. non late sumpsit nomen quietis, vt putarunt Simplicius, & Philoponus, adeo, vt etiam competat Cœlo sed proprie, ideo modo eam Cœlo non tribuit.

Dubitatio. Sed instabit aliquis, quia consequutio a genere ad speciem inanis est, non enim ex eo quod est animal, inferre valemus quod sit homo. Similiter ex eo quod Natura est principium internum motus, non videtur posse necessario inferri, quod sit initium motus secundum locum, qui species est.

Solutio. Respondeo, id posse fieri, si non ratione formæ ostensionis, saltẽ ratione materiæ, quia motus secundum locum est talis, vt competat omnibus corporibus Physicis, & cum sit prior cœteris, nulli competunt alij, cui ipse non competat.

Præterea, id ipsum potest colligi, quia definitio Naturæ ita sumenda est, vt

Natura

Natura sit internum principium cuiuslibet motus Physici, quibus competit.

Considero Tertio, quod Aristot. ait omnia Physica corpora, quæ substantiæ sunt, addit & magnitudines, denotando dimensiones quæ sunt accidentia eius, quia sine illis non competeret eis motus, indiuisibile enim nec est in loco, nec mouetur, & mox diuisurus motum secundum locum, ait, quem vocamus lationem, & ait, vocamus, quia vt nos docet in quinto Physicorum, Contex. 18. quamuis nomen lationis dicatur de omni motu secundum locum, tamen non proprie dicitur de quolibet, sed de motu eorum, in quorum facultate non est vt quiescant, & quæ non se mouent, adeo vt motus animalium non proprie dicatur latio sed grauium, leuium, & neutrorum simplicium corporum, & præsertim eorum quæ vehuntur ab alio. *3. Consideratio.* *Latio quæ.*

Considero Quarto, quod hoc in loco, & in octauo Phys. 75. diuiditur latio in rectam, orbicularem, & mixtam adeo vt latio omnis, vel sit simplex, vel mixta; Simplex, vel secundum sensum, vt est ea quæ est mixtorum, vel absolute, vt simplicium, hæcque vel recta est, vel in orbem, recta vel sursum, vel deorsum; Contra vero, latio mixta est triplex, vel ex recta, & recta, vel ex orbiculari, & orbiculari, vt latio Planetarum, vel ex recta & orbiculari, vt descensus, vel ascensus per Elicem, & motus proiectorum. *4. Consideratio.* *Diuisio lationis.*

Quinto loco occurrit dubitatio, quia etiam motus per figuram Elicis videtur simplex, qualis est motus Planetarum diurnus, qui non est ab eodem ad idem; quod ostenditur, tum quia est consimilis, tum insuper quia motus simplicium simplex esse debet. Planetæ autem sunt corpora simplicia. *5. Consideratio.* *Dubitatio an mot⁹ per figuram Elicis sit simplex.*

Respondeo, non sequi, est consimilis igitur est simplex: nam etiam propriè mixta consimilia sunt. *Solutio.*

De motu autem Planetarum tria dico; Primum est, si consideramus congregationem motus proprij eorum cum motu diurno, hic non est motus vnus simplex sed duo iuncti, non autem proprie vnus mixtus, quia non sunt contrarij, vera autem mixtio est ex contrarijs. *Motus Planetarum.*

Dico Secundo, si consideramus motum diurnum eorum, non est absolute simplex, quia non est ab eodem ad idem.

Addo Tertio, si consideramus motum proprium eorum, ille potest dici simplex, cum sit ab eodem ad idem, est tamen iunctus cum diurno tanquam cum motu totius, vt motus proprius partium hominis necti potest sine sui euersione cum motu totius: sic seruatur: quod omnis corporis simplicis est motus proprius simplex, qui tamen seruata sua simplicitate, potest aliquando necti cum alio non ei contrario.

Considero Sexto, quod motus rectus grauium & leuium simplicium, non videtur simplex, immo non motus in orbem: de recto ostendo, quia in principio est tardior, in fine velocior. *6. Consideratio.* *An motus rectus simplex sit.*

Confirmatur: quia non reperiuntur Elementa pura, sed permixta, quare nec motus eorum est simplex. Similiter motus orbicularis non videtur simplex ob varietatem circulorum sphæræ maiorum & minorum in infinitum, ab Aequatore vsque ad Polos, qui quo sunt minores, eo mouentur tardius; insuper, sphæra dum reuoluitur simul mouetur secundum partes & tota quiescit, cum vniuersa non mutet locum. *De orbiculari motu.*

Pro solutione dico, mobilibus varijs varium competere modum simplicitatis, & in vnoquoque simplicitatem eam optare debemus, quæ eius conditioni est consentanea; In vniuerso suprema sphæra maxime mouetur motu simplici, Planetæ mouentur motu proprio simplici, iuncto tamen cum motu totius non destruente simplicitatem proprij, quia non est contrarius, nec constituitur ex eis motus vnus vt in propria mixtione; Elementa adhuc minus proprie simplici motu mouentur. Instantiæ diluuntur, dicebatur motum rectum in progressu reddi velociorem. *Solutio.*

Respondeo, id esse proprium conditioni eius, nec ob id dici mixtum, cum interuallum sit simplex, nec adsit remissio per contrarium; Addebatur, non dari Ele-

ri Elementa pura. Respondeo, non ob id esse proprie mixta, nec semper competere remissionem eorum grauitati & leuitati, per quam mouentur; & demum, vt Elementa sunt absolute pura, saltem secundum imaginationem, ita motus eorum est absolute simplex. De motu orbiculari Cęli, dico illum esse simplicem, & ex parte interualli, & ex parte motoris, & ex parte consimilis velocitatis motus circulorum apud nos non est simplex, quia non fit circa medium vniuersi, sed partes eorum modo accedunt, modo recedunt ab eo.

Similiter, si darentur circuli Eccentrici & Epicicli, eorum motus non esset simplex, at orbium concentricorum motus proprius simplex est, varietas circulorum orbis velociorum & tardiorum, non reddit motum mixtum, quia ei non competit mixtio, nec ob interuallum nec ob mixtionem, cum contrario motu, & præsertim, quia nos totum inspicere debemus non partes seorsum, quibus competit motus ex accidenti. Præterea, motus ille quamuis non sit omni ex parte consimilis ex parte velocitatis, est saltem consimilis ex parte regulæ & proportionis partium, cum apparuerit simplicitas motus recti & orbicularis.

7. Consideratio. *Qui motus sit simplicior.* Septimo loco occurrit considerandum, facta comparatione inter eos, quis eorum magis simplex iudicari mereatur: Nam rectus ex vna parte videtur simplicior, quia vt magnitudo se habet ad magnitudinem, ita motus ad motum, sed recta est simplicior orbiculari magnitudine, quia linea recta figuram non constituit vt vna orbicularis, quare motus rectus videtur simplicior. Ex aduerso, cum Cęlum sit prius Natura & simplicius elementis, videtur simpliciore motu, debere moueri.

Solutio. Pro solutione dico primo, propriam comparationem versari inter ea quæ sint eiusdem generis proximi & vniuoci, qualis non est motus simplex vniuerse sumptus.

Dico Secundo, motum orbicularem esse puriorem, cum careat contrario, & competat corpori puriori.

Addo Tertio esse magis vnum, & sibi consimilem, quia non intenditur in progressu vt rectus.

Dico Quarto, omnino esse immunem & liberum a violentia, cum motus rectus multiplici violētiæ sit obnoxius tum ex parte mobilis, quod est extra suum locum, tum ex parte medij, a quo impellitur a tergo, & quod violentia diuiditur, tum ratione partium mobilis, cum solum centrum recte tendit ad centrum mundi, non autem partes ei iunctæ. Insuper videtur simplicior ex parte motoris, qui simplicior est, & nulli varietati o noxius. Similiter, referendo motum rectum ad orbicularem, orbicularis est terminus & mensura recti, & est ab eodem ad idem, non inter contraria, vt rectus qui ex contrario in contrarium est. Demum, motus orbicularis ex se definitus est, rectus autem ex se termino caret, & est indefinitus.

Motus in orbem simplicior est. Ex his elicio motum orbicularem debere absolute dici priorem & simpliciorem. Ratio sumpta ex magnitudine soluitur Primo, quia aliud est considerare magnitudinem consideratione Mathematica, seiuncta a materia sensili, aliud eam considerare cum materia sensili, ex qua prodeunt in motu recto multæ impuritates, oppositiones, & inconstantiæ, vt apparuit.

Addo Secundo, per motum corporum non constitui lineas, sed figuras recti lineas, & orbiculares, quarum orbicularis est simplicissima.

8. Consideratio. *Consequutio formata ab Arist. an dubium vertitur.* Octauo consideranda occurrit ratio & consequutio formata ab Aristotile, dicente motus simplices solum esse duos, quia duæ tantum sunt simplices magnitudines; Primo non constat quomodo intelligi debeat; Secundo, non constat in quo genere magnitudo sit causæ.

Insuper, consequutio videtur carere necessitate, quia solum sequitur motus simplices posse esse duos, non autem quod sint, at ex posse non potest inferri esse.

Solutio Auerrois. De primo Auerroes magnitudines refert ad mobilia, quod non videtur approbandū: quia non semper figura motus respondet figuræ rei mobilis, potest enim

etiam

etiam sphæra descendere motu recto, vt patet de marmorea, & præsertim quia Elementa nullam sibi figuram exposcunt. *Euersio.*

Propterea rectius Græci interpretes figuram magnitudinum referunt ad interuallum in quo fit motus; & iure: nam motus est quidam fluxus respondens interuallo in quo fit, & denominatur ab eo quod acquirit, & in quo fit; Hinc Arist. in 5. Phys. Contex. 44. ait motum non posse esse consimilẽ, nisi in magnitudine consimili fluxa, & per elicem non est consimilis, hoc autem consideratur in figura interualli, non autem rei mobilis, & hæc non est propriè causa simplicitatis, sed aliquid sine quo motus non esset simplex, & conditio eius solum potest dici modo quodam cõmunis forma eius, dico communis, quia pro exacta simplicitate etiam alia requiruntur. *Græci.*

At quæret aliquis, vnde pateat magnitudines simplices solum esse duas? *Dubitatio.*

Respondeo, apud Geometras hoc esse principium ex se notum, & ab omnibus concessum: nam simplex debet esse primum, prima diuisio magnitudinum est in rectam & orbicularem, quod patet sensu, & potest confirmari rationibus, quas missas facio. *Solutio.*

At instabatur adhuc, quia ex posse non valemus inferre esse.

Respondeo Primo, in æternis & in attinentibus ad vniuersi plenitudinẽ, quod potest esse, etiam est, vt dicitur in 3. Physicorum.

Addo insuper, quod ea duo simplicium motuum genera dari sensu constat, solum posset aliquis ambigere, num dentur alia.

Nono occurrit considerandum, cur Aristoteles tres simplices motus circumscribat per medium, inquiens eos esse a medio ad medium, & circa medium. *Nona consideratio.*

Insuper, non constat quid denotet nomine medij, num punctum vere centrũ, vel Elementum terræ. De Primo posset quis putare Aristotilem potius per circulum quam per medium debuisse motus simplices circumscribere, cum sit præstantior, & tanquam terminus & mensura motuum. *Cur motus simplices circumscribantur per medium.*

Respondeo, iure id fuisse factum. Primo, quia medium est nobis proximius, & notius. Secundo, quia extremum adhuc non constat, cum non sit ostensum mundum esse finitum. Tertio, ratione sphæræ in qua a medio sumitur initium, & mensura. Quarto, ob conditionem motus, qui cum sit fluxus, refulget per relationem ad firmum & quiescens. Demum, vt refulgeat nexus per vnum aliquod indiuiduum cunctorum simplicium motuum. *Solutio.*

At quærebatur, quid nomine medij denotetur? Themist. ait id medium esse corpus Physicum, sic in 2. lib. de Cœlo, & in libro de motu Animalium dicitur motum debere ferri circa firmum & immobile, huiusmodi autem est Terra. *Quid mediũ sit. Themistius.*

At contra, dempta Terra a medio, adhuc grauia tenderent ad mediũ vniuersi. *Euersio.*

Præterea, tunc ea descriptio nõ competeret motui Terræ absolute, non enim ea tendit ad Terram, vt est Terra, sed vt est in medio vniuersi posita; nec Ignis tẽdit sursum, vt recedat a Terra, sed a puncto medio.

Demum, mensura petenda est a minimo, & indiuiduo, quare per medium intelligere debemus punctum indiuiduum in medio vniuersi excogitatũ. Et dum Aristot. ait motum debere fieri super firmum & immobile, denotando corpus Physicum, non tradit mensuram, nexum, & circumscriptionem generis simplicium motuum, vt hoc in loco, sed conditionem motus viuentium.

Decimo considerandum est, quod Arist. confirmat ternarium numerum simplicium motuum, quia vt corpus ternario perficitur, ita & motus eius. *10. Consideratio.*

Quæ ratio videtur apprime leuis, nulla enim apparet connexio inter conditiones magnitudinum, & simplicium motuum. *Dubitatio.*

Hinc ait Simplicius, hoc non esse consentaneum diligentiæ Aristotelis. *Simplicius.*

Respondeo, pro confirmatione rei conspicuæ sat esse rationem Dialecticam, & popularem. *Solutio.*

Insuper, adest nexus & mutua aliqua similitudo, quia latio sursum respondet longitudini a puncto ductæ, deorsum profunditati, circumlatio latitudini.

Con-

Contextus Septimus.

Q Voniam autem corporum hæc quidem sunt simplicia, alia vero cõposita ex eis; Dico simplicia quæcunque secundum naturam prædita sunt principio motus, vt Ignem, Terram, & horum species, & quæ eiusdem cum his sunt generis, necesse est & motus esse hos quidem simplices, hos vero modo aliquo mixtos; & simplicium quidẽ simplices, mixtos vero compositorum, quæ mouentur per id quod dominatur.



Intentio. QVONIAM per motum ducimur in notitiam mobilium, ideo iure Arist. diuiso & descripto motu, transit ad mobile, vt pateat membra diuisionum vtriusque sibi mutuo respondere.

Diuisio. Et in hoc Contex. tria facit. Primo diuidit corpora in simplicia & composita, & circumscribit simplicia.

Secũdo, ex eis vt ex causa infert diuisionem motuum notiorem secundum esse, at non secundum causam.

Tertio, patefacit mutuam responsionem simplicium & mixtorum corporum & motuum.

Expositio. Quod pertinet ad Primam partem, ait corporum nimirum Physicorum, quædam esse simplicia, alia ex eis composita & mixta, & ait quoniam indicãt se hoc proferre vt motum, sensu enim constanr membra diuisionis, & sensu constat resolutio compositorum in qua non potest dari progressus in infinitum. Circumscribuntur simplicia corpora, quia sunt ea quæ Primo, & secundum se prædita sunt principio Physici motus, veluti Ignis, Terra, quæ extrema sunt, & horum species & varietates, quia pura non sunt, vt lapides, flammæ, & quę eiusdem sunt generis, hoc est, sunt ex genere simplicium, quod est genus ab vno, vt Aqua & Terra; de Cœlo non distinctam fecit mentionem, quia adhuc non patefecit esse distinctæ naturæ. (Necesse est & motus esse hos quidem simplices, &cæt.) In hac Secũda parte ex diuisione corporum vt ex causa, infertur diuisio motuum, quæ ratio dat causam, quia simplex corpus includit naturam simplicem, & est mobile simplex, quæ duo vt effectus sequitur motus simplex, non autem dat esse, quia motus est nobis notior, nisi forte quo ad esse simplex vel mixtum secus se habeat, & ait motus esse modo aliquo mixtos, tum quia eorum mixtio potest esse multiplex, tum insuper, quia vera mixtio non motuum sed corporum est. (Et simplicium quidem simplices &cæt.) Hæc est pars Tertia, in qua explicatur mutua responsio mobilium & motuum, quæ solum est vera de motu secundum naturam, non de violento: nam dum causa æquatur effectui, sequitur reciprocatio, & si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, & vice versa; Mixta autem dicuntur moueri per Elementum dominans, & hoc additur, non quia non dentur Elementa pura, vt ait Simplicius: nam Arist. hoc profert de proprie mixtis contradistinctis a simplicibus siue puris, siue impuris: Sed hoc additur Primo, vt manifestetur a quo fiat motus mixtorum cum apparuerit a quo fiat motus simplicium; Secundo. vt soluatur instantia contra descriptionem simplicium, & manifestetur eis solum competere vt secundum se sint prædita interno principio motus Physici.

ANNO·

ANNOTATIONES.



ONSIDERO Primo, quod Arist. primo ex diuisione motus intulit diuisionem mobilium, in hoc autem Cõ text. ex diuisione mobilium infert diuisionẽ motuum, vtens non consimili Circulo, sed Regressu cum varietate quæstionum, progrediens ab esse ad causam, & rediens assignando propter quid; quo Regressu & in 8. Phys. & alibi vtitur. *Consideratio 1.* *Regressus.*

Considero Secundo, circumscriptionem simplicium corporum quæ est esse prædita principio motus secundum naturam; quæ descriptio etiam competit mixtis, & præsertim Animalibus. *2. Consideratio* *Dubitatio.*

Confirmatur dubitatio, quia Arist. sub initio secundi Physicorum de corpore Physico vniuerse dixit, esse preditum interno principio motus, & per hoc seiunxit vniuerse Physica ab Artificiosis; immo in 5. Contex. huius libri, vniuerse assumpsit omnia corpora Physica esse prædita principio motus secundum naturam.

Pro responsione dico, motum Physicum vsurpari dupliciter; vel pro contra-distincto ab Artificioso, & sic omne corpus Physicum & præsertim Animatum est præditum interno principio motus. Secundo, vsurpatur pressius pro contra distincto ab Animario prodeunte ex natura, infra animam posita; in qua significatione sumitur in definitione simplicium, qui motus primo competit simplicibus, mixtis autem per simplicia dominantia, vt ait Arist. & iure in hac significatione modo consideratur, quia hic est ille motus qui nobis patefacit conditionẽ mobilium, non autem Animarius, intentio autem Arist. modo est nos ducere in cognitionem simplicium mobilium. *Solutio.* *Motus Physicus duplex est.*

At Tertio loco diluenda occurrit non leuis instantia, quia si Aristot. motum considerat prodeuntem a natura infra Animam posita, non poterit per huiusmodi motum indagare conditionem Cęlestis corporis, cuius motus ab Anima siue ab Intelligentia prodit. *3. Consideratio.* *Dubitatio.*

Pro solutione dico, motum Cœli eminentia quadam includere conditiones omnium motuum mortalium, ille enim relatus ad motorem, est Animarius, & recta ratione productus, relatus autem ad mobile, est Physicus respondens motui simplicium corporũ, quatenus Cœlum est ex se actu non egens alio actu, & est procliue ad motum in orbem vt Elementa ad motum rectum. *Solutio.*

Quarto explicanda se offert sententia Arist. dicentis mixta moueri per Elementum dominans: nam quomodo hoc fiat, opiniones sunt variæ, vt variæ sunt sententiæ de modo quo Elementa seruentur in mixto: Nonnulli enim putant in mixto quinque formas reperiri, quattuor Elementorum & quintam mixti, vt putarunt Zimara, Suess. & alij nonnulli; & cum de hoc consentiant, dissentiunt de modo conspirandi ad motum. Nonnulli aiunt formam Elementi dominantis, primo mouere & motu eius moueri mixtum motu simplici. Alij inquiunt Primo formam mixti mouere, eas autem Elementorum conspirare, velut disponentes, vel vt instrumenta, vel vt materiam proximam propensionis ad motum. Quidam Tertio aiunt, omnia inclusa Elementa mouere pro facultate, & inde consurgere motum præpotentis Elementi; Hinc Simplicius & Auer. aiunt, mixta includere plura principia motus, & per hoc distingui a simplicibus quæ vnico principio motus sunt prædita. *4. Consideratio.* *Quomodo mixta moueantur per Elementum dominans.* *Simplicius & Auer.*

Ab his ego recedendum puto, Primo, quatenus inquiunt, eiusdem mixti plures esse formas & plura interna principia motus: nam in libro de mixtione patefeci, vnius perfecte mixti vnicam esse formam. Secundo, quatenus putant motum mixtorum esse simplicẽ, iam Arist. in præcedentibus dixit, simplicium motus esse simplices, mixtos autem compositorum: nam talis est effectus qualis est cau- *Euersio.*

est causa, & si causa est remissa vel composita, non valet motus eius esse simplex, solum valet iudicari simplex sensu inspiciente simplicitatem lineę, at non ratione considerante remissionem velocitatis motus, & naturæ motoris, remissa a utem simplicitate carent.

Opinio propria. Dicamus itaque, mixti vnicam esse formam, consurgentem ex mixtione simplicium, eamque esse Naturam ex principium proprij motus conditioni eius respondentis, & quia consurgit ex formis varijs, & seruat conditiones earum, & præsertim dominantis, ideo dicuntur moueri per Elementum dominans, non secus ac colores medij dicuntur oculos mouere per contrarium dominans, quamuis sint forma vna. Forma itaque mixti ea est quæ est Natura mixtorum, & principium motus eorum, qui solum sensu, at non ratione simplex est, temperamentum ex grauitate & leuitate prodiens, ei in seruit vt instrumentum; & id ipsum est dicendum de quiete.

5. Consideratio. Quinto loco diluendæ se offerunt nonnullæ difficultates ex proxime dictis prodeuntes, *1. Dubitatio.* Prima est, quia omnis forma est essentia simplex, vt ait author sex Principiorum, & Arist. in Octauo Metaphysicę ait rerum essentias perinde ac numeros se habere, & indiuiduas esse, quare non datur forma mixta quæ sit principium motus mixti.

2. Dubitatio. Præterea, si mixta mouerentur motu præpotentis Elementi, tunc mixta ex æqualibus prodeuntia nullo motu mouerentur.

3. Dubitatio. Tertio, cum plumbum sit grauius Terra, non potest motu Terræ moueri, quia remissio minuit vires, non auget, & metalla sunt potius aquea.

4. Consideratio. Quarto in oleo dominatur Aer, vt dicitur in quarto Meteorum, id tamen fluit & mouetur vt Aqua.

Solutio primæ difficult. De Prima difficultate dico, omnem formam esse simplicem & indiuiduam secundum gradus essentiæ, at non secundum gradus indiuiduantes, per quos recipiunt magis & minus. Insuper, omnis forma & essentia est indiuidua, & ita simplex, at non omnis prima est ex antecedentibus non prodiens.

Solutio secundæ. Altera dubitatio erat de mixto æquali: At inquit Auerroes, huiusmodi mixtum dari non posse: sed hoc non satisfacit, tum, quia supposito quod detur, considerandum est quid inde sequatur; tum insuper, quia in libro de mixtione patefeci, nil repugnare tale mixtum dari, tum demum, quia motus prodit ex grauitate & leuitate recipientibus magis & minus, regula autem est, cui competit magis & minus, competit æquale & inæquale: si itaque daretur tale mixtum, quomodo se haberet ad motum & quietem? *Sententia Auerrois.* inquit Auerroes, quod non moueretur omnino, sed staret in quouis loco in quo poneretur, aut superius, aut inferius, aut in medio duorum contrariorum, & moueretur in alijs. Nonnulli interpretes tribuunt Auerroi, quod absolute dicat quod non moueretur, sed errant: nam loquitur cum disiunctione, quæ vera est pro secunda parte, nimirum, quod quiesceret in medio contrariorum, & moueretur in alijs, qualia sunt multa quæ nant in Aqua, vt oleum, ligna arida, & similia. Mixtum itaque æque graue & leue nataret in aqua, ita, vt partim nataret, partim mergeretur: nam Elementum dominari contingit dupliciter, vel absolute, vel facta comparatione, hoc secundo modo mixtum æquale moueretur à dominante.

Solutio tertiæ. Tertia dubitatio erat de plumbo grauiore Terra; Hugo vir doctus, *Opinio prima.* censuit posse dari mixtum grauius Terra, quod rationi aduersatur: nā Terra est primo grauis, & propter quod vnumquodque, id magis est.

Opinio secunda. Alij inquiunt quod est grauius Terra nobis proxima, at non ea quæ vergit ad centrum; At hi pro elucidanda veritate confugiūt ad tenebras, nunquam enim, & nusquam huiusmodi Terra grauior inspecta est.

Opinio propria. Propterea cum Galeno in libro de Elementis & de Natura humana, dico non dari Elementa absolute pura. Addo, dari mixta grauiora non Terra absolute, sed ea quæ datur. Ratio est: quia vice Aeris inclusi in Terra, includunt humorem aqueum grauiorem & condensantem. Dubitatio de oleo facile soluitur: nam cum sit grauius Aere, leuius autem Aqua, natat in Aqua.

Contex-

Contextus Octauus.

Si igitur est simplex motus, & motus ille qui est in orbem est simplex, & simplicis corporis simplex est motus, simplexque motus simplicis corporis: nam si compositi fuerit, prodibit ab eo quod dominatur, erit necessarium inuenire aliquod simplex corpus quod sit aptum sui natura ferri in orbem.



NTENTIO Arist. est patefacere simplicia corpora suo ordine mundum constituentia, vt mox de mundo verba faciat, & quia per motum ex natura prodeuntem redduntur conspicua, ideo tria de motu assumpsit: modo autem ea tria vt nota sumit pro antecedente; mox ex eis Cõclusionem infert, cuius gratia assumpta fuerunt: ea autem tria hæc sunt; Primum, quod detur simplex motus; Alterum, quod motus in orbem simplex sit. Tertium est mutua reciprocatio corporis & motus simplicis; Simulque soluitur instantia de motu mixtorum, qui sensu apparet simplex, cum fiat per lineam rectam, quamuis absolute simplex non sit ob retentionem cum motoris & mobilis, tum motus qui dicitur prodire ex Elemento dominante; mox ex eo antecedente infertur Cõclusio, & est, necessario dari Corpus simplex, aptũ sui natura ferri in orbē, Syllogismus ita formatur. Omnis motus simplex debet alicui simplici corpori per naturam competere, motus in orbem est simplex, igitur &c. *Intentio.* *Tria assumpta.* *Syllogismus*

ANNOTATIONES.



ONSIDERO Primo, quod pertinet ad antecedẽs quod Arist. id profert cum conditione, quæ cum nil ponat in esse absolute, similiter Conclusio absolute sumenda non videtur. *1. Consideratio.*

Propterea dicamus, eam debere intelligi non pro vera conditione prolata de re obscura, sed pro quia, & pro modo denotante rem conspicuam, ex sensu nobis depromptam, quasi dicat: (si ita est, vt re vera est, & ex se patet, &cæt.) nam dari motum simplicem sensu iudicare, & recta ratione approbare valemus quia in vniuerso cuncta inueniuntur, quæ pro eius vniuersitate requiruntur. Insuper si datur motus mixtus necessario datur & simplex prior eo.

Considero Secundo, quod pertinet ad solutionem instantiæ quod quamuis videatur Arist. dicere, motum mixtorum esse simplicem, re vera oppositum patefacit, inquiens prodire ex Elemento dominante: nam dominans in mixtione est remissum, nõ est purum, qua re nec motus eius, sed solum in parte est ei similis ex parte interualli recti per quod fit. *2. Consideratio.*

Considero Tertio, quod pertinet ad consequens, Aristot. solum de motu in orbem inferre dari corpus natum eo moueri non de recto: ratio est, quia de recto sensu & experientia patet, latet de orbiculari, & præsertim quia vetustiores Philosophi putarunt cœli essentiam non esse distinctam ab ea mortalium, & propterea pro patefacienda distinctione laborare tenebatur: nam Archiias, & Arist. fuere primi qui eam dixere distinctam. *3. Consideratio.*

Considero Quarto, quod loquẽdo de motu orbiculari, maxime ex eo inferre valemus dari corpus natura aptum eo moueri, tum ob eius præstantiam, tum ob *4. Consideratio.*

ob maiorem puritatem, adeo, vt formetur modo aliquo ratio a minori ad maius; quasi dicat, si motibus rectis impurioribus, & imperfectioribus respondet corpus aptum eis moueri, longe magis respondere debet motui in orbem præstantiori, puriori, magisque a violentia secreto.

Contextus Nonus.

Violentia profectò euenire potest, vt motus vnius alteri competat: at non secundum naturam, cum vna sit latio secundum naturam singulorum simplicium.



Intentio. FORMATO Entimemate quo inferebatur dari corpus aptum natura moueri in orbem; intentio Aristot. modo est, patefacere necessitatem consequutionis eius, nam posset aliquis dicere, concedo dari huiusmodi corpus, sed dico id esse vel aerem, vel ignem, quæ etiam per naturam mouentur motu recto, vt putarunt Zenarchus, & Plato; quam euasionem euersurus Arist. primo profert duas Conclusiones; mox affert rationem secundæ.

Diuisio. Prima Conclusio est; Contingere potest, vt motus vnius simplicis corporis alteri competat violentia.

Ratio est: quia violentia prodit ex externo, a quo potest vni tribui motus alterius, vt lapidi violentia tribuitur motus sursum.

Altera Conclusio est; Non potest contingere vt aliquid secundum naturam moueatur motu alterius. Ratio est: quia vnius simplicis corporis vna est latio ex natura pendens, quia eius natura vna est, ex vno autem vt est vnum solum potest prodire vnum.

ANNOTATIONES.



1. *Consideratio.* CONSIDERO Primo, quod Plato, Zenarchus, Ptolomæus, & multi veterum, putarũt Terram in medio requiescere, cætera autem Elementa dixerunt secũdum naturam moueri in orbem; motum autem rectum dixerunt esse reditum in propriam naturam, non autem ex eorum natura prodire. Quæ opinio euertitur ratione Aristotelis, dicentis vnum non posse secundum naturam moueri motu alterius; cum enim naturæ quæ sunt principia motus, sint variæ, est necesse vt etiam motus eas sequens varius sit; at, de eorum opinione in libro de Elementis cumulate disserui.

2. *Consideratio.* Considero Secundo, quod pertinet ad primam Conclusionẽ, quæ erat, aliquid posse violentia moueri motu alterius, quod oritur dubitatio, num motus violentus valeat esse simplex: nam Arist. videtur id affirmare cum loquens de motu simplici, dicat motum vnius posse alteri competere violentia.

Dubitatio an mot⁹ violẽtus sit simplex.

Solutio. Respondeo, eum posse sensu videri simplicem, & esse talem ex parte rectitudinis interualli, & simplicitatis rei mobilis, at non absolute: quia propensio rei mobilis in oppositum, destruit exactam simplicitatem.

Secunda Conclusio erat, non posse aliquid secundum naturam moueri motu alterius: quia singulorum latio secundum naturam vna est.

3. *Consideratio.* De qua Tertio loco cõsidero, qđ variæ se offerunt instãtiæ: nã instãtia est de Animalibus, quæ per propriam naturam varijs & oppositis mouẽtur lationibus.

Insu-

An latio secundum naturã vnius vnica sit.

Insuper, aer, & Aqua, per propriam naturam ascendunt in Terra, descendunt in loco Ignis collocata.

Præterea, Aqua per aquæductus nedum ex vna parte descendit, sed etiam nõnunquam per oppositam ascendit. Similiter, ea videtur ascendere, dum super illam imponitur spongia, vel aridum aliquod, vt panis, lignum, & similia.

Insuper, sublata Terra, Aer descendit, ablato Igne ascendit, quamuis eius natura sit vna.

Solutio harum difficultatum.

Solutio primæ difficultatis.

Diluuntur hæ difficultates, & Primo ea quæ sumebatur ex motu Animalium (quæ oppositis mouentur motibus) soluitur: quia modo sermo est de motu naturæ infra animam positæ, sequente propensionem rei mobilis, animal autem mouetur ab anima quæ operatur cum cognitione, & noscens varia, redditur distincta ratione varia.

Solutio secũdæ difficultatis.

Secunda dubitatio, erat de Elementis medijs, quæ ascendunt & descendunt.

Respondeo, motum denominari & mensurari per terminum ad quem ratione cuius ea semper consimiliter mouentur, cum tendant in eundem locum.

Solutio tertiæ difficultatis.

Erat tertia dubitatio de Aqua ascendente per aquæductus, & per corpora arida; de aquæductibus dico, quod aqua fluit ad loca decliuia, vt patet de fontibus & fluminibus, & in aquæductibus quantum ex vna parte descendit, tantum ascẽdit per impulsum ex altera, motus aquæ proprius est descendere in aere per lineam rectam, quomodo propensionem sequitur, vt cum ita ob impedimenta descendere non valeat, fluat supra terram, adeo, vt ille fluxus vel ascensus sequatur propensionem & motum principaliorem eius, & sit motus modo aliquo mixtus. De ascensu aquæ per spongiam, & arida, dicunt nonnulli, vt Mainettus & alij, nos decipi: quia non ascendit aqua, sed noua aqua in eis gignitur. *Mainettus.*

Euersio.

At hi cõspicue decipiuntur: tum, quia præcedens minuitur; tum insuper, quia idipsum euenit de vino in quo mersa sit spongia, cum tamen vinum non producat vinum; tum demũ, quia similiter deberet aqua in aquam vertere aerem seorsim a corpore arido, quod tamen non facit.

Sentẽtia propria.

Propterea dicamus, quod ea est tractio ab arido præter naturam, ob indigentiam humoris.

Instantia.

At instatur: quia mouens corporeum non mouet motu loci, nisi moueatur.

Solutio.

Respondeo id esse verum de mouente sine actione primarum qualitatum, at per eas potest alterando mouere, vt patet de lapide Herculeo, & Ambra: nam aridum cui ariditas præter naturam competit, trahit, & imbibit ob indigentiam humorem sibi proximũ quem tangit, sibi congruentem, & sic per connexionẽ partiũ, aliæ sibi proximum humorẽ trahunt, & si id corpus fuerit ex calefactum magis trahitur: quia magis agit, & quia humor est alimentum calidi: & demũ, quia calidum rarum a frigore aquæ condensatur, & ita trahit humorem illum condensantem; & si tale aridum fuerit non violentia sed sui natura aridum, non traheret eodem modo. *Cur calidũ magis trahat humorem.*

At adhuc instabatur: quia sublata Terra descendit Aqua, & ablato Igne ascendit.

Respondeo, quod ea est tractio a corpore connexo, quia non datur interuallum loci distinctum ab eo corporis, & est motus contra naturam propriam, at secundum naturam vniuersi, & est secundum naturam eo supposito, at non absolute, vt in 3. Moralium dixit Arist. se habere de voluntario.

Quarta consideratio.

Quarto & vltimo considero aduersus Conclusionem, quod vnum non valeat secundum naturam moueri motu alterius; posse afferri instantiam de mixtis specie distinctis, quæ frequenter eodem motu mouentur, ac ita vnum mouetur motu alterius. Soluitur ea mouentur vt grauia, vel leuia, & æque grauia æque mouentur, & ob id cuncta mouentur motu suæ naturæ congruente.

Contextus X. & XI.

INſuper, ſi motus præter naturam contrarius ei eſt qui eſt ſecundum naturam, & vni vnum eſt contrarium, neceſſe eſt, quoniam motus in orbem eſt ſimplex, ſi non competet ſecundum naturam corpori, quod eo fertur, præter naturam ei competere; Si igitur id quod in orbem fertur fuerit ignis, aut quippiam talium, latio eius erit contraria lationi in orbem; at vni vnum eſt contrarium, ea autem quæ ſurſum eſt latio, & ea quæ deorſum mutuo contrariæ ſunt.

Si vero corpus quod in orbem præter naturam fertur, aliud fuerit, alius ei ſecundum naturam competet motus. At hoc fieri nequit: nam ſi fuerit latio ſurſum, erit Ignis, vel Aer, ſi latio deorſum, erit Aqua vel Terra.

Intentio.



INSTITVTVM Ariſtot. in hoc capite eſt patefacere præter quattuor Elementa ſenſu conſpicua dari corpus quintum diſtinctæ eſſentiæ ab ea Elementorum; hoc autem facit progrediens per motum in orbem ex natura prodeuntem, & naturam ſuum principium patefacientem.

In octauo Contex. iam formauit Enthimema, ex motu in orbem ſimplici, inferendo corpus ſimplex aptum ſui natura eo moueri; laborat mox pro patefacienda neceſſitate eius conſequutionis, & euertendo ſententias ei aduerſas, & apparentes ſolutiones, quod etiam ſeruat in hoc Contex. adeo, vt ratio ex parte medii ſit vna, reliquæ ſint corroborationes eius. Et in præſenti Contex. Phyſicus id præſertim confirmat, quod tale corpus ſit diſtinctæ Naturæ ab ea Elementorum;

Diuiſio. Diuiditur Contex. in duas partes, in Prima aſſumuntur tria vt nota, & conceſſa; in Altera formatur ratio qua oſtenditur neceſſario dari corpus aptum ſui natura moueri in orbem.

Primum quod accipitur eſt, motum præter naturam eſſe contrarium motui ſecundum naturam: nam ſecundum & præter, ſunt modi oppoſiti.

Alterum quod accipitur eſt, vni vnum eſſe contrarium.

Ratio. Ratio eſt: quia contrarietas eſt diſtantia maxima, quæ vnica eſt.

Tertio accipitur, vt ſenſu notum & ab omnibus approbatum, motum in orbem ſimplicem alicui corpori conuenire, ſenſu enim conſtat Cœlum, Solem & Stellas, in orbem ferri.

His aſſumptis, in ſecunda parte hæc formatur Ratio. Cum latio in orbem ſit ſimplex, id corpus quod in orbem ferre inſpicitur, vel ita ſecundum naturam fertur, vel præter; ſi ais ſecundum naturam, hoc eſt quod volo: ſi ais præter, contra cum ſit corpus ſimplex, motus alius ſimplex ei conueniet ſecundum naturam, motus alij ſimplices ſunt recti, quibus ſi ſecundum naturam mouetur, tunc vel tendent ſurſum, & erit Aer, vel Ignis; aut deorſum, & erit Aqua vel Terra, & cum motui vni recto opponatur motus alius rectus, vni duo erunt contraria, nimirum motus rectus oppoſitus, & motus in orbem, ſi fuerit præter naturam, quare colligendum eſt, dari corpus aliud ab Elementis, quod ſecundum naturam feratur in orbem.

ANNOTATIONES.



ESSE regulam Logicam, Primo considero, quod si antecedens absolute sumptum sequitur consequens absolutum, antecedens cum modo, sequitur consequens cum eodem modo. Hoc seruatur ab Aristot.in hoc capite, referendo motum simplicem ad suam mobile: nam si datur motus simplex, debet dari mobile simplex cui primo competat; & si motus fuerit varius, primum quod eo mouetur est varium, si idem & mobile idem, si caret contrario, & suum mobile eo caret, si fit uatur consimilis, etiam suum mobile seruatur consimile; & demum, si præstat cœteris simplicibus motibus, suum mobile præstat ceteris simplicibus mobilibus. *Consideratio prima.*

Ex his elicitur dari corpus simplex, aptum sui natura moueri in orbem, distinctæ essentiæ a mobilibus motu recto, quod contrario careat, seruetur consimile, & præstet ceteris quæ mouentur motu simplici.

Considero Secundo, quod Arist. non ostendit dari cœlum, vt aiunt nonnulli, alioquin irridendus esset, nemo enim negat dari cœlum, sed solum ostendit aduersus veteres id esse distinctæ essentiæ, & conditionis ab ea grauium & leuium: nam Architas Tarentinus, & cum eo Arist. primi fuerunt qui cęlum affirmarunt esse essentiam quintam. *2. Consideratio.*

Considero Tertio, quod Aristo. Primo accipit motum præter naturam esse contrarium naturali. Fundamentum est: quia prærer naturam est recessus a natura, & distantia ab ea, quæ distantia dicitur contrarietas, & ait motum præter naturam esse contrarium naturali, quod semper verum est, non autem contra semper est verum, motum secundum naturam esse contrarium motui præter naturam ob motum Cœli, cui nil est contrarium: nam recessus semper supponit id a quo recedit, non autem contra. *3. Consideratio.*

Insuper, ea sententia præsertim est vera de motu simplici, non de mixto, vt simplicitas potest competere motui præter naturam: nam simplicia maxime distant, & illi motus opponuntur dupliciter; Primo ex parte oppositionis terminorum. Secundo, vt vnus est præter, alter secundum naturam: de mixtis autem solum est verum per participationem, vt de medijs inter contraria.

Accipit Secundo Aristo. quod vnum vni est contrarium pro quo considero. Quarto loco, fundamentum huius esse: quia contrarietas est distantia maxima, quæ vna est, hinc legitur in decimo Metaphysicæ Contex. tertio contrarietatem esse differentiam perfectam, perfectum, & maximum vnius generis, vnum est. *4. Consideratio.* *Vni vnum est contrarium.*

At occurrunt instantiæ: nam legitur in 2. Moralium Nicomachiorum, vni extremo duo esse contraria, extremum scilicet & medium: sic vno extremo contraria est virtus media, & vitium extremum, vt Auaritiæ, Liberalitas, & Prodigalitas, similiter motui & motus & quies opponuntur. *Instantiæ.*

Præterea, ita argumentor. multa non sunt vnum, & opponuntur vni, quare non vnum vni est contrarium.

Pro solutione vtendum est distinctionib. Prima est, quod contrarietas est duplex summa & media, modo sermo est de summa; Insuper contrarietas vsurpatur dupliciter, vel late, pro quamuis oppositione, vel proprie, & de hac modo est sermo. *Solutio.*

Addo Tertio, vni vna consideratione, & per conditionem vnum, vni esse contrarium, colligo vni eodem modo considerato contrarietate extrema, & proprie sumpta, vnum solum esse contrarium, Ex his elicio solutiones.

Prima erat, quia extremo extremum, & medium sunt contraria.

Reſpondeo, medium dupliciter conſiderari; Primo, vt medium, vt ita opponuntur oppoſitione non ſumma, ſed media; nam relata ad vnum extremum, ſunguntur officio alterius.

Secundo conſiderantur, vt modo aliquo ſunt extrema, & ita ſunt vere & maxime contraria, vt Auaritiæ quatenus eſt vnum extremum perturbationis, opponitur prodigalitas, vt vero conuenit cum ſuo extremo in genere Vitij, Medium quod virtus eſt ei eſt contrarium, virtus enim & vitium ſunt duo extrema ſub genere habitus.

Addebatur, motui & motum & quietem opponi, reſpondeo, id contingere diſtincto genere oppoſitionis, demum dicebatur, vnitati contrariam eſſe multitudinem.

Reſpondeo, vnum & multa dupliciter conſiderari, vel ex parte numeri numerantis, vel ex parte rei numeratæ, opponuntur ex parte non rei numeratæ, ſed numerantis, qua conſideratione multitudo eſt vnum, quia eſt vna ſpecies numeri oppoſita vnitati; qua conſideratione etiam dicere poſſumus multa eſſe vnum. At adhuc inſtatur, quia ſi vnum opponitur vni, idem opponetur ſibi.

Reſpondeo, vnum non opponi vni ex parte numeri, ſed ex parte rei denotatæ. quia vna forma alteri formæ eſt contraria.

5. Conſideratio. *An Elementa per naturam moueantur motu recto.* Quinto cum Ariſt. vt notum ſupponat quattuor Elementa per naturam moueri motu rector, quod (vt dixi) a multis non conceditur, ideo vt clari, hoc refulgeat, parumper digrediendum eſt; Opinio fuit Primo Pythagoræ, mox Platonis, Zenarchi, Ptolomæi, & plurimorum ſapientia illuſtrium, quattuor vocata Elementa, vel ſui natura in ſuo loco requieſcere, quod competit Terræ, vel ſui natura moueri in orbem, quod competit tribus reliquis Elementis, motum autem rectum dixere eſſe reditum in ſuam naturam per lineam breuiſſimam, & ita tanquam partes trahi ab anima totius Elementi, putarunt enim ſingula Elementa eſſe prædita anima propria, rationis & mentis compote, cuius conditio eſt mouere a ſe in ſe hoc eſt in orbem; Quæ opinio videtur rationi conſona.

Ratio 1. Prima ratio ſumitur ex mobile; nam idem eſt motus ſecundum naturam totius Elementi & partium eius, at totum Elementum non mouetur motu recto, ſed vel quieſcit in ſua ſede, vel reuoluitur.

Ratio 2. Inſuper, motus ſecundum naturam debet reſpondere figuræ rei mobilis, figura Elementorum ſphærica eſt.

Ratio 3. Præterea, debet competere mobile completo, Elementa extra ſuum locum completa non ſunt, quia tendere in ſuum locum, eſt tendere in ſuam formam, vt dicitur in 4. de Cęlo 22.

Ratio 4. Inſuper, ſumitur ratio ex motore, qui in acceſſu ad ſuum locum variatur cum moueat velocius.

Ratio 5. Præterea, ratio potiſſima ſumitur ex conditionibus motus recte: nam motus ſecundum: nam debet eſſe immunis a conditionibus præter naturam, motus rectus includit has conditiones præter naturam, quarum Prima eſt, quia mobile violentia reperitur extra ſuum locum. Secunda, quia motus rectus eſt cum impedimento medij & eius diuiſione, vt dicitur in 4. Phyſi. 11. Tertia, quia mobile eſt pars violentia a ſuo toto diuiſa. Quarta eſt, motus diſſimilis non ob aliud niſi *Marſilius Ficinus.* ob adnexas diſpoſitiones præter naturam. Hinc Marſilius Ficinus in 4. ſuæ Platonicę Theologię, iure optimo ſententiam hanc approbare videtur. At ex aduer- *Rationes aduerſæ.* ſo cum Ariſtotile argumentari valemus.

Primo, quia cum motus rectus ſit ſimplex debet per naturam alicui ſimplici corpore conuenire.

Ratio 1. *Ratio 2.* Præterea, natura Cæli & mortalium Elementorum eſt diſtincta, quare & motus ex ea prodiens debet eſſe diſtinctus.

Ratio 3. Inſuper natura mortalium eſt præditu contrario, quare & motui eius debet contrarium competere, quod non competit motui in orbem.

Ratio 4. Inſuper mixta mota per Elementum dominans non in orbem, ſed ſolo mo-

tu

tu recto mouentur. Præterea, tunc terra careret proprio motu, cum non valeat renolui in suo loco. *Ratio 5.*

Demum, hi aiunt Elementa moueri a propria Anima, cum tamen in eis nullum appareat inditium vitæ. *Ratio 6.*

His accedit, quod conspicue apparet Elementa motu in orbem duci a supero corpore non a propria interna natura. *Ratio 7.*

Quod cõfirmatur, quia si vniuersa terra statim sub Luna collocaretur, partes eius seiunctæ, & non coactæ directe peterent centrum Mundi, non autem ab vniuersa Terra traherentur. *Ratio 8.*

Simplicius suo more nititur Arist. cum Platone conciliare, & ait, dum Elementa considerantur cum eorum absoluta perfectione, mouentur in orbem: At considerata vt imperfecta, & præter naturam disposita, mouentur motu recto. Plato eo primo, Arist. hoc secundo modo ea considerauit. *Simplicius.*

At concilium hoc aduersatur Aristoteli, Platoni & Rationi, Aristoteli Primo, quia motum in orbem ait eis conuenire præter propriam naturam, rectum vero absolute, secũdum naturam. Platoni vero, quia ait motum rectum eorum non prodire ex imperfecta eorum natura, sed fieri ab Anima Elementi per attractionem, quod omnino pugnat cum opinione Arist. Demum, aduersatur Rationi: quia imperfectum a perfecto non distinguitur forma & specie, quæ natura est, quare nec motu. *Euersio.*

Insuper, Elementa sui absoluta & perfecta conditione sunt grauia & leuia, quare sua perfecta conditione mouentur motu recto. Solum possumus dicere, Elementa considerari dupliciter.

Primo, secundum propriam naturam, & sic mouentur motu recto. *Sentẽtia propria.*

Secundo, vt partes vniuersi sequentes conditionem uniuersi, cuius caput est cœlum, & sic mouentur in orbem.

Rationes aduersæ dum recte considerantur, sunt approbationes opinionis Arist. Nam motus Physici debent recta ratione respondere naturæ rei mobilis. Natura propria Elementorum est prædita contrario, quare & motus proprius eorum, talis est motus rectus, est mortalis & finita, quare & motus debet esse talis, vt mortalia debent moueri Elementa, vt requiescant, vt ex se termino destituta debent terminum motus recipere ab alio, vt suo ordine Mundum constituentia, & ordinata ad mixtionem, debent sui natura ascendere & descendere, vt sphærica sunt per aliud, nimirum per continens, ita per aliud debent moueri in orbem. At dicebatur quod dum tendunt in suum locum, tendunt in propriam formam, quare tunc non per propriam formam mouentur. *Rationes aduersæ quid indicent.*

Respondeo, id esse verum, non quia careant interna & propria forma, sed quia tendunt ad externam & secundum similitudinem. *Quõ Elemẽta tendant in suam formam.*

Insuper, quia in loco propria forma recte seruatur & perficitur; demum, quia tendunt ad totum in qua propria earum forma & species viget.

Sexto loco considero, iure dubitari posse, cum Arist. diuiserit motum rectum in duos, ascensum scilicet, & descensum, cur non etiam diuisit motum in orbẽ in plures, cum re vera plures sint. *Sexta consideratio.* *Dubitatio 1.*

Preterea, quamuis vni vnum solum sit contrarium, tamen inter contraria datur medium, & putare aliquis posset motum, in orbem esse medium & ita soluere rationem Arist. *Dubitatio 2.*

De prima difficultate dico, præcipuam diuisionem fieri per differentias, quarum oppositio ad contrarietatẽ redigitur, propterea id cui nõ competit contrarium, etiam propriæ diuisionis non est capax, huiusmodi autem est motus in orbem, propterea ei non tam proprie competit diuisio, vt motui recto; sed solum competit ordo quidam & varietas minus nota quam varietas motuum mortalium. *Solutio 1.*

De altera difficultate dico, motum in orbem valde esse non contrarium, sed varium & tanquam genus distare a motu recto, contrarius dici non debet, quia contrarietas motuum attenditur penes contrarietatem terminorum.

Et longe minus potest dici medius, quia est simplex media autem ex extremis conflata sunt, medij autem motus dici possunt cum mixti, tum motus Elementorum mediorum, nimirum Aeris & Aquæ, qui dicuntur medij per comparationem, vt ea quoque Elementa mediare dicuntur.

Contextus XII. & XIII.

AT vero & primam necesse est esse huiusmodi lationem, perfectum enim prius est natura imperfecto, circulus autem perfectorum est, rectarum vero linearum nulla, non enim infinita, prædita namque esset fine, & termino, neque finitarum vlla, extra enim omnes aliquid est, nam augeri contingit quamcunque. Quare siquidem prior motus prioris natura corporis est, motus in orbem est prior recto, & motus rectus est corporum simplicium, nam Ignis recto fertur sursum, & Terra deorsum, necesse est motum in orbem alicui simplici corpori competere: nam mixtorum lationem dicimus per simplex fieri quod in mixto dominatur.

Ex his constat natum esse, reperiri præter apud nos repertas aliquam corporis essen tiam diuiniorem, & priorem his omnibus.



Intentio. EST regula, dum ex antecedente absolute prolato, infertur absolutum consequens, ex eo prolato cum modo, inferri consequens cum eodem modo; Hactenus sumptus est pro antecedente motus in orbem absolute, & absolute illata est essentia quinta: nunc vero sumitur cũ modo prioris & perfectionis, vt inferatur essentia quinta cum eodem modo.

Diuisio. Diuiditur Context. in tres partes; in Prima, ostenditur prioritas motus in orbem; in Secunda, ostenditur quod competat corpori priori, in Tertia colligitur conclusio communis hactenus formatarum ostensionum.

Quod pertinet ad partem Primam, Cõclusio est, motum in orbem esse priorem recto; quod ita ostenditur: perfectum est natura prius imperfecto, motus in orbem est perfectus, rectus autem omnis imperfectus, quare prior est recto. Minor ostenditur, quæ habet duas partes, vnam, quod circulus sit ex genere perfectorum, pro qua parte supponitur vt notum, quod nil ei potest addi, & ob id nil eis deest.

Altera pars est, nullam rectarum linearum quibus respondet motus rectus, esse perfectam, non infinitam, quia caret termino & fine adhibente perfectionem; neque etiam finitam, quia ei aliquid addi potest, cum aliquid reperiatur extra terminos eius, & ob id ei aliquid addi possit. (Quare, siquidem prior motus prioris est, &cæt.)

Hæc est pars Secunda, in qua hæc formatur ostensio. Motus prior debet competere corpori priori, latio in orbem est prior natura recta, igitur debet competere corpori priori corporibus motis motu recto. (Ex his constat, &c.)

In hac tertia parte colligitur Conclusio communis rationibus hactenus formatis, & est reperiri essentiam corporis distinctam ab ea quæ est quattuor Elementorum eaque priorem & diuiniorem.

ANNO-

ANNOTATIONES.



1. Consideratio.

ONSIDERO, Primo, quod latio in orbem dicitur natura prior recta, nam est prior non tempore, sed natura, esse autem prius natura contingit dupliciter; vel intentione, vel origine, quod est natura prius secundum intentionem, etiam est perfectius, natura enim intendit quod est perfectum.

Prius natura est duplex.

Prius autem origine est duplex, vel enim consideratur in eodem tendente ex imperfecto ad perfectionem, vt puer ad virilitatem, & flores ad fructum, ac ita est imperfectius, vel consideratur absolute in vniuerso, & facta comparatione inter partes, quarum posteriores origine pendent ex prioribus, & ita prius origine vt plurimum est perfectius, veluti cor in Animali est origine prius, & cœlum Elementis. Ex his elici possunt solutiones variarum apparentium controuersiarum; Latio in orbem est natura prior recta cum secundum intentionem, tum secundum originem partium vniuersi.

2. Consideratio.

Considero Secundo, quod Arist. in hoc Contex. necnon in octauo Physic. Contex. 75. ait, perfectum esse natura prius; afferuntur instantiæ de materia, quæ cum sit natura prior, est imperfectior; similiter, genus est imperfectius & natura prius speciebus; & simplicia corpora mixto; & in 2. de Cœlo Contex. 22. legitur prius natura in omni genere esse vnum multis, & simplex composito.

An perfectũ sit natura prius.

Solui possunt huiusmodi apparentes controuersiæ, per ea quæ Primo dicta sunt, & duabus distinctionibus vtendum est, quarum vna elicitur ex Tertio de Anima Cont. 49. & Septimo Metaphysicæ Contex. 23. necnon ex Secundo Physicor. Cont. 89. & est, natura Primum esse duplex, vel intentione, vel origine, siue generatione; Primum est perfectius, alterum imperfectius.

Duæ distinctiones.

Altera distinctio declaratur ab Arist. 9. Metaphysicæ loquente de actu & potentia: nam absolute, & in ordine vniuersi, actus est prior, in eodem autem quod producitur contra se habet, tendit enim ex potentia ad actũ. Similiter, prius natura absolute est perfectius, in eodem autem est imperfectius, cum tendat per naturam ex imperfecto ad perfectius; sic genus est prius origine: species vero intentione & perfectione: Hinc Arist. in octauo Physic. Contex. 58. in Secundo de partibus Animalium, cap. 1. & 9. Metaphysicæ Contex. 15. ait generatione posterius esse natura prius.

3. Consideratio.

Considero Tertio, id quod dicitur ab Arist. circulus perfectorum est, hoc est sui conditione est ex genere perfectorum, & pro notitia animaduertendum est, quod perfectum vario modo definitur:

Q̃uo circulus perfectorum sit. *Definitiones perfecti.*

Nam Primo ex hoc Contex. hæc elicitur definit. vt sit id, cui nil addi possit. Insuper, in 2. lib. de Cœlo, Contex. 23. perfectum id dicitur, extra quod nil sit accipere, quod eius sit. Et in Secundo Contex. Proœmij dicitur esse id cui principium, medium, & finis competit, & ob id dicitur omne, & totum. Hæc omnia circulo competunt: nam dum consideratur figura tota, centrum est principium, circumferentia, finis, inter quæ est interuallum medium, dum vero consideratur solum linea extrema, in ea quoduis punctum est principium & finis, inter quæ linea mediare dicitur.

Dubitatio.

At oritur dubitatio, quia Arist. satis leuiter videtur ex conditione circuli elicere perfectionem motus in orbem, nec apparet in quo genere circulus sit causa perfectionis motus.

Solutio.

Respondeo, Arist. iam in Octauo Physic. cumulate patefecit præstantiam motus in orbem, ideo ei fuit satis illam confirmare per id, quod dixit in præcedentibus, nimirum, quod motus simplex est duplex: quia duæ solæ sunt lineæ simplices, propterea persistens in eadem comparatione perfectionem motus

elicit ex perfectione lineæ cui respondet. At quærebatur: in quo genere causæ sit? cui difficultati respondens dico; Circulus vel consideratur in motu, & est tanquam forma motus, qui est fluxus in orbem includens conditionem perfecti, vel refertur ad mobile, ac ita est tanquam materia, & causa sine qua non potest fieri talis motus.

Insuper, motus est affectio eius, affectio autem recta ratione respondet ei cuius est affectio.

4. Consideratio.

An Linea recta perfecta sit.

Considero Quarto quod Arist. ait, omnem lineam rectam cum finitam tum infinitam, perfectione carere; quod dubitatione non caret: nam vel loquitur, vt Physicus, vel vt Mathematicus, si vt Physicus, considerans lineam materiæ Physicæ iunctam, errat: quia datur Diameter Mundi cui nil potest addi. Si vt Mathematicus, seiungens a materia Physica, errat permiscens scientias varias.

Præterea, omnis rerum species prædita est sua perfectione, & nil reperitur in vniuerso, tota sua specie imperfectum. Confirmatur: quia omnis linea recta actu extremis punctis est terminata, non autem circulus.

Solutio.

Respondens dico, sententiam esse ueram vtraq; consideratione: neq; ea est confusio, quia scientiæ valent sine confusione sibi mutuo opem ferre: nam consideratur conditio propria lineæ rectæ, quæ vt talis, non ex se habet terminos & fines, sed eos recipit ab alio, & instantia de Diamentro Mundi soluitur, quia huiusmodi linea a Cœlesti circulo finem recipit. Addebatur speciem omnem vniuersi perfectione esse præditam, respondeo cum Alexand. Lineam rectam dupliciter posse considerari, primo vt speciem Lineæ, ac ita est prædita forma, conditione, & perfectione sibi propria, secundo vt tanta est, vt sic potest ei aliquid addi. Insuper dico ei competere perfectionem propriam, non autem absolutam, vt circulo.

Demum dicebatur omnem Lineam rectam suis terminis esse circũscriptam respondeo eos esse terminos, at non fines absolute, & eos non esse definitos, sed indefinitos, & non ex se eos habere, sed ab alio recipere.

5. Consideratio.

An infiniti conditio denotet perfectionem.

Quinto ait Aristo. lineam infinitam carere perfectione cum careat suis finibus: Ex hoc emergit pulchra dubitatio, & est num infiniti conditio indicet perfectionem, vel priuationem eius, rationes se offerunt pro omni parte, quod enim denotet imperfectionem dicitur, & ostenditur in hoc Contex. & iure, nam omne bonum in fine dicitur positum, & in 3. Physicorum legitur ex materia infinitum prodire, & repugnare formæ, & actui, Et in 8. Physicorum Contex. 48. legitur, naturam infinitum renuere, finem quærere & finitum esse melius, & in primo moralium Nicomachiorum asseritur, non quia aliquid sit diuturnius & æternum ideo magis bonum.

Ex aduerso in 8. Physic. 75. legitur incorruptibile esse prius tempore ratione, & natura. Insuper conditio infiniti tribuitur Deo, Cœlo, Motui in orbem pro denotanda eorum perfectione, & confirmatur, quia limitatio diminutionem dènotat, & bonum quo est maius eo est melius, quare si in infinitum est maius in infinitum est melius.

Solutio.

Infinitum triplex.

Quatruplex proprie infinitum.

Pro solutione accipio infinitum tripliciter accipi, vel per priuationem finis sibi congruentis, vt non completa opera, vel pro indefinito Græce Aoriston, vt indefinitus est numerus Pilorum, vel tertio per negationem finis, & postremi termini, & hoc excogitari potest quatruplex numero, mole, mora, & virtute, & de his quatuor proprie dicitur infiniti nomen, quorum Arist. duo concessit nimirum infinitum numero successione, vt indiuidua specierum, & infinitum mora siue tempore, vt æterna & vtrunque dicitur infinitum potestate, infinitum mole reijcitur infinitum virtute quod soli Deo competit Aristo. noscere non valuit, vt alibi pateseci de his loquens dico, infinitum numero, & mole denotare imperfectionem, esse infinita potestate, & prodire ex materia, nisi Physica, saltem Mathematica, nec dari, sed solum imaginatione posse concipi, non autem comprehendi, & iure denotant imperfectionem, cum terminus sit veluti forma & perfectio quantitatis. Infinitum mora perinde se habet ac actus, &

potentia

potentia de quibus loquens Aristo. in 9. Metaphysicæ Contex. 19. ait in malis actum esse deteriorem potestatem, in bonis vero contra, similiter dico infinitum mora in malis esse malum, vt æternæ pœnæ, in bonis bonum at æterna Gloria. Demum infinitum virtute, quod ad actum & formam pertinet immensam, denotat perfectionem: Arist. autem hoc in loco loquens de linea recta loquitur de infinito mole, quod, vt dixi imperfectionem denotat, cum indicet priuationem termini moli congruentis, quem terminum includit circulus.

Ex his elicitur resolutio difficultatis, quæ sic in pauca per alia verba redigi potest, dicendo; infinitum sumptum pro priuatione proprij finis & perfectionis semper denotare imperfectionem: Infinitum sumptum pro negatione finis dicti per metaphoram, qualis est interitus, & limitatio, cum bonis est bonum, cum malis malum. *Compendiũ resolutionis.*

Contextus XIIII.

INsuper si quis accipiat motum omnem esse vel secundum vel præter naturam, & eum qui vni competit præter naturam, alteri competere secundum naturam, vt se habet de motu sursum & deorsum, qui & igni & terræ præter naturam & secundum naturam competunt, quare necesse est motum in orbem, quoniam his conuenit præter naturam, alterius cuiuspiam esse secundum naturam.



X hactenus formatis ostensionibus tria patent, primo dari corpus aptum sui natura moueri in orbem, secundo id corpus esse distinctum a quatuor Elemẽtis, tertio motum illum, & corpus cui competit esse natura primum, & præstantius: nunc intentio Philosophi est id cõfirmare, quod etiam modo aliquo in præcedentibus demonstrauit, nimirum motum in orbem debere alicui corpori per naturam competere. *Cõtinuatio.* *Intentio.*

Diuiditur Contextus in duas partes, in prima dua pro constitutione antecedentis accipiuntur, in altera ex eis infertur conclusio. *Diuisio.*

Accipitur primo motum omnem mobili competere vel secundum vel præter naturam, de cuius veritate mox loquar. Alterum quod accipitur est, motum vni præter naturam competentem, debere alteri secundum naturam competere, quia nil in vniuerso reperitur, toto suo genere præter naturam.

Ex his infertur in altera parte consequens & est motum in orbem alicui per naturam competere; Ratio ita formatur, omnis motus vni competens præter naturam, debet alteri secundum naturam competere, motus in orbem competit Elementis præter naturam, quare debet alicui ab eis distinctio secundum naturam competere. *Ratio.*



ANNO-

ANNOTATIONES.

1. Conside-ratio. Dubitatio.



CONSIDERO Primo quod Arist. ait. Insuper si quis accipiat motum omnem esse vel secundum, vel præter naturam,&c.

D.Thom. Quæritur num hoc ab Arist. proferatur ex propria sententia,& tanquam absolute verum, vel potius vt approbatum ab aduersarijs,nō concedentibus hanc quintam Cœli essentiam. Auicenna, & D. Thomas putant non proferri ex propria sententia,sed vt cōcessum,ideo loquitur cum conditione inquiens si quis accipiat, & confirmantur quia iam in Contex. 10. dictum est motū in orbem nec secundum, nec præter naturam competere igni, cum tamen ei competat.

Euersio. Horum opinio non videtur approbanda,quia Arist.nunquam diuidit motum nisi in secundum & præter naturam, ex sententia autem Platonis, aduersus quē præsertim disputat motus diuiditur in secundum naturam, reditum in naturam & recessum ab ea, & motus in orbem ait secundum naturam competere Elementis.

Alex. Propterea,Alexander Simplicius & Auerr.aiunt hoc ab Arist. proferri ex propria sententia & cum dicat,si quis accipiat, & indicat id quod verum esset, non concesso corpore superiore,quod per naturam ferat ratione,& nisi ex sententia id proferret,nil absolute ostēderet, nec absolute valeret colligere conclusionē.

Cōtrouersia. Et hoc posito superest diluenda controuersia cum Cont. 10. vbi dicitur motum in orbem nec secundum nec præter naturam igni competere.

Alexan. & Simplicius. Respondent Alexander & Simplicius præter naturam vsurpari dupliciter,vel pro contrario naturali,in qua significatione dicitur in Contex.10.motum in orbem nec secundum,nec prēter naturā competere igni,vel pro negatione vt hoc in loco dicitur motum omnem mobili competere, vel secundum, vel præter naturam.

Euersio. At non est rationi consentaneum. Quod Arist. sine distinctione eodem voce vtatur modo in vna,modo in altera significatione.

Præterea Arist. in hoc Cont. se declarat de contrario,vtens exemplo motuū sursum & deorsum,competentium secundum & præter naturam Elementis, & in Cont.sequenti dicit,citissime ea perire, quæ sunt præter naturam, quod verū est de eo,quod est contra naturam.

Propria solutio. Ratio Aristotelis. Propterea dicendum puto vtrisque in locis accipi præter naturam in eadem significatione,nimirum pro contrario naturali, & pro solutione apparentis cōtrouersiæ animaduertendum est,quod Arist.ita argumentatur, vt ratio eius solui non potest, nisi per id quod ostendere nititur, & eo non concesso solui non possit;quales etiam sunt rationes ducentes ad absurdum:nam si quis neget, dari corpus eminentius, quod sui natura feratur in orbem, ignis nec secundum nec præter naturam poterit in orbem ferri, motus autem supra naturam non daretur non concesso illo. Similiter eo non admisso, omnes motus simplicium corporū essent vel secūdum. vel præter naturam,ideo modo ait, insuper si quis accipiat omnem motum esse vel secundum,vel præter naturam,&c. Quod verum esset non concesso corpore eminentiore, quod per naturam feratur in orbem at eo admisso, soluitur vniuersa dubitatio, & apparet quomodo ignis feratur in orbem.

2. Consideratio. Qualis sit motus in orbem elementorum. Vt autem res clatior reddatur secundo loco considerandus occurrit modus, quo Elementa circumferantur motu diurno,& præsertim ignis,ac etiam Planetæ dum motu supremi ab ortu tendunt in occasum, nam si dicimus ita ferri secundum naturam,tunc vnū duo essent motus secundum naturam, si præter, tūc

motui

motui proprio ignis duo essent contrarij motus. Res est dubia, & opiniones sunt variæ Alexander quem Contex. 10. sequitur Auerr. mox Lodouicus Boccaferrea & M. Antonius Genua, inquiunt, motum hunc non esse simplicem, cum ob regressum, tum ob continuum ascensum partium ignis & descensum: & dum dicimus motum præter naturam esse contrarium naturali, intelligi debet de motu simplici.

Opiniones variæ.

Alex. & eius sectatorum opinio.

Hanc opinionem approbandam non puto, nam si non est contrarius, quia nõ est simplex, igitur si esset simplex esset contrarius, ac ita motus firmamenti esset contrarius motui proprio ignis.

Euersio huius.

Pretereà circumlatio, saltem in aliqua parte ignis iusta Cælo per aliquod tempus seruatur simplex.

Insuper si est mixtus, vel mixtus est ex duobus naturalibus, vel ex vtrisque violentis, vel ex vno naturali altero violento, ac ita eadem sequentur absurda.

His accedit, quod etiam motus violentus Elementorum magna ex parte est mixtus tamen ob dominans denominatur contrarius. Mainettus & Zimara Theor. 19. aiunt, motum in orbem ignis nec naturalem, nec violentum esse, sed ex accidenti, quia sic mouetur per motum alterius.

Mainetti & Zimaræ opinio.

At per hoc non soluitur dubitatio, quia similiter quæro, quomodo ex accidẽti ita mouetur, num secundum vel præter naturam? Insuper motus diurnus Planetarum non potest dici omnino ex accidenti, cum intendatur a motore, ob vtilitatem quam præbet vt patebit in 2. de Cœlo in 8. Phyt. necnon in 2. de ortu & interitu.

Reiectio huius opinio eo quod non satisfaciat dubitationi.

Propterea cum Simplicio, Olympiodoro, & D. Thoma dicendum, hunc motum debere dici neutrum, non secundum propriam naturam, nec ei contrariũ, & esse raptum diuinum, secundum naturam totius, & eminentiorem non secundum propriam. Et hoc solum dicere valemus concesso, quod corpus eminentius secundum naturam propriam, hoc motu moueatur, ideo ratio Arist. vim habet aduersus negantes hoc, quo concesso soluitur vniuersa dubitatio: Et pro clariore notitia accipio, quod cum motus diurnus prodeat ex motore primo, ex quo pendet vniuersum, & simplicia corpora, vel primo eo moueantur, vt orbis supremus, vel eum sequantur, vt reliqua vsque ad Terram, vel ei pro centro inseruiant, vt terra, iure ab Arist. in 8. Phys. Cont. 84. in 2. de ortu & interitu, Cont. 56. in 12. Metaphysicæ Cont. 43. nuncupatur motus totius, hoc est, vniuersi mundi, tanquam magni animalis suprema virtute iuncti, & colligati. Motus autem totius competit partibus, non quidem secundum se primo, sed secundario, & cum recedat a secundum se, primo inclinat in id quod est ex accidenti; & in hac significatione eorum sententia est approbanda dicentium, esse motum ex accidenti: errant tamen, cum deinde negent, esse motum supra naturam propriam, & secundum naturam eminentiorem, & ita neutrum.

Opinio verior.

Ratio huius opinionis.

At nituntur nonnulli hanc a me approbatam sententiam euertere & præsertim Zimara Theor. 19. dicentes hunc motum neutrum, esse refugium miserorum, non valentium recte soluere, idque confirmant quia Aristo. vbique diuidit motum in secundum, & præter naturam, nunquam addens medium, & neutrum, & iure; quia inter moueri ab interno, vel externo, & inter conferre vim, & non conferre, non datur medium, ea autem duo circumscribunt motum secundum, & præter naturam.

Instãtię aduersus traditam solutionem.

Confirmatio instantiæ.

At leuiter hæc reijciuntur, conspicue enim ea resolutio ex ipsomet Aristotile elicitur, quia in Contex. 10. patefecit ignem nec secundum, nec præter naturam moueri in orbem, & talem motum nuncupauit motum totius, & dum Aristot. diuidit motum in secundum, & præter naturam, considerat naturam propriam, non communem, & inter conferre vim per naturam propriam, & non couferre vim per eam, datur medium, & est conferre vim per naturam communem.

Solutio.

Et hoc est satis pro constituendo motu modo aliquo secundum naturam, sic in 8. Physicorum Contex. 27. dicitur animal totum moueri secundum natu-

ram,

ram, partes vero aliquando præter naturam, adeo vt moueantur secundum naturam totius, & contra propriam, & ita datur medium inter moueri secundum naturam propriam & contra eam.

Contextus XV. & XVI.

PRæterea si latio in orbem alicui per naturam conuenit constat debere reperiri corpus aliquod simplex & primum quod natum sit vt ignis sursum & terra deorsum, in orbem secundum naturam moueri, nam si ea quæ circumuoluuntur mouentur præter naturam, mirabile, & rationi omnino aduersum, si quod cum hic solus motus continuus sit, & æternus sit præter naturam, nam in cæteris apparet citiss me ea perire quæ sunt præter naturā: Quare si id quod circumfertur est ignis, vt inquiunt nonnulli non minus præter naturam erit hic motus quam qui deorsum: Ignis enim motus ille apparet qui est a medio.

Quare ex his omnibus ratiocinando crediderit aliquis dari corpus aliquod præter ea quæ hic sunt, distinctum ab his eo eminentiore natura præditum quo magis distat ab his quæ prope nos sunt.



Continuatio. IDETVR Arist. pro indaganda, & inuenienda quinta essentia varias formasse rationes, omnes tamen vno nituntur fundamento, cæteræ autem sunt confirmationes eius; nam vis tota in hoc est posita, quod cum detur motus in orbem simplex & præstantior rectis, debet dari corpus simplex eminentius aptum sui natura eo ferri.

Intentio. *Diuisio.* In præsenti Contex. tria facit primo profert vim rationis, secundo eam confirmat, tertio colligit integram conclusionem.

Fundamentum. Quod pertinet ad primam partem, ratio sic formatur; omnis motus simplex debet alicui per naturam competere, motus in orbem est simplex & prior cęteris, igitur debet alicui primo simplici corpori per naturam competere.

Confirmatio dati fundamenti. Confirmatur in Secunda parte conclusio quia si eam negantes putaremus solum corporibus competere præter naturam, id esset mirabile; cum nulla eius ratio appareat; immo etiam rationi aduersum, cum ratio nobis oppositum patefaciat.

Nam motus quo magis est continuus, & æternus, eo magis debet iudicari secundum naturam, at motuum hic solus est continuus, & æternus, igitur magis iudicari debet mobili secundum naturam competere: & reliqui competunt igitur longe magis hic.

Alia confirmatio. Maior experientia constat, quia in cæteris citissime inspicimus ea perire, quæ contra naturam sunt disposita: nec valemus cum Platone dicere, huiusmodi mobile esse ignem quia motus proprius eius est a medio, & ob id Latio in orbem non minus ei conueniet præter naturam quam motus ad medium.

Conclusio. Colligitur in tertia parte vniuersa ostensa conclusio & est dari corpus simplex a cęteris distinctum, eo illis eo præstantius, quo longius distat ab his quæ prope nos sunt collocata.

ANNO-

ANNOTATIONES.



VOD Primo considero, cum ostensio sit vna, eaque sit sumpta ex effectu nimirum ex simplici motu, & solum sit varia ob varietatem conspirantium ad eam, veluti regularum, solutionum, instantiarum & modorum quibus formatur, ideo iure Arist. inquit (ex his omnibus ratiocinando crediderit &c.) *1. Consideratio.*

Et ait, crediderit, quia datur scientia & hæc est per causam, & Fides quæ duplex est, vna super scientiam, & est superna reuelatio, prodiens ex fonte veritatis: altera est Philosophica, & humana ex re effecta cum aliqua certitudine prodiens, qualis est hæc. *Fides duplex.*

Considero secundo, Quod Arist. ait, si id quod circumfertur esset ignis, vt quidam aiunt, nimirum Pythagoras Heraclitus & Plato, non minus ei præter naturam competeret, quam latio deorsum, quæ sententia est dubia, tum quia ignis sphæra circũfertur, non tamen ita præter naturam, vt partes eius ferantur deorsum: tum insuper, quia motus conditionem præsertim recipiunt a terminis, in quos tendunt; motus ignis deorsum est in terminum contrarium non autem circumlatio. *2. Consideratio. Pythagoras Heraclitus & Plato. Dubitatio.*

Respondens dico sententiam Arist. esse veram duplici ratione; primo accipiendo præter naturam per modum negationis, quia neuter est secundum naturam propriam eius. *Solutio.*

Secundo supposita opinione negantium dari corpus eminentius, cuius reuolutionem sequantur alia, ita enim non posset dici supra naturam propriam. De opinione autem Platonis modo latius non loquor, cum id cumulate fecerim in libro meo de Cœlo.

Considero tertio, quod Arist. ait solum motum in orbem esse continuum & æternum, hoc ostenditur in octauo Physic. nam cæteri motus sunt continui secundum partem non autem absolute, & sunt æterni successione, non ita vt vnus sit continuus & æternus: & addit, apparere in cœteris ea quæ sunt præter naturam citissime perire. *3. Consideratio.*

Hinc elicitur ea communis sententia nil violentum esse æternum, quæ etiam approbatur in secundo de Cœlo Contex. 18. & 38. & potest ad tria referri primo ad affectionem Secundo ad subiectum eius, tertio ad iunctum ex vtrisque, & de omnibus est vera, nunc autem ad affectionem, qualis est motus, refertur. *Quomodo nil violentũ sit æternũ.*

Fundamentum est, quia dispositio præter naturam est recessus a natura, prodit ex potentia ad interitum, est uia ad interitum, non fit sine oppositione & pugna, quam pugnam sequitur remissio & interitus, hinc solis mortalibus competit, non æternis, & ordo vniuersi conspirat pro seruanda rerum natura, & pro euertenda dispositione præter naturam. *Fundamentum.*

At varia occurrunt quæ sententiam hanc reddunt dubiam. Et primo, motus in orbem semper & præter propriam naturam competit igni & aeri; similiter motus diurnus Planetis: Insuper Elementa semper seruantur impura, quę impuritas est dispositio præter Naturam. Insuper imbecillitas, senium, & mors aduersantur naturæ & æterna sunt, vt etiam æterna est pugna cum natura, ob rerum contrarietatem. *Dubitationes.*

Præterea Terra non vndique cooperta est Aquis, & media aeris regio semper præter naturam propriam seruatur frigida.

Demum est regula, si vnum contrariorum reperitur in vniuerso, reperitur & alterum, & si vnum est æternum, etiam æternum est alterum; dispositio autem secundum naturam, & prẹter, inuicem sunt contraria, hinc nil apud nos reperitur, quod modo aliquo præter naturam non sit affectum.

E Zimara

Zimara. Euersio. Ratio qua ni titur. Quomodo motus totius cõpetat partibus.

Zimara Theor. t 9. regulam illam considerans ait, esse veram secundum se, falsam ex accidenti, & veram esse de partibus, at non de toto Elemento: sic motus in orbem ex accidenti competit igni, & terra non tota est discooperta aquis. Eius opinio non videtur approbanda. Primo quia motus totius non omnino ex accidenti competit partibus, sed potius secundario, & præsertim dum intenditur a primo motore, & per supremam prouidentiam in finem dirigitur, vt se habet de motu diurno Planetarum, & ignis.

Confirmatur, quia motus diurnus non est cum contrarietate, non lędit, & labefactat; Sed purgat & seruat.

Rationis cõfirmatio.

Præterea omne violentum vt est violentum, est posterius & accidit naturæ, quare, si id quod est ex accidenti posset esse æternum, omne violentum posset esse tale.

Num violẽtum in parte possit esse æternum. Elementa secundum totũ impura.

Insuper id quod additur violentum posse esse æternum in parte, non in toto dubitatione non caret, quia vt totum se habet ad totum, ita pars ad partem quare si violentum in toto non potest esse æternum, neque etiam poterit esse in parte, & præsertim quia fundamentum, & ratio sumpta expugna & contrarietate eadem est: confirmatur etiam quia Elementa secundum totum sunt impura, & violentia in nulla eorum signata parte est æterna.

Petrus Apo nensis Conciliator.

Conciliator vir doctus differentia 14. limitans eam regulam ait violentũ non esse æternum, nisi præditum fuerit causa æterna.

Euersio.

At hoc etiam non satisfacit, quia de hoc est dubitatio, num violento possint competere causæ, quæ id seruent æternum, nam quæstio semper est de causa; Insuper quod detur causa æternitatis eius, aduersatur & regulæ & fundamentis eius.

Opinio propria.

Propterea soluens dico, esse præter naturam contingere posse dupliciter, vel præter naturam propriam & secundum naturam communem & totius, vel penitus; quod penitus est præter naturam, non potest esse æternum vllo pacto, nec in toto, nec in aliqua signata parte, sed solum successione, & indefinite sumptum; Aliud vero potest seruari æternum.

Ratio triplex.

Cuius varietatis ratio est prima quia non est cum pugna contrarietate & remissione; Altera, quia non penitus est contra naturam, sed est secundum naturam eminentiorem & totius: Tertia non est aliquid posterius, sed secundum naturam priorem. Ideo non destruit, sed conseruat, non est frustra, sed ob finem eminentiorem & totius.

Conclusio principalis.

Ex his colligo, nil præter naturam sumptum pro contrario, & quod penitus sit præter naturam, posse esse æternum, nec in toto, nec in aliqua eius definita parte, sed solum successione, indefinite & vniuerse sumptum, vt etiam mortalia æterna sunt. Id autem quod est secundum naturam totius & eminentiorem, nil pugnat vt sit æternum.

Ludoui. Boccaferro. Respõsio ad obiectionem præcedentẽ. Instantia Boccaferr. Solutio instãtia.

At Excellentissimus Ludouicus Boccaferrea nitebatur hunc resolutionem euertere, quia nil est secundum naturam totius, quia sit secundum naturam partium, respondeo, quia sit secundum naturam partium, vt sunt eius partes, at potest esse præter naturam propriam partium absolute vt patefeci.

At vrgebat adhuc, quia Natura particularis dirigitur à communi, & id quærit quod communis, soluitur, quod id quærit vt finem communem, & vltimũ non vt proximum; & proprium.

Solutio. Obiectionũ supradictarum.

Ex his elicitur solutio obiectionum primo relatarum, nam motus diurnus Planetarum est supra naturam eorum; Similiter reuolutio ignis, quæ etiam in nulla signata parte est æterna, id ipsum dicendum est de impuritate Elementorum & de Terra arida, nam sunt secundum naturam & ordinem vniuersi & in nulla signata parte æterna, sic inbecillitates, senium & similia prodeuntia ex impotentia materiæ sunt secundum ordinem vniuersi æterna, dum sumuntur vniuerse, at non in vna signata & definita parte.

4. Consideratio.

Considero quarto, quod Arist. colligit, dari corpus simplex aptum sui natura moueri in orbem, eo cæteris præstantius, quo magis distat ab his quæ hic, quibus

verbis

Verbis patefacit, vnde sumendum sit principium mensuræ perfectionis rerum, & pro notitia animaduertendum, quod, cum Deus sit suprema perfectio, in collocatis sub eo duo locum habent, nimirum gradus perfectionis, & gradus imperfectionis: perfectio mensuratur per recessum ab infimo, siue a non gra-du, imperfectio vero per recessum a supremo & vltimo vt aptum est attingi. De mensura perfectionis conspicue Arist. id patefacit per verba relata; de ea vero imperfectionis patet experientia & ratione, cum imperfectio sit priuatio superiorum graduum, quos noscere non valemus, nisi constituto supremo; Sic simplicium corporum Terra dicitur fex & vilissima, ignis præstantior ceteris, & inter orbes Cœlorum Luna infima dicitur Terra cœlestis orbis.

Mẽsura perfectioni. *Mensura imperfectionis.*

At dubitatio est de Sole, qui lumen præbet cæteris Planetis, & ab Astronomis iudicatur Princeps Planetarum, cum tamen non supremum sibi optet locum, sed ex opinione vetustiorum, approbata a Platone, & Aristotile proxime supra Lunam sit positus, & ex opinione Ptolomei & recentiorum astronomorum sit collocatus: adeo, vt Mars, Iupiter, & Saturnus sint ordine altiores, non tamen dignitate.

Dubitatio.

Pro Aristotile.

Ex aduerso pro approbanda sententia Aristotelis, hoc in loco prolata varia possunt afferri, veluti, quod præstantia præsertim per motum redditur nota, orbes autem quo sunt distantiores a nobis, eo velocius mouentur motu diurno, & magis conformantur cum supremo, & sequuntur motum totius. Præterea ordo dignitatis mobilium debet respondere ordini dignitatis motorum, quorum supremus est Deus quem mox vel proximius, vel longius sequuntur inferiores motores; Insuper orbis continens seruat conditionem formæ seruantis, & perficientis, est amplitudine maior; quæ omnia & alia plura similia probabilem maxime reddunt sententiam Arist. Possemus tamen conciliando dicere, vnum posse alteri præstare duobus modis, vel absolute, vel in parte & conditione aliqua, vt homo absolute præstat Leoni, cui tamen robore cedit, orbes superiores absolute præstant inferioribus: quam absolutam præstantiam considerauit Aristo. At per conditionem Lucis, & modum conspicue operandi in hæc mortalia præstat Sol, & hoc considerarunt Astronomi, inquirentes ea quæ per cœlestia corpora competant mortalibus.

Conciliatio. *Vnum alteri præstat duobus modis.* *Quomodo Sol præstat cæteris sphæris Cœlestib.*

Contextus XVII.

QVoniam autem eorum quæ dicta sunt, nonnulla sunt supposita, alia in dubium versa, constat non omne corpus præditum esse grauitate, vel leuitate: oportet autem supponere quid denotemus per graue, & quid per leue, modo quidem vt pro præsenti consideratione est satis. Diligentius autem id efficiemus, dum considerabimus eorum essent am; Graue itaque id sit quod natum est ferri ad medium; Leue quod a medio, Grauissimum quod cunctis substernitur quæ deorsum feruntur, leuissimum quod inter lata sursum cunctis supereminet. Necesse itaque est omne quod vel sursum vel deorsum fertur aut grauitate aut leuitate, aut vtrisque esse præditum, non relata ad idem, sed inuicem collata sunt grauia & leuia, veluti aer ad aquam, Aqua ad Terram.

Cõtinuatio.



ARISTOT. proposuit considerandas partes vniuersi, ex quarum ordine mundus consurgit, & quia Elementa quattuor ab omnibus conceduntur, & de essentia quinta erat dubitatio, ideo nixus est ostendere dari quintum corpus simplex cæteris præstantius, aptum sui natura in orbem ferri; & cum patefecisset id reperiri, nunc institutum eius est manifestare quale sit, nimirum nec graue, nec leue, immune a contrarietate, ab interitu, necnon ab accretione, & alteratione.

Intentio.

Diuisio.

Hoc autem explicaturus in præsenti Cont. vbi quattuor facit, primo nectit dicenda cum dictis, secundo proponit leuiter agendum de graui & leui, tertio ea definiuntur; quarto ex eorum definitionibus colligitur, cuncta quæ motu recto mouentur esse grauia vel leuia. Quod pertinet ad primam partem, ait Philosophus ex dictis nonnulla fuisse supposita, alia in dubium versa, & cum dubitatione fuisse decursa, non omnia vbique sunt ostendenda, sed sensu conspicua & concessa supponenda sunt, alia suis locis exacte explicanda, alia vero leuiter decurrenda.

Supposita octo. Supposita hæc sunt. Primũ magnitudines simplices esse duas. Secundũ, corporum quædam simplicia, alia ex his mixta. Tertium vnum esse contrarium. Quartum, definitio simplicium cum corporum tum motuum. Quintum motum præter naturam esse contrarium naturali. Sextum quod vni competit præter naturam, alteri competere secundum naturam. Septimum, quod est præter naturam, non esse æternum. Octauum dari corpora grauia & leuia, apta per naturam moueri motu recto.

Ostensa septem. Ex aduerso ea quæ non sine dubitatione ostensa sunt, hæc iudicari debent.

Primum. Primum est, corpus naturale esse mobile, secũdum locum, quod est ostensum per definitionem naturæ.

Secundum. Alterum, motus simplices esse duos.

Tertium. Tertium motuum quosdam esse simplices, alios mixtos.

Quartum. Quartum motum simplicem esse corporum simplicium, mixtum vero mixtorum.

Quintum. Quintum lineam rectam perfectione carere.

Sextum. Sextum, dari corpus simplex aptum sui natura moueri in orbem.


Septimum. Septimum id corpus dignitate præstare cæteris simplicibus corporibus.

Ex his colligitur non omne corpus simplex esse graue vel leue, quod ex eo colligitur, quia hoc quintum corpus differt a grauibus & leuibus, & motus eius a motu eorum, at cum facultate eliciatur ex dictis, distinctius tamen & ratione propria est ostendendum, ad quam ostensionem nos parans proponit breuibus agendum de graui & leui, quatenus eorum cognitio nobis inseruire debet pro remouenda eorum conditione a cælo exactior autem de illis erit sermo in quarto libro. (Graue itaque id sit &cæt.) circumscribitur in hac tertia parte graue, & grauissimum; Similiter leue & leuissimum per medium quod nobis proximius & notius est, neque adhuc est ostensum dari extremum, cum non sit reiectum infinitum, & (ait graue id sit) quia de affectione prænoscẽdum quid sit, hæ autem sunt affectiones; (Necesse itaque est, omne quod vel sursum, vel deorsum fertur, &c.) Colligitur ex dictis in hac quarta parte, omnia lata motu recto, vel absoluta grauitate & leuitate, vt terra & ignis, vel per relationem ad varia, vtrisque esse prædita, vt Elementa media, veluti aqua relata ad terram dicitur leuis, relata ad aerem grauis. Hæc tanquam conclusio colligitur ex proxime traditis descriptionibus grauis & leuis, & ex earum cum graui & leui conuersione, nam cui competit recte tradita descriptio, competit & id quod descriptum est; cum itaque descriptio grauis & leuis sit latio recta, necesse est vt cui hæc competit sit graue vel leue.

ANNO-

ANNOTATIONES.

1. Conſideratio.



CONSIDERO primo, quod grauiſſimum & leuiſſimum ſunt ſuprema ſui generis, media autem menſurantur per receſſum ab eis, vel acceſſum ad ea, veluti etiam facultates menſurantur per maximum quod poſſunt. Deſcribitur autem concretum, non abſtractum, hoc eſt graue non grauitas, quia confuſe notius eſt, & quia ſermo eſt de cœlo, de quo eſt oſtendendum nec graue, nec leue eſſe, quæ ſunt concreta. Deſcriptionem & menſuram ſumit a medio tũ, quia eſt nobis proximius & notius, tum quia eſt minimum per quod ſit menſura, tum demum, quia extremum adhuc non patet, cum infinitum non ſit reiectum.

Cur deſcriptio ſumatur a medio.

2. Conſideratio. *Simplicius.* *Euerſio poſitionis Simplicij.*

Conſidero ſecundo modum loquendi: nam ait graue id ſit: Inquit Simplicius quod ait, id ſit, quia ſequitur popularem vſum ſtatuentium in Mundo ſurſum & deorſum, cum re vera ſtatui non debeant, ſed ſolum medium, & circumlatio, vt iudicauit Plato: at errat: nam ex ſentẽtia Ariſt. pro motu recto vere ſtatui debent in orbe mortali ſurſum & deorſum quæ ſunt ſuis terminis circumſcripta, circum autem, quæ fuit opinio Platonis, in 4. libro reijcitur.

Sententia propria.

Quare dicamus, quod ita loquitur, tum quia id profert ſine oſtenſione, tum inſuper vt indicet ſe id ſeruare, quod ſeruandum iuſſit in primo Poſteriorum, nimirum de affectionibus eſſe prænoſcendum, & ſupponendum quid ſint, tum demum quia Plato grauitatem dicebat eſſe propenſionem in ſuum locum, adeo vt etiam propenſio ignis in locum ſuum debeat iudicari grauitas, non ſecus ac ea Terræ in ſuam ſedem.

3. Conſideratio. *Cur vtitur in deſcriptione motu.*

Conſidero tertio quod Ariſt. circumſcribens grauia & leuia, id facit per motum, & per quietem præſertim tamen per motum, vt etiam naturam; vtitur autem quiete deſcribens grauiſſimum, & leuiſſimum, inquiens, id eſſe quod interlata deorſum cunctis ſubeſt, vel quod latorum ſurſum cęteris ſuper emineat, quod etiam ſeruauit libro 4 Contex. 26. nam ſtatus magis apparet in extremis, quam in medijs, præſertim tamen vtitur motu, quia nobis eſt notior & magis patefacit vires naturæ.

4. Conſideratio. *Cur corpora ſunt grauia vel leuia.* *Quid grauitas & leuitas.*

Conſidero quarto, quod deſcriptio eſt per effectum, qui modo aliquo poteſt dici finis, nam corpora ſunt grauia, vel leuia, vt ope grauitatis & leuitatis ſint procliuia in ſuum locum, & in eo per naturam requieſcant: quæ grauitas & leuitas vel ſunt formæ Elementorum, vt putauit Auer. vel qualitates eorum propriæ, vt in libro de Elementis pateſeci, ſi ſunt formæ, ita mouentur Elementa per ſuã formam, ſi qualitates, Elementa mouentur per grauitatem & leuitatem, vt per inſtrumenta ſuarum formarum.

5. Conſideratio.

Conſidero quinto, quod Ariſt. prius loquitur de grauitate quam de quattuor primis qualitatibus, quod facit in ſecundo de ortu & interitu, cum tamen hæ ſint origine priores, & propterea videtur ordinem peruertere.

Dubitatio. *Solutio.* *Cur prius agatur de qualitatibus loco mouentibus quam de alterãtibus.*

At pro ſolutione animaduertendum quod Elementa poſſunt dupliciter conſiderari primo vt ſuo ordine mundum conſtituunt, quod eis competit ope grauitatis, & leuitatis.

Secundo vt inuicem permutantur, & ad mixtorum conſtitutionem conſpirant, quo officio funguntur munere quattuor primarum qualitatum; & quia mundi conſtitutio ordine originis antecedit, ideo iure optimo prius fuit agendum de grauitate, & leuitate, quæ quamuis pro ſui ortu ſint poſteriores, in mundi tamen conſtitutione antecedunt.

6. Conſideratio.

Conſidero ſexto, quod cum graue & leue poſſint cum per motum, tum per quietem definiri, in dubium vertitur, per quid eorum rectius definiantur.

Themiſtius tribus rationibus nititur oſtendere rectius definiri per motum,

Dubitatio. Themistius. prima est, quia si describuntur per quietem, igitur dum in suo loco non requiescerent, nec grauia, nec leuia essent: Altera est, quia sic Lapis sub orbe Lunæ esset leuis; Tertia, quia in suo loco desinunt Elementa esse grauia vel leuia. Auerroes in Paraphrasi librorum de Cœlo, Summa 4. cap. 3. refert opinionem hanc Themistij, necnon primam, & tertiam rationem.

Rationes Themistij tres. Rectius definiri per motum. Auerr. Et ex propria opinione ait, perfectius definiri per quietem, primo, quia quiescunt dum sunt in suis locis, quod eis per naturam competit, mouentur autem in alienis,

Rectius per quietem. Rationes duæ. Secundo quia definitio per motum, cum sit notior, est principium, per quietem autem conclusio,

Quid sentiendum de sententia Themistij. Dubia est sententia Themistij, primo, quia Aristotiles considerauit formam grauitatis & leuitatis, quæ seruatur in proprio loco, non inclinationem in aliū,

Secundo quia Aristotiles considerauit dispositionem secundum naturam, non violentam, qualis esset ea Lapidis sub orbe Lunæ.

Tertio, quia quies est finis, perfectio & absolutio grauitatis, & leuitatis, necnon motuum eorum,

Opinio Auerr. reprobatur. Similiter dubia est opinio Auerrois, quoniam potius definitio per quietem est principium, cum quies sit finis, nam grauia mouentur vt quiescant, definitio autem per finem principium est.

Opinio propria. Propterea dicamus, grauia & leuia, perfecte nosci per vtrumque: sunt enim subordinata, & motus in quietem dirigitur, hinc Aristot. in definitione naturæ vtrisque est vsus,

Addamus secundo, definitionem per motum esse nobis priorem & notiorem, per quietem vero esse priorem absolute, & secundum intentionem naturæ, primo finem inspicientis, hinc descriptio per motum est potior ex parte nostri, per quietem vero absolute & ex parte naturæ: Præsertim tamen graue & leue per motum, extrema per quietem circumscribi debent, quod seruauit Arist. & hoc in loco & in libro 4. Contex. 26.

Graue & leue via ad extrema. Primo quia graue & leue sunt viæ ad extrema, in via autem consideratur motus, in terminis quies,

Secundo quia leuissimum & grauissimum, denotant perfectionem postremam, quam solum habent in propria sede, in qua requiescunt.

Tertio quia extrema sunt mensuræ in termino positæ & consideratæ, mensuræ autem debent esse firmæ & permanentes,

Contextus XVIII.

Corpus autem quod in orbem fertur nec graue, nec leue esse potest, neque enim secundum, neque præter naturam conuenit ei motus ad medium, vel a medio, Non secundum naturam conuenit ei recta latio, quia vna esse dicebatur vnius simplicium corporum latio: quare erit idem alicui sic latorum corporum. Quod si præter naturam ita feratur, si præter naturam feretur deorsum latio sursum conueniet ei secundum naturam, si autem feretur sursum præter naturam latio deorsum erit secundum naturam. Posuimus enim contrariarum lationum si vna competeret præter naturam alteram esse secundum naturam.

OSTEN-



STENSVRVS Philosophus Cœlum nec graue nec leue esse, assumpsit definitiones grauis, & leuis: nunc eis utitur & ostensionem format, & tria facit: Primo profert consequens, Secundo antecedens, Tertio affert rationem antecedentis. *Intentio.* *Diuisio.*

Consequens est corpus sui natura in orbem latum nec graue nec leue: Antecedens, quia neque secundum, neque præter naturam ei competit motus rectus.

Ratio est quod non secundum naturam ei competat, quia vnius vnus est motus secundum naturam, talis autem est motus in orbem. *Ratio.*

Quod ei non competat præter naturam ostenditur, quia tunc oppositus ei competeret secundum naturam, quod ostensum est esse falsum; Ratio tota ita formatur; Omne graue aut leue fertur vel ad medium, vel a medio; Cœlum nec a medio fertur nec ad medium, quare nec graue est nec leue. Maior patet ex definitione grauis & leuis; minor ostenditur, quia neque secundum, neq; præter naturam potest ita moueri.

ANNOTATIONES.



ONSIDERO Primo conclusionem quę est, Cœlum nec graue est nec leue, pro notitia accipio, quod multipliciter aliquid potest dici nec graue nec leue, primo ratione generis, quod non sit aptum esse tale, vt seiuncta a materia; *1. Consideratio.* *Multipliciter aliquid necgraue nec leue dicitur.*

Secundo, quia non sit actu tale vt prima materia;

Tertio, quia sit medium æquale, quod non magis sit vnum extremorum, quam alterum a quo possit denominari,

Quarto per negationem, vt corpus, non quidem Mathematicum, sed substantiæ quod sit distinctæ conditionis, non quidem per priuationem, sed per eminentiam, & ita Cœlum nec graue nec leue est,

Adeo vt corpus diuidatur, quia vel est accidens, vt Mathematicum, vel substantia, & hoc vel est procliue ad motum rectum, vel ad motum in orbem, id est graue, vel leue, hoc vero neutrum, quæ duo extrema non sunt duæ differentię æquales & oppositæ vniuoci generis, alioquin essent contrariæ, sed generis ab vno, & subordinatæ, *Diuisio corporis.* *Subdiuisio corporis substantiæ.*

Considero Secundo, quod recte ait Auer. ex hoc Contex. duas elici regulas; Prima est, si motus aliquis alicui competit per naturam, oppositus ei conueniet præter naturam ac ex accidenti. Altera est, duorum contrariorum, si vnum competit subiecto præter naturam siue ex accidenti alterum conueniet secundum naturã, & secundum se; hæ autem sunt connexæ, & sunt tanquam regula vna quæ reciprocetur: cuius fundamentum est, quia, vt se habet de conditione subiecti, ita de ea affectionis, propterea affectiones oppositæ exposcunt subiecta opposita, & ob id, si vna est secundum naturam, altera erit præter. *2. Consideratio.* *Regu. duæ.* *Fundamentum.*

His addi potest tertia regula, & est: si motus vnus cõpetit subiecto secundum naturam nullus alius ei secundum naturam conueniet. *Reg. 3.*

Ratio est, quia vnius corporis simplicis vna simplex est natura, & motus vnus. *Ratio regulæ 3.*

Insuper quarta regula esse potest, quod si motus vnus mobili simplici competit præter naturam, & tanquam contrarius; nullus alius præter naturam ei competere poterit, quia vni vnum est contrarium. *Reg. 4.* *Ratio reg 4.*

Harum regularum secunda est satis dubia, quia vni varia accidere possunt, & hę se offerunt instantiæ, nam aeri præter naturam competit motus ad locum ignis & ad locum Terræ cum tamen sint oppositi vt ascensus, & descensus. *Instantię cõtra secundã Regulam.*

Similiter

Similiter homini præter naturam competit Auaritia, neque ob id secundum naturam ei conuenit prodigalitas opposita, nam vni præter naturam multa accidere possunt.

Instantiæ cõtra primam. Prima quoque regula in dubium verti potest, quæ erat si motus aliquis mobili competit per naturam, oppositus ei præter naturam conueniet: quia prima materia æque est apta recipere opposita, & agens liberum æque se habet ad opposita.

Solutio instatiarum. At facile diluuntur, nam regulæ intelligi debent de subiecto actu, quod alterum oppositorum sibi exposcant, non de prima materia, & agente libero, & veræ sunt de lationibus simplicibus competentibus corpori simplici secundum naturam vel præter, modo contrario, & per propriam inclinationem vel aduersam.

Quõ intelligẽdum multa vni accidere. Instantia de ascensu & descensu aeris soluitur: quia ambo considerantur vt recessus a suo loco, & tanquam vnum, cui opponitur accessus ad suum locum, nam motus rectus a termino ad quem recipit conditionem, & propriam denominationem & dum dicitur quod vni multa accidere possunt, respondeo multa posse accidere, at non suo motui contraria, sed varia.

Contextus XIX.

QVoniam autem in idem feruntur totum & pars secundum naturam, veluti tota terra, & exigua eius portio, euenit primo nulla ipsum esse præditum grauitate vel leuitate, nam vel a medio, vel ad medium posset ferri deinde euenit vt moueri nequeat motu secundum locum, aut sursum aut deorsum detractum, neque enim secundum naturam contingit ipsum moueri alio motu, neque præter naturam neque ipsum, neque partem eius vllam: eadem enim est ratio de toto & partibus.

Cõtinuatio.

Intentio.

Diuisio.



DECLARAVIT Philosophus in præcedentibus, Cœlum nec graue nec leue esse, ex eo, quia non est aptum moueri motu recto; modo id ipsum confirmans patefacit id debere intelligi & eadem ratione esse notum, vt de toto ita de partibus eius.

Diuiditur Contextus in tres partes, in prima accipitur tanquam antecedens sensu notum, in idem ferri totum & partes: in secunda infertur pro consequente Cœlum nec graue nec leue esse, in tertia refertur ratio, quia nec secundum nec præter naturam moueri potest motu recto, per quem definitur graue & leue, & additur eadem ratione id patere de partibus, qua patet de toto, ob assumptum antecedens, quod erat in idem ferri totum & partes.



CON-

ANNOTATIONES.



ONSIDERO Primum, quod cum de toto Cœlo Ar. ostendisset, nec graue nec leue esse, & non moueri motu recto, potuisset aliquis dicere, id esse verum de toto, at non de partibus, veluti vniuersa ignis Sphæra vna cum Cœlo reuoluitur, cum tamen eius partes modo per vim descendant, modo redeundo in suam naturam ascendant. *Consideratio prima.*

Sic Anaxagoras dixit aliquando ex Cœlo decidisse Lapidem, & Academici aiunt Animas e Cœlo descendere, & in illud redire iunctas suis vehiculis ex Cœli essentia constitutis; aduersus quos Arist. rationem format quæ consimiliter de toto & partibus formari potest, cum partes corporis simplicis sint consimiles. *Anaxag. Academici.*

At inquiunt Academici descensum vehiculorum esse per figuram elicis, hoc est reuolutiones, & descendere cum strepitu & tonitruis, hoc est violentia, ascendere vero ascensu tranquillo & salubri, quia est reditus in suam naturam, & sedem. Aduersus quam opinionem nedum vim habet ratio ab Aristotile hoc in loco formata, sed & aliæ multæ. *Reijciuntur uehicula Animarum.*

Ita enim Cœlo competeret scissio, diuisio in partes, recessus earum a propria sede, violentia, & alia similia, quæ tamen solis mortalibus sunt apta competere cum sint viæ ad interitum.

Considero Secundo quod Arist. ait partem ex Cœlo decisam nec secundum, nec præter naturam posse recto motu moueri: at contra suppono; stellam vel portionem aliam Cœli in medio aere collocatam, & quæro, vel ibi quiescet per naturam, vel violentia, si per naturam illuc per naturam motu recto mouebetur, si violentia, inde per naturam recedet, ac ita mouebitur modo aliquo motu recto, & erit grauis, vel leuis; confirmatur: quia quod per naturam est sursum, leue est, Cœlum est maxime sursum, quare est maxime leue. *2. Consideratio.* *Dubitatio.*

De prima difficultate varia dicuntur, nam licet etiam impossibilia supponere, vt pateat quid inde sequatur, veluti Aristotiles in secundo de Cœlo, imaginatur hominem in medio mundi cuius manus dextera sit in oriente, sinistra in occasu, pedes in vertice Boreali, caput in Australi, & in hoc primo de Cœlo imaginatur nasum ex omnibus carnibus conflatum. *Solutio.*

Academici inquiunt portiones Cœli ascendere & descendere per elicem, vt iam retuli, quod rationi non est consentaneum, quia motus ille est mixtus ex recto & orbiculari, qui corpori mixto, non simplici est consentaneus, nec apparet a quo motore ita moueri valeat. *Academici.*

Simplicius ait portionem Cœli in medio aere excogitatam, suæque naturæ derelictam, redire in suum locum, & obiectioni, quia sic leuis esset, respondet concedendo, nam esset procliuis in locum superiorem, quæ leuitas dicitur, & esset reditus in suam naturam.

Insuper si quis inferat, quod si portio esset leuis, totum quoque Cœlum esset leue, negat hanc consequutionem, quia totum non habet aliquod diuinius, ad quod redire valeat, vt partes.

At re vera Simplicius permiscet Peripatetica cum Academicis, quæ frequenter inuicẽ pugnant, & præsertim in attinentibus ad cõditiones celestis corporis.

His accedit, quod ex sententia Arist. leuitas est prior propensione ad sedem superiorem, & causa eius, & non potest competere partibus, quin competat toti, & Arist. ait eandem esse rationem de toto & partibus.

Præterea formabo rationem Arist. dicentis si ascendit secundum naturam esset aer, vel ignis, & descenderet violentia.

Propterea alij dicunt, quod sensim ab aere vel igne medio extruderetur sursum; *Opinio alia.*

Euersio. sum; At contra rei æternæ non potest vis inferri, extrusio autem est violentia, insuper tunc motus oppositus ei competeret per naturam per regulas ab Aristotile prolatas.

Opinio alia. Alij inquiunt, quod ea stella, vel Cœli portio in aere excogitata sequeretur suum orbem, & velocitate eius reuolueretur.

Euersio. Hoc etiam dici non potest, quia orbis mouetur non ex se, sed a sua intelligentia, & motore qui ibi non reperiretur.

Præterea argumentabor de quiete, vel ibi quiescit per naturam & ob id non ascendit, vel violentia, si per naturam, igitur illuc per naturam tendet, si violentia igitur per naturam inde recedet.

Opinio propria. Propterea dicendum est quod dum supponuntur falsa, ea possunt esse trium conditionum; vel enim sunt falsa, at non impossibilia, & tunc id quod sequitur poterit esse falsum, at non impossibile, vel sunt impossibilia absolute, at non pugnantia cum eo quod est ostendendum, eique opposita, & hæc supponere valemus, & perpendere quid inde sequatur, qualia sunt ea impossibilia, quæ retuli, supposita ab Aristo. vel tertio sunt impossibilia, & pugnantia cum eo quod est ostendendum, & eueniet in Syllogismo ducente ad absurdum, & tunc id quod sequitur est falsum & absurdum, & verum est oppositum, tale est id suppositum, quod portio Cœli sit in aere: nam ostendendum est, Cœlum nec graue, nec leue esse, neque secundum neque præter naturam moueri motu recto, & supponitur quod sit in aere, vbi esse non potest, nisi per motum rectum, nec reperiri potest in loco grauium & leuium, cum sit neutrum; & propterea iure id quod sequitur est falsum, impossibile & aduersum ei, quod est ostendendum, ex quo inferri debet veritas conclusionis ostendendę, & de eo quod sequitur, solum sunt veræ negationes, adeo vt ibi esse non possit, neque secundum, neque præter naturã, & similiter quod ibi quiescere & inde recedere neutro modo valeat, quia non est aptum esse tale, veluti lapis nec cęcus, nec videns dici potest.

3. Consideratio. *Dubitatio de Eccentricis & Epiciclis.* At tertio loco considerandum occurrit, quid sit dicendum de orbibus Planetarum Eccentricis, eorumq; Epiciclis excogitatis a Ptolomæo, & alijs Astronomis, quorum partes per propriam reuolutionem modo accedunt, modo recedunt a centro mundi, adeo vt moueri videantur motu mixto ex recto & orbiculari, cuius oppositum enunciatum est ab Arist.

Solutio. *Ratio.* Hac de re duo dicenda puto, vnum est Eccentricos, & Epiciclos, rationi conspicue aduersari, & vt modo cætera missa faciam, hoc vnum sit satis, quod si re uera darentur, cogerentur descendere vsque ad Terram ob amplitudinem, præsertim Epicicli Veneris, quæ stella cum modo tanquam Lucifer per quinquaginta fere gradus antecedat, aliquando vt Hesperus per totidem sequatur Solẽ, est necesse vt insideat Epiciclo, cuius semidiameter sit quinquaginta graduum, ac ita reddetur proximus Terræ, nec supererit interuallum pro Mercurio & Luna: nam lineæ veri motus Solis & Veneris iunctæ statuuntur, qua de re multa præclare a Io. Pico dicuntur, adeo vt Astronomi regula quæ dicitur per impossibile, nitantur obseruare ea quæ in Planetis apparent.

Alterum, quod dicendum puto, est, quod concessis Epiciclis, eis præter motum totius orbis competat motus proprius, tanquam partis, qui fiat circa centrum proprium, & quia sursum & deorsum, vt etiam ascensus & descensus, sunt proprie in hoc mundo mortali, ideo ille Epiciclorum, nec sursum, nec deorsum dici debet, sed solum orbicularis, & proprius eius partis, præsertim quia eius terminus & mensura non est centrum vniuersi vt motuum rectorum.

Ratio autem qua ostendebatur Cœlum esse maxime leue, quia est maxime sursum, soluitur distinguendo id quod dicitur sursum, nonnunquam enim vsurpatur ex parte nostri, pro omni quod supra caput nostrum est collectum, & ita Cœlum est maxime sursum, nonnunquam vero proprie pro differentia loci in quo fit motus rectus, in qua significatione dicimus, quod Cœlum non est sursum, sed est faber & mensura huiusmodi differentiarũ loci, & est supra sursum, quod est differentia & locus leuium.

Quarto

Quarto considero, quod Arist. loquens de simplicibus corporibus ait, in idē ferri totum & partes, quod non caret difficultate; quia Elementum totum, nec ascendit, nec descendit, sed solum partes, quæ dubitatio soluitur per quattuor fundamenta primum est quod de corporibus consimilibus, eadem est ratio totius & partium. *4. Considera tio. Dubitatio. An in idem ferantur totum & partes. Solutio.*

Alterum est, quia quod competit singulis partibus, dicitur competere toti.

Tertium sumitur ex quiete, nam illuc per naturam est aptum moueri corpus, vbi per naturā quiescit, sua enim quiete patefacit propensionem in illum locū.

Quartum elicitur ex suppositione, nam si Terræ globus esset eleuatus vsque ad Lunam, derelictus suæ naturæ descenderet per eam ad centrum vniuersi.

Contextus XX. & XXI.

Simili modo rationi consonum est putare de ipso, quod ab ortu ab interitu, ab accretione, & alteratione sit immune.

Propterea quod omne quod oritur, fit ex contrario, & subiecto aliquo, & interit similiter subiecto aliquo, & ex contrario in contrarium, vt in primis sermonibus dictum est; Contrariorum autem & lationes contrariæ sunt: Si autem huic nil contrarium contingit esse, cum motui in orbem nullus sit contrarius motus, recte videtur natura id, quod futurum erat ingenitum & incorruptibile a contrarijs secreuisse, cum inter contraria versetur ortus, & interitus.

At vero & omne quod crescit crescere, & quod minuitur, minui apparet ab aliquo eiusdem generis adueniente & resoluto in materiam, huic autem non est ex quo factum est. Si autem nec crescere, nec interire valet, eadem ratione existimandum est, quod alterari nequeat. Alteratio enim est motus ad qualitatem, Qualitates autem sunt habitus, & dispositiones, quæ non fiunt sine mutationibus per passiones factis, vt sanitas, & ægritudo: corpora autem Physica, quæ secundum passiones mutantur, omnia apparent prædita accretione, & diminutione, vt animalium corpora & partes eorum, & Plantarum, necnon Elementorum.

Quare cum corpus, quod circumfertur, nec crescere, nec minui contingat, rationi est consentaneum, vt nec alterari valeat. Quod igitur corpus primum æternum sit, nec crescere, nec minui valeat, sed senij, alterationis & perpensionis sit expers, siquidem suppositis præbebitur fides, ex dictis patet.



LOQVENS Aristot. de Cœlo initium sumpsit ab eius motu, vt magis patefaceret naturam eius; ex eo progrediebatur ad grauitatem & leuitatem, vt magis iunctam motui; nunc autem transit ad internas permutationes, manifestans ab eis esse immune: ratio huius intentionis est, vt colligat, Cœlum solum moueri motu secundum locum, per quem nil intrinsecus variatur, a reliquis autem mutationibus, per quas interna variantur, esse immune. *Cōtinuatio. Intentio.*

Diuiditur vniuersus Contextus in quattuor partes, in prima ostenditur Cœlum non gigni, in secunda non crescere, nec minui, in tertia *Diuisio.*

tia non alterari, in quarta colligitur conclusio. Redeundo ad primam partem, in ea hæc formatur ratio; Omne quod fit, & interit, est præditum contrario, & subiecto aliquo, Cœlo non competit contrarium, quare nec fit, nec interit; maior est nota ex primis sermonibus hoc est ex primo Physicorum.

Minor ostenditur, quia contrariorum contrarij sunt motus, motui Cœli non competit contrariũ, quare nec Cœlo; ex quo infertur naturæ a Deo directæ prouidentia, cuius officium est, recte disponere ordinata in finem, finis est Cœlum immune ab ortu & interitu, ob quem finem Cęlum a contrario exemptum fuit. (At vero & omne quod crescit, &c.)

In hac secunda parte Cœlum nec augeri, nec minui ita ostẽditur: omne quod crescit, & minuitur, crescit per aliquid adueniens, veluti per alimentum, quod sit eiusdem generis, hoc est materiæ, & minuitur per aliquid eius quod in materia resolutiuam, aliam formam suscipientem; At Cœlo non conuenit aliquid eiusdem materiæ, ex quo sit genitum, cum minime genitum sit, quare nec crescit, nec minuitur.

Nam res ob eam materiam crescunt, & minuuntur, per quam gignũtur & intereunt, cum non crescant, nec minuantur sine alicuius ortu & interitu. (Si autẽ nec crescere, nec interire valet, &c.) ostenditur in hac tertia parte, Cœlum non alterari hac ratione; omnia corpora, quę alterantur etiam subijciuntur accretioni & diminutioni, Cœlum nec crescere, nec minui potest: quare nec alterari. *Verba textus.*

Maior ostenditur, quia alteratio est motus ad qualitatem, qualitas est habitus vel dispositio, hoc est affectio, vel difficile, vel facile mobilis, veluti sanitas & ægritudo, quæ mutationes competunt animalibus, & plantis quibus etiam competit accretio, & diminutio: nam est via ad accretionem, & diminutionem, siue ad ortum & interitum. (Quod igitur corpus primum, &c.)

In hac quarta parte ex dictis colligitur conclusio, quæ est patere, si suppositis adhibeatur fides, Cœlum esse immune ab ortu, interitu, accretione, diminutione & alteratione.

ANNOTATIONES.

1. Consideratio.



ONSIDERO Primo quod Arist. ait, simili modo rationi consentaneum esse putare Cœlum, nec gigni, nec interire; ait (simili modo,) quia iuncta, quæ de eo ostenduntur ex eodem principio eliciuntur, nimirum ex motu in orbem, & eius conditione: ex eo enim elicitur, Cęlum esse distinctum a quattuor Elementis, esse eis eminentius, carere contrario, & ob id esse immune a mutationibus, per quas interna variantur.

Dubitatio. At obijciet aliquis, quia etiam latio contrarietatem exposcit, cum ex quinto Physicorum, motus omnis inter contraria versetur.

Solutio. Respondeo concedendo motum omnem versari inter contraria, & quemadmodum motus est duplex, vnus internorum, alter per solam relationem ad externa, vt latio, ita contrarietas est duplex, vna internorum, altera externorum, vna attinens ad formam, altera ad interuallum partium, & distantiam maximã earum; Cęlo competit non prima attinens ad interna, & formam, sed altera posita in sola distantia interualli & partium, vt apparebit in Contex. 87. huius libri.

Oppositio secundum formam & interna, indicat varietatem internorum, a quorum mutatione immune est Cœlum, at altera solum patefacit varietatem relationis partium ad partes maxime distantes, qualis est distantia per diametrum, ita Sol mouetur ab ortu in occasum, quæ oppositio interualli per diametrum maxime competit Cęlo, cum vnicuique parti eius pars altera per diametrum sit opposita; adeo vt dicere valeamus, cum Cęlum careat contrario de-

struente,

ſtruente, maxime tamen eſt præditum contrarietate, contrarietas autem inter ſurſum & deorſum etiam eſt ſecundum formam qualitatis & conditionem differentiarum.

2. Conſideratio. Conſidero Secundo, quod Ariſt. colligens concluſionem ait; ſi quidem ſuppoſitis præbebitur fides: quæritur quæ ſuppoſita denotet; nam apparuit in præcedentibus quod varia ſuppoſuit. *Dubitatio.*

Simplicius. Simplicius duas dat expoſitiones, prima, quod motui cęli contrarium non competat, & generatio inter contraria verſetur; altera quod denotet ea ſuppoſita, quæ denotauit in Contex. 17.

Solutio. Et hoc etiam approbauit Plotinus in 2. c. ſui libri de cęlo. Dicamus ſuppoſita eſſe duplicia, nonnulla ex quibus proxime colligitur concluſio & eſt quod motui cęli non competat contrarium, alia quæ longe magis inſeruiunt & principalia ſunt, & hæc ſunt ea, quæ denotauit, & ego retuli in Contex. 17.

3. Conſideratio. Conſidero Tertio, quod Ariſt. ait, ortum & interitum verſari inter contraria: cuius oppoſitum affirmauit in quinto Phyſic. inquiens non inter contraria verſari, ſed intereſſe & non eſſe, quæ contradictoria dicuntur. *Dubitatio.*

Solutio. Soluitur per duo fundamenta, primum eſt, per contraria etiam denotari contradictoria: quæ etiam in primo Phyſicorum nomine contrarij denotauit: alterum eſt, quod quamuis proprij termini ſint contradictorij, tamen nullus ſit ortus & interitus ſine actione, paſſione & permutatione proprie contrariorum.

4. Conſideratio. Conſidero quarto, quod accretio & diminutio eſt duplex, vna Mathematica, de qua Ariſto. in poſtprædicamentis dixit, creſcere quadratum ſine alteratione, circumpoſito Gnomone, at hæc ad rem non facit: Altera eſt Phyſica, quæ vſurpatur dupliciter, vel late pro quauis molis acretione & diminutione, & hæc competit cunctis mortalibus corporibus vel preſſius, & proprie procea, quæ pendet ex anima nutriente.

Dubitatio. Dubitatio eſt, quam Ariſto. denotauerit: reſpondeo, denotaſſe vtramque: neutra enim competit cęlo, præſertim tamen proprie ſumpta: hinc vſus eſt exemplo Plantarum & Animalium, ſemper enim id, quod eſt principale, principaliter occurrit conſiderandum. *Solutio.*

Epicurus. Qui ſequuti ſunt Epicurum, etiam hanc cęlo tribuerunt & dixerunt nutriri halitibus, qui eleuantur & trahuntur a Stellis.

Democritus. Democritus & Leucippus putarunt poſſe augeri & minui per acceſſum vel receſſum Atomorum.

Academici. Nonnulli Academicorum etiam affirmarunt, creſcere & minui per acceſſum & receſſum vehiculorum, quibus animæ iunctæ deſcendunt a cęlo, & in illud redeunt: vehiculos autem æthereos ex cęli eſſentia conſtitutos exiſtimarunt.

Opinio Ariſtotelis. Theologi recte ſentientes vna cum Ariſtotile dicunt, cęlum per naturam nec creſcere, nec minui poſſe, at per abſolutam Dei poteſtatem ei competere vtrunque: nam augeri poteſt cum mole, tum ſpecierum numero, vt declarant Scotus & D. Thom. in primo ſent. diſt. 44.

Scotus. D. Thom. Diſſentiunt tamen, quia Scotus ſecundo ſent. diſt. 1. quæſt. 3. non putat poſſe fieri mundum maiorem in infinitum, quia repugnat gigni actu corpus infinitum, ita enim eſſet generatione finitum, & actu infinitum, contra tamen Greg. Arim. & Franc. de Mairone, putant poſſe fieri & non pugnare: at de hoc alibi.

5. Conſideratio. Conſidero quinto, quod Ariſtot. non de materia oſtendit quod cęlo non competat, ſed de contrarietate, quia per motum orbicularem hoc proxim: oſtenditur, at eadem ratio vim habet de materia, quia materia generationis ei eſt, quæ eſt ſubiectum contrariorum, de qua Ariſtot. in lib. de Long. & Breu. vitæ ait, vbi eſt materia ibi eſt contrarietas, & ideo remota contrarietate a cęlo, remouetur ea materia, quæ eſt principium generationis: propterea Ariſt. ait, cœlo non competere materiam, ex qua fit genitum, quæ eſt fundamentum contrarietatum & campus litium Naturæ.

Materia cæli differt ab ea mortalium. Ex quo necessarius elicitur, materiam Cæli variam esse a materia eorum, quæ gignuntur & intereunt.

6. Consideratio. Considero Sexto, quod Arist. commendans Prouidentiam Naturæ, ei a Deo infusam ait, recte videtur Natura, id quod futurum erat ingenitum & incorruptibile, exemisse a contrarietate.

Prouidentia. Conspicue approbat, vniuersum non casu sed Prouidentia recte constare, & regi, quæ Prouidentia est duplex vna propria & præcurrens, altera sequens & non propria. Prouidentia sequens est, dum emendantur & corriguntur errata, qualem Arist. iudicat esse eam prolatam a Platone de Cælo dicente, quod sui conditione est mortale & solubile, & Dei voluntate seruatur æternum: contra inquit Arist. Cælum sui conditione debet esse æternum, & ob id Prouidentia Naturæ antecedente exemptum est a contrarietate.

Hæc est illa Prouidentia, per quam perfecto, & supposito fine recte disponuntur media ei conducentia.

Septima consideratio. At septimo loco considerandum occurrit, quæ sit ea natura de qua Arist. ait liberasse Cælum a contrarietate; nam si Cælum a natura non est genitum, quomodo ab ea exemptum est a contrarietate?

Quæ natura Prouida. *Resolutio quæsiti.* Respondeo, hoc esse verum triplici consideratione: Prima est ex suppositione, nam ita se habet, vt se haberet si a natura recte fuisset genitum.

Secundo intelligendo per naturam ordinem & conditionem rerum natura constantium, adeo vt denotet hanc esse conditionem naturæ Cæli, qui ordo apud Peripateticos frequenter nomine fati denotatur.

Tertio intelligendo Deum, qui dicitur caput naturæ, natura melior, & natura naturans, ad quem pertinet Prouidentia, per quam ab æterno recte cuncta sunt disposita.

Octaua consideratio. Considero octauo, quod Arist. remouet a Cœlo alterationem, quod dubitatione non caret; nam per luminum varietates multæ mutationes nedum in aere fiunt, sed etiam in Cœlo, ob varietates aspectuum Stellarum, vt præsertim *Dubitatio.* apparet de varia luminis in Luna receptione, quæ mutationes cum sint qualitatis, ad solam alterationem redigi possunt.

Auer. Ait Auer. illuminationem esse relationem, quia in secundo de Anima dicitur præsentia lucidi, at quia nedum est præsentia lucidi, sed etiam actus perspicui.

Alexand. Ideo Alex. hanc alterationem Cœlo concedit ac insuper ait, in Cœlo per lumen variati colores: & Planetarum quoque varios dicunt Astronomi esse colores.

Solutio. Propterea dicamus, alterationem esse duplicem, vnam quæ est sola perfectio sine vllo interitu, vel via ad interitum, & hæc competit Cœlo per lumen: Alteram magis propriam cum interitu contrarij, quæ fit per passiones & patibiles qualitates, & hanc Arist. remouet a Cœlo, de qua ait, quod qualitates sunt habitus, & dispositiones, quæ non fiunt sine mutationibus per passiones factis, vt sanitas & egritudo.

Id ipsum puto dicendum de coloribus, nam Cœlo non competunt colores, qui sint qualitates secundæ prodeuntes ex primis, competunt tamen colores spiritales eminentiores, prodeuntes ex varietate luminis recepti in perspicuo densiore & rariore cum varietate aspectuum, qui colores non destinguuntur specie a lumine, sed sunt ipsummet lumen vario modo receptum, & nedum apparent, sed reuera sunt aliquid, vt reuera lumen aliquid est.

9. Consideratio. Considero nono qđ ad conclusionem pertinet quod Arist. ait, Cælum non senescere, vtitur autem voce senij, quod proprium est viuentium & est via ad interitum eorum: quia Cælum putat viuere, vt affirmat in Secundo libro, & per hoc reijcit opiniones Empedoclis, Anaxagoræ, Democriti & Leucippi, qui Cælo tribuerunt ortum, accretionem, senium & interitum.

Hæc est opinio Aristot. nostri autem Theologi lumine fidei illustrati, quorum decretis me semper subijcio, dixerunt Mundo ætates competere, quæ tamen

tamen non sunt varietates essentiæ Cęli:sed dispositionum mundi ei competen tium per relationem ad humanam creaturam.

Contextus XXII.

Videtur autem & ratio ijs, quæ apparent, & ea quæ apparent rationi esse consentanea. Omnes enim homines de Dijs habent existimationem, & cuncti eum qui sursum est locum, eis tribuunt, cum Barbari, tum Græci quicunque putant Deos esse, tanquam immortale coaptatum, nam secus se habere nequit. Si itaque reperitur aliquid Diuinum, vt re vera reperitur, & quæ nuper dicta sunt de prima corporum substantia, recte sunt dicta.

Accidit autem hoc etiam sensu, vt pro hominis fide satis est confirmare: In vniuerso enim præterito tempore per traditam successione memoriam nil videtur permutatum, neque in vniuerso vltimo Cælo, neque in propria aliqua eius partes. Apparet etiam nomen idipsum præseferre, quod ei a veteribus idipsum quod nos existimantibus fuit impositum, & vsque ad nostra tempora conseruatum, neque enim semel neque bis, sed infinities putare oportet easdem ad nos redire opiniones.

Propterea tanquam altero existente primo corpore a terra, igne, aere, & aqua, æthera nuncuparunt supremum locum, sumpta denominatione ex eo, quod semper & æterno tempore currat, Anaxagoras autem nomine hoc male vtitur denotans nomine ætheris ignem.



ACTENVS Philosophus per motum Physicum progrediens ratione propria patefecit attinentia ad corpus cœleste, modo consilium eius est idipsum confirmare rationibus popularibus, communibus & Dialecticis; Ratio huius consilij est, quia quando ratio & sensus, siue propria & communia conspirant, eximia certitudo consurgit. Vtitur autem pro confirmatione tribus popularibus rationibus, & propterea contex. in tres partes diuiditur: in quarum prima hæc formatur ratio. Locus rei æternæ debet iudicari æternus: Cælum est locus æternorum Deorum, quare æternum est. (Accidit autem hoc etiā sensu &c.) In hac secunda parte formatur hæc secunda ratio, id quod neq; secundum totum, neq; secundum vllam eius propriam partem, longa hominum obseruatione variari apparet, debet iudicari æternum Cœli essentia est huiusmodi, quare æterna iudicari debet. (Apparet etiam nomen, &c.) In hac tertia parte hæc ratio formatur; Id quod veteres sapientes iudicarunt & nomine vsq; ad nostra tempora approbato indicarunt, debet iudicari verum, at illi iudicatunt Cœlum æternum, & nomine ætheris a cursu æterno sumpti id patefecerunt, quare Cœlum debet iudicari æternum; verba sunt satis perspicua.

Intentio

Diuisio.

ANNOTATIONES.

Consideratio prima.



ONSIDERO Primum, quod rationibus dialecticis, & Popularibus vti consueuit Philosophus ob quinque causas.

Prima est pro excitando & parando ingenio ad exactiora; aliquando pro confirmatione, vt pateat consensio sensuum & rationis: Tertio ob rei de qua est sermo difficultatem, adeo vt firmioribus vti non valeamus.

Quarto ob impotentiam auditorum, qui solum assueti sint sermonibus popularibus.

Quinto ob conditionem loquentium nam Rhetores vti debent communibus & popularibus. Aristot. id modo facit cum pro confirmatione, tum insuper quia ratio, qua est vsus, non exactam patit certitudinem.

2. Consideratio. Considero secundo, vt pertinet ad primam rationem, quod Aristo. ait, omnes homines de Dijs habere existimationem, hoc est excitari in Deorum indagationem, & aliquid de illis existimare: & hoc accidit triplici ratione; prima prodit ex mentis cum Deo connexione, ob quam excitatur ad eius indagationem. *Quomodo oēs de Dijs aliquid existimant.*

Altera ex conditione rerum ex Deo pendentium & patefacientium gloriam eius; Tertia ex insito mentis instinctu, pro indagandis rerum causis, quarum suprema est Deus, nonnulli tamen per propriæ conditionis peruersionem, & deprauatum vsum vel Deum non concesserunt, vel in dubium reuocarunt, veluti Protagoras, Hippo. Diagoras, Theodorus, qui ob id dicti sunt Athei. *Philosophi Athei*

3. Consideratio. Considero tertio, quod Aristo. ait, omnes qui putarunt Deos esse cum Barbaros, tum Græcos, eis pro loco tribuisse Cœlum. Ait & Barbaros & Græcos, quia consueuere Græci cæteras omnes nationes nuncupare Barbaras, ac ita Aristot. cunctas nationes denotat. Prætulit autem Barbaros, quia apud eos primo scientiæ restaurari cæperunt, non autem apud Græcos, vt minus recte refert Diogenes Laertius sub initio libri de Vitis Philosophorum. *Diogenes Laertius.*

Ordo restaurationis scientiarum. Scientiæ enim florere cęperunt primo in Armenia, Mesopotamia, apud Assyrios, & Chaldæos, a Chaldæis fluxerunt ad Hebræos, ab Hebræis per Iacobum, & Iosephum, qui in Aegyptum cum vniuersa familia, vt legitur in Genesi, commigrarunt in Aegyptum, translatæ fuerunt, ab Aegyptijs mox ad Græcos peruenerunt, quorum multi pro illis addiscendis in Aegyptum nauigarunt, & demum a Græcis vna cum Imperio ad Romanos & Latinos peruenerunt.

Plato. Hinc Plato in Timeo comparans Græcos cum Barbaris, eos appellat pueros & nil vetusti seruare affirmat: ait tamen in appendice Legum, quod quicquid Græci sumpserunt a Barbaris, id perfecerunt & illustrarunt.

Quarta consideratio. Considero quarto, hanc conclusionem, quod omnes eum, qui sursum, Dijs tribuere locum, nam veteres ad varia diuina Dei nomen retulerunt; cum tamen absolute Deus vnus sit. Legitur in principio quarti Physicorum, quod quæcunque sunt, alicubi esse iudicantur, & quæ nullibi sunt, absolute non esse dicuntur, Deo tribuerunt locum sursum, sumendo sursum late, pro omni eo quod supra caput nostrum est positum, non autem proprie pro differentia loci, ad quam properant leuia.

De modo, quo separati Cœlorum motores sint in Loco, verba feci in libro de Cœlorum motoribus, hic autem solum confuse dicuntur esse in Cœlo, hinc cecinit Homerus: Esse solum Diuis subnixum semper Olympum fama est, &c.

Homerus. Hinc deprecaturi Deum & manus & faciem in Cœlum vertimus, quod facimus & instinctu naturæ, & ratione rei sublimi & purissimę locum purum & sublimem tribuentes, & vt ait Aristot. æternum æterno optantes, nec secus se habere potest.

Occurrit

Occurrit tamen instantia de humana mente quæ cum sit æterna pro sede habet hominem mortalem: quæ instantia soluitur primo, quia mens hominis quãuis sua essentia sit æterna, est tamen actione mutabilis. *Dubitatio.*

Insuper cum mortalibus nectitur, ob nexum cęlestium cum mortalibus, inquiunt Academici, id fieri per vehiculum æthereum medium. Et Arist. in 2. de Gener. Animalium ait, id fieri per spiritus proportione respondentes Elemento stellarum; & demum si absolutam veritatem consideramus lumine fidei inspectam dicimus sedem propriam & absolutam mentis esse Cœlum, hanc vero esse sedem pro exiguo tempore. *Solutio.* *Propria sedes mentis.*

Apparet tamen controuersia inter hunc Contex. & Contex. 84. octaui Physic. quo loci dicitur non absolute omnes putasse Cęlum sedem Deorum, sed vel medium, vel supremum circulum; quam controuersiam eo loci dissolui, & solutionem non repeto. *Cōtrouersia.*

Considero quinto, pro secunda ratione sumpta ex accurata obseruatione Cęli & partium eius, quod cum Astronomorum diligentia nil accuratius Cœlo sit obseruatum, nulla tamen in eo vnquam apparuit essentia permutatio, adeo vt ex hoc fidem, quæ, vt homini licet, satis sit, elicere valeamus, & ait, vt homini licet, quia vt in secundo libro dicetur, de Cœlo & distantibus a nostris sensibus exactam certitudinem assequi non valemus: cum initium Philosophandi sumatur ab eis, quæ sub sensum cadunt. *Solutio.* *5. Consideratio.*

Et pro notitia animaduertendum, quod rerum in ordine ad nostram cognitionem quattuor sunt gradus: nonnulla enim infra sensum sunt posita, vt quæ carent actu formæ, veluti materia prima, quæ noscitur per superuenientem formam, alia ex se cadunt sub sensum, quæ sensilia dicuntur: nonnulla sunt supra sensum, cum sensilibus tamen vel magis vel minus iuncta, quæ attinent ad rationem, & dum longe distant & parum sunt iuncta, obscure noscuntur, vt Cœlum, & motores eorum. Nonnulla demum supra sensum & humanam rationem sunt eleuata, vt attinentia ad nostram fidem, quę non ratione, sed sola reuelatione sunt nobis recte dispositis nota. *Quattuor gradus notionum.*

Considero sexto a nonnullis in dubium id verti, quod nulla in Cœlo & eius partibus apparuerit permutatio: nam inquiunt, stellas nōnullas incipere in Cęlo apparere tanquam denuo genitas, quæ prius non apparuerunt; & consimili ratione putandum est nonnullas obire & delitescere. *6. Consideratio.* *Dubitatio.*

Ita aiunt in obitu Cæsaris Augusti nouam stellam apparuisse, & dum annis elapsis essem Pataui, audiui quosdam affirmare, se nouam inspexisse stellam, vt etiam modo Senis non desunt, qui dicunt in signo Sagittarij stellam vnam denuo incipere apparere; hoc autem fieri non potest sine aliqua essentiæ Cœli permutatione.

At hæc ego leuissima puto, cum enim innumeræ sint Cęli stellæ, illæ quæ ab Astronomis sunt obseruatæ & descriptæ, & in quadraginta & octo imagines redactæ, parum sunt supra mille, in quibus nulla vnquam essentiæ permutatio apparuit: de cęteris nil certi dici potest, nam cæteræ sunt innumeræ & ob aeris varietates modo videntur plures, modo pauciores; & modo magis modo minus lucidæ, & temeritas est putare, quod dum ab aliquo stella aliqua incipiat obseruari, quod tunc denuo incipiat esse, & a veteribus non fuerit inspecta, quamuis de illa non fecerint distinctam mentionem: rationi autem est consentaneum, cum in stellis principalioribus & accurate obseruatis nulla apparuerit permutatio, quod longe minus conuenerit cæteris, & præsertim, quia stellarum omnium est consimilis ratio, vt dicetur in libro secundo, stella autem refulgens in obitu Cæsaris Augusti excogitata fuit potius a Poetis eius amicis, quam a veris historicis relata. *Euersio.*

Septimo loco pro attinentibus ad tertiam rationem ex Etymologia nominis ætheris depromptam, considerandum, quod cuncta rerum principalium nomina ex conditione earum sunt deprompta: & quia veteres putarunt cuncta moueri & in fluxu esse posita, ideo Plato in Cratylo digrediens circa principaliora *7. Consideratio.*

nomina, nititur ostendere, cuncta ex fluxu & motu fuisse desumpta; quod etiam de nomine ætheris affirmat, vt Arist. quoque hoc in loco.

Ratio ex Etymologia. Hinc oritur ratio Dialectica ex Etymologia deprompta indicans, quod ita putarunt sapientes conditores nominum.

Nam in nomine duo considerantur, vnum est impositio eius, alterum rectitudo & congruentia: primum est ad libitum conditoris, alterum non est ad libitum, sed sequi debet conditionem rerum; nomina enim debent esse consona rebus, & sequi naturam earum.

Hinc nominum quædam dicuntur recte, alia non recte imposita, & imponere nomina recte non est officium cuiuslibet, sed viri sapientis noscentis conditiones rerum; ex quo vim recipit ratio ex Etymologia deprompta, qua modo *Ratio ex Etymologia.* vtitur Aristor. nam Cęlum a veteribus nuncupatum fuit æther, ex quo nomine Arist. duo elicit, primum est quod cum Cęlum nomine altero & distincto ab eo quattuor Elementorum sit nuncupatum, iudicari debeat ab eis eorumque natura distinctum; alterum est, quod sit æternum: nam æther dictum est ab eo quod est ἀεὶ θεῖν, hoc est, semper currere & moueri: Anaxagoras tamen censuit id nomen fuisse deductum ex verbo αἴθω, hoc est ardeo, quia Cœlum censuit ignem, *De nomine ætheris.* & ignē putauit esse principium, ex quo gignatur mundus & in quod resoluatur; quæ sententia, primo a Platone, mox ab Arist. reiecta est.

Nam Plato quoque censuit id nomen denotare æternum fluxum; Aristot. tamen dissentit a Platone, quia nomen illud iudicauit proprium Cœli, cum tamen Plato putauerit eo nomine denotari partem supra aerem positam, quam Arist. nomine ignis appellat, hinc in Timeo ait, ætherem esse partem superiorem, & puriorem aeris; & in appendice Legum addit, ætherem sub Cœlo esse positum, & in Cratylo, qui est Dialogus de recta nominum institutione, ait, dici ætherem quoniam ἀεὶ θεῖ περὶ ἀέρα ῥέων, hoc est, semper currit circa aerem fluens: hac autē ratione Arist. huius opinionis se non inuentorem, sed instauratorem manifestat.

8. Consideratio. Considero octauo quod Ioan. Grammaticus & in octauo Physicorum & hoc in loco, & præsertim in libro quem edidit contra Proclum aduersus æternitatem mūdi & motus acerrime disseruit, qua disputatione hoc solum manifestauit, quod rationes pro eorum æternitate non sunt exactæ ostensiones, vt Aristotilem quoque non latuit, qui in primo Topicorum dixit, de mundi æternitate esse Problema neutrum, quod etiam affirmauit Galen. in libro de Demonstratione; at non ob id inficiari debemus rationes Aristo. plurimum probabilitatis includere, nam de notitia absolutę veritatis supero lumini tenemur reddere gratias.

Instantia Philoponi. Aduersus autem rationes has instat Philoponus & primo aduersum sumptā *1. Instantia.* ex consensu & loco Deorum, quia non omnes putarunt Cœlum æternum, immo Arist. in Contex. 102. dicet, omnes putasse mundum genitum, quare ex cōsensu potius oppositum esset eliciendum: & si locum consideramus, Deus non eget loco, de quo dicimus quem totus non capit orbis, eget mundus Deo, at non Deus mūdo, & præsertim quia etiam templa & altaria dicuntur loca Deorum, cum tamen varientur.

2. Instantia. Similiter nititur inanem patefacere rationem secundam ex obseruatione desumptam, quia etiam apud nos varia obseruantur diu, & nulla in eis apparet permutatio, vt Gēmæ & preciosi lapilli, vt seruatur Perusijs annulus, quo Ioseph. desponsauit Mariam, & quāuis æther denotet perennem cursum, denotat quod currit semper, dum est, adeo vt nunquam requiescat.

Hæ & similes instantiæ solum patefaciunt, vt dixi, eas non esse exactas ostennes, quod etiam fatetur Arist. inquiens, vt ad humanam satis est fidem: includūt tamen apparentem quandam probabilitatem, nam de consensu loquendo Aristot. vtitur consensu dum est consentaneus rationi, at consensum cum ratione pugnantem paruipendit, & Deus non eget loco vt sit & seruetur sed vt manifestetur & conspicue operetur & munera sua in cætera effundat. Templa & altaria, non sunt loca ei per naturam congruentia, sed ex nostro arbitrio & volunta-

te

te prodeuntia; nec sunt loca communia sed propria variarum gentium. Et cum Cœlum absolute dicatur semper currere, etiam absolute magis denotat semper esse, quam solum currere semper dum est: hæc itaque probabiliter pro omni parte dici possunt; absoluta autem veritatis sententia a iudice absoluto veritatis petenda est.

Contextus XXIII.

Patet autem ex dictis fieri non posse vt maior sit numerus dictorum simplicium corporum, necesse enim est simplicis corporis simplicem esse motum, simplices autem dicimus rectum solum, & in orbem. Rectum in duos diuidimus, in eum qui a medio, & eum qui ad medium.



ISTINCTIVS Vt Philosophus de infinito dissereret proposuit primo agendum de partibus specie distinctis, ex quarum ordine species vniuersi consurgit; & quia quatuor vocata Elementa satis constant, ideo præsertim de Cœlo est loquutus, ex quo præcipuæ Mundi conditiones prodeunt, de quo patefecit, quod est essentia quinta ex parte nostri, prima autem absolute, distincta ab ea quatuor Elementorum, & quia pro distincta notitia numeri partium non sat est ostendere, non esse pauciores quinque, sed etiam est necesse cognoscere non esse plures, ideo intentio Aristotelis est manifestare non esse plures: principia autem ostensionis elicientur ex dictis. *Cõtinuatio.* *Intentio.*

Diuiditur Contex in duas partes, in prima profertur conclusio in altera affertur ratio. Conclusio hæc est fieri non potest vt numerus simplicium dictorum corporum sit maior. *Diuisio.* *Conclusio.*

Ratio autem ita formatur; tot sunt simplicia corpora quot sunt simplices motus, at simplices motus non possunt esse plures recto & orbiculari, quorum rectus vel est a medio, vel ad medium, igitur non possunt reperiri plura simplicia corpora illis, quæ his motibus per naturam sunt apta moueri, ea autem quinque sunt.

ANNOTATIONES.



CCVRRIT Primo dubitatio cum enim Cœlorum corpora sint varia, inuicem distincta & mota motibus varijs variaque velocitate, longe magis quam mortalia, non videtur rationi consonum, quod mortalia iudicentur quatuor, ea vero vnicum simplex corpus, & præsertim, cum eius amplitudo longe superet amplitudinem congregati ex quatuor Elementis. *1. Considera tio.* *Dubitatio.* *Ratio dubitationis.*

Confirmatur, quia multæ in Cœlo apparent varietatum oppositiones, veluti densi & rari, perspicui & opaci, lucidi & tenebricosi, quæ cum cœlo competant per naturam, indicant conspicuam varietatem Cœlestium corporum. *Confirm. rationis.*

Pro solutione accipio primo Cœlum ob distantiam longe confusius a nobis nosci quam Elementa quatuor; & quia communia sunt nobis notiora, ideo omnia Cœlestia corpora cum eorum varietatibus, in vnum commune redigimus. *Solutio.*

Addo

Addo secundo, varietates nuper relatas esse sine contrarietate adeo vt id cõmune non sit genus vniuocum, sed ab vno, in quo varietates ordine quodam prædictæ inueniuntur, vt etiam affirmat Aristot. sub initio primi Meteorum.

2. *Considera tio.* Secundo loco considerandum occurrit, quid sit dicendum de Cœlo Empyreo supremo, quod a nostris Theologis Cœlum Beatitudinis & Gloriæ dicitur, & immobile statuitur, quamuis sit corpus simplex & purissimum.

Dubitatio. De Cęlo Empireo. Solutio. Soluens dico, Philosophum per ea, quæ cadũt sub sensum eleuari ad eorum principia, & quia competentia supremo relato Cœlo sub sensum non cadunt, ideo non posse ad illud eleuari, nec tamen cum ratione pugnat: nam vt in medio requiescit Terra tota, ita est rationi consentaneum, vt in sede suprema, pro vniuersi conseruatione, loco mobilium, & mensura varietatum requiescat Cęlum immobile, & præsertim quia quies tanquam finis præfertur motui, & in vniuerso ex immobili Deo prodit motus. hinc recte Scotus dixit, Cœlum non ad motum solum esse procliue, sed esse indifferens ad motum & quietem, quamuis ex opinione Aristotiles secus putem dicendum. *Scotus. Aristot.*

3. *Considera tio.* Possem Tertio considerare quid sit dicendum de commun. Stoicorum spiritu, simplici, esfuso per omnia & cuncta nectente, at quia eorum sententia exacte reijcitur ab Alexand. in cap. de mixtione & pugnat cum opinione Aristo. & absoluta veritate, ideo negligitur.

Contex. XXIV. XXV. & XXVI.

Quod autem lationi in orbem alia latio contraria non sit, ex multis elici potest fides, primum quia motui in orbem maxime opponi videtur rectus.

Extimum enim & intimum, ne dum inuicem videntur opponi, sed etiam recto, dum simul nectuntur, quare si qua latio contraria est, maxime necesse est rectam orbiculari esse contrariam.

Quæ vero rectæ sunt, inuicem sunt contrariæ, ratione locorum, sursum enim & deorsum loci sunt differentiæ & contrarietates.



Intentio. SVMPTA Ratione Philosophus ex conditionibus lationis in orbem, nixus est patefacere conditiones cœli; & quoniam supposuit huiusmodi lationi contrarium non competere, ideo intentio eius modo est id ostendere: quæ ostensio etiam conducit pro confirmatione eius, quod proxime dixit, nimirum simplicia corpora non esse plura dictis; nam si lationi in orbem contrarium competeret darentur plures simplices motus, & plura simplicia corpora.

Pro patefaciendo motu in orbem carere contrario, vtitur ostensione vna ex dinumeratione partium cum earum reiectione formata, & quia partes sunt plures, ideo ait ex multis posse accipi fidem.

Ratio. Ratio tota ita formatur; si motui orbiculari contrarium competeret, vel id contrarium esset motus rectus, vel orbicularis, at neuter esse potest, quare ei contrarium non competit.

Probatio rationis. Primo autem ostenditur, quod talis non sit motus rectus, & ratio ita formatur vt vim habeat vniuersæ rationis hunc in modum, si motui in orbem competeret contrarium, maxime id competere videretur motui recto, at hic non est illi contrarius, quare absolute ei contrarium non competit; quod autem hic non sit illi contrarius ostenditur, quia motui recto motus rectus est contra-

contrarius, & vni vnum solo potest esse contrarium, nam contrarietas lationum sumitur ex contrarietate differentiarum loci, quæ sunt sursum & deorsum verba sunt conspicua.

ANNOTATIONES.



1. Consideratio. Dubitatio circa oppositiones circuli. Solutio.

QVOD Arist. in libro primo Mechanicarum quæst. ostendit circulo plures competere contrarietates, considero primo enim in eo reperitur extimum & intimum, secundo dum reuoluitur simul manet totus, & mouetur; Tertio ex vna parte ascendit ex altera descendit, Quarto per partem superam tendit ad anterius, per inferum ad posterius, at hæc sunt vera de circulis artificiosis, motis extra centrum Mũdi, nõ de orbib. reuolutis circa cẽtrũ Mũdi nã de illis tunc loquebatur Arist.

2. Consideratio. Ratio Aristot. dubia.

Considero secundo, quod ratio formata ab Aristot. satis est dubia, nam quamuis vni vno modo considerato vnum solum sit contrarium, considerato tamen vario modo, varia possunt esse contraria; veluti prodigalitati vt extremo contraria est Auaritia, cui tamen vt vitio contraria est liberalitas: similiter dicere possumus motui recto, vt sursum opponi motum deorsum, vt autem recto opponi orbicularem; hæc est oppositio superior, & superioris generis illa inferior, & hoc etiam videtur indicasse Aristo. inquiens, extimum & intimum, quæ inuicem opponuntur, simul iuncta videntur opponi recto; simili modo dicere valemus, sursum & deorsum quæ inuicem opponuntur simul iuncta opponi orbiculari.

Solutio.

Soluitur quod præcipua vis rationis non in eo est posita, quia vni vnum solum sit contrarium, sed in eo, quod contrarietas motuum attenditur penes contrarietatem terminorum, & contrarietas lationũ penes contrarietatẽ differẽtiarum loci, quæ non reperitur in latione recta & orbiculari, sed solum in recta: ideo Arist. inquit, loci differentias, & contrarietates esse sursum & deorsum.

His accedit, quod distinctio generum non est contrarietas, sed varietas; Contrarietas est pugna differentiarum sub eodem genere vniuoco; Latio non est genus vniuocum, sed commune ab vno, ideo collocata sub eo nõn contraria, sed subordinata dicuntur.

3. Consideratio. Dubitatio.

Considero tertio, quod Arist. ait, lationi in orbem maxime videri contrariam esse rectam. Quod dubitatione non caret, primo quia similiter dicerem, motui recto maxime videri contrarium motum in orbem, nam contraria inuicem referuntur, & si vnum maxime videtur contrarium alteri, & alterum maxime videbitur contrarium illi; ex quo colligerem, motui recto non competere contrarium.

Confirmatur dubitatio, quia legitur 10. Metaphysicæ 13. species vltimas magis esse contrarias intermedijs, quare magis videtur contrarius motus orbicularis orbiculari, quam recto, vt etiam rectus videtur magis contrarius recto.

Solutio.

Soluitur dubitatio, quia communia sunt notiora minus communibus, ideo eorum oppositio est notior: Insuper eorum oppositio est communior & latior, adeo vt longius distent ab inuicem, ideo populariter magis videntur opponi; & dum instatur quia similiter motus rectus videbitur magis contrarius orbiculari, quam recto, respondeo quod videbitur longius distare, at deinde in eo apparet vera contrarietas, quæ non apparet in orbiculari.

Similiter soluitur altera instantia dicendo, species vltimas magis esse contrarias, apparere tamẽ in medijs maiorem distantiam, & oppositionẽ late sumptã.

4. Consideratio.

Considero quarto, quod Arist. ait extimum & intimum inuicem opponi, & simul iuncta opponi recto, ideo quæritur, quomodo illa inuicem opponantur, & quomodo opponantur recto; Arist. in Mechanicis ait, intimum & extimum

circuli

circuli esse contraria, & confirmatur, quia intus & extra sunt differentiæ loci, quæ contrarietatem constituunt. Alexand. dicebat opponi per relationem, at instatur, quia relatorum vnum non est, nec noscitur sine altero, in sphæra reperitur extimum sine intimo, & absolute sine eo noscitur. At Simplicius in circulo opponi per relationem, vt in sphæra esse contraria, quod est dubium, nam extimum cum sit consimile, non videtur modo contrarium, modo per solam relationem intimo oppositum.

Alexand. *Simplic.*

Philoponus Propterea Philoponus rectius sentiebat, inquiens, semper opponi oppositio ne contraria, vt aliæ differentiæ loci, sunt tamen contraria sine mutua actione.

Solutio propria. Similiter dico rectum opponi orbiculari non per relationem solam, sed con trarietate communi inclusa in communibus differentijs, non tamen proprie sumptis, quia latio non est genus vniuocum, sed ab vno; & primo dicitur de or biculari, & ob id rectum & orbiculare nō includunt veram contrarietatem, sed potius varietatem ordinatorum, sub communi ab uno.

Contex. xxvij. xxviij. xxix. & xxx.

INsuper si quis putet eandem de Circulo esse rationem quæ est de recto, & eam quæ est ab A. ad B. lationem esse contrariam ei quæ est a B. ad A. eam quæ super recta fit, dicit, hæc enim terminata est, Circulares autem infinitæ circa eadem puncta.

Similiter & quæ in semicirculo vno fit, vt quæ a C. ad D. & quæ a D. ad C. eadem enim est ei quæ super Diametro fit, semper enim vnumquodque distare secundum rectam ponimus.

Similiter etiam si quis Circulum faciens, eam quæ super altero fit semicirculo contrariam statuat ei quæ fiat super alio, vt in toto circulo eam quæ ab E. ad F. per semicirculum G. ei quæ ab F. ad E. per semicirculum H. At si hæ sunt contrariæ, non ob id illæ lationes, quæ super toto fiunt semicirculo inuicem contrariæ erunt.

At vero neque ea quæ est ab A. ad B circumlatio, contraria est ei quæ est ab A. ad C. est enim motus ex eodem in idem; contrariæ autem lationes definiuntur quod sint ex contrario in contrarium.

Intentio & Ratio.



OTVI In orbem non competere contrarium hac ratione ostenditur, Si ei motus aliquis esset contrarius, vel ille esset motus rectus, vel in orbem, non rectus de quo magis apparet, vt est ostensum, quod autem nec motus in orbem, modo ita ostenditur; Si latio orbicularis lationi orbiculari esset contraria, vel id ei competeret consideratæ secundum partes, vel vniuerse & toti, at neutro modo id contingit, quare &c, quod neutro modo id contigat ostenditur, & primo quod ei non competat consideratæ secundum partes, ostenditur progrediendo per modos omnes quibus imaginari aliquis posset ei contrarium competere.

Diuisio. Diuiditur autē præsens Contex. in quattuor partes, quatenus in eo quattuor modi reijciuntur apparentis contrarietatis; Nam primo quis putare posset perinde se habere de motu in orbem, ac se habet de recto, & vt recto motui contrarius est rectus, ita orbiculari orbicularis, & per hoc redditur consideratio vtilis, & digna vt in ea versemur. In motu recto contrarietas versatur inter

duos

duos terminos maxime distantes, ideo aliquis putare posset contrarietatem motus orbicularis debere attendi penes terminos diametro maxime distantes, adeo vt reuolutioni ab A in B. contraria sit reuolutio a B. in A.



At quomodo hoc debeat intelligi non consentiunt expositores, Alex. Simplicus & Auer. putant id debere intelligi vt per primam figuram denotatur adeo vt lationes fiant a puncto vno ad oppositum per portiones circulorum eorundem. Alij putant id debere intelligi, vt denotatur per secundam figuram, adeo vt sint semicirculi concentrici, vt se habet de motu primi mobili & Planetarum, qui tamen non fiunt super eisdem polis. Putarem ego Aristotelem indefinite loquentem, indefinite debere intelligi, adeo vt contrarietas attendat vt penes oppositos terminos, siue recursus fiat per easdem, siue per oppositas portiones circulorum, vt per tertiam figuram indicatur, & propterea hoc commune reijcit hac ratione, ea quæ est contrarietas vnius generis, non debet iudicari alterius generis, sed hæc maxima distantia per Diametrum est propria rectorum, quare non est tribuenda circulo. *Ambiguitas circa expositionem schematum.* *Expositio propria.* *Ratio.*


Minor ostenditur, quia eius est contrarietas, per quod mensuratur ea distantia, at ea non linea curua mensuratur, sed solum recta; quod ostenditur, quia mensura debet esse minima & definita, quod solum competit lineæ rectæ. *Probatur minor tali syllogismo.*

At dicet aliquis, concedo eadem opposita puncta posse esse terminos indefinitarum & variarum portionum circuli, sed dico, lationes eas esse contrarias, quæ fiunt in eodem semicirculo a C. ad D. & a D. ad C. *Dubitatio.*



Quod in secunda parte eadem ratione reijcitur, quia hæc est oppositio Diametri & recti, non curui & orbicularis. *Solutio.*

At poterit adhuc tertio aliquis putare, motui ab vno termino diametri ad oppositum per vnum semicirculum, contrarium esse motum ab hoc opposito ad illud per alium semicirculum, vt motui ab E. ad F. per semicirculum G. contrarari motum ab F. ad E. per semicirculum H. *Dubitatio.*




Reijcitur hoc ab Aristotile in tertia parte, quia si hæ sint contrariæ, non ob *Solutio.*

id vni-

id vniuersæ reuolutioni contrarium competet, sed erit ab eodem ad idem; potuisset Aristotiles eadem ratione hoc euertere, quia proprie ea est oppositio diametri, tamen quia etiam in circulo seruatur ea maxima oppositio, quæ ei competere potest pro constitutione motus, vt dicetur in Contex. 87. ideo alia vtitur euersione, inquiens, quod quamuis in eo inueniatur mutua aliqua oppositio partium in opposita tendentium, non ob id toti competet contrarietas, quasi dicat institutum præcipuum eius modo esse reijcere contrarietatem totius.

Dubitatio. Verum adhuc putare aliquis poterit, lationi in orbem hanc competere contrarietatem, quatenus motui ab vno termino diametri, puta ab A. per semicirculum B. contrarius videtur motus ab eodem termino A. per semicirculum C. vt patet per hanc Figuram.



Solutio. Reijcitur hoc in quarta parte, quia illæ lationes sunt contrariæ, quarum termini sunt contrarij, huiusmodi reuolutionum termini non sunt contrarij, quare nec inuicem contrariæ erunt.

Probat. Minor ostenditur, quia sunt ex eodem in idem, & hoc est verum, cum de semicirculis, nam ambo tendunt in oppositum; tum de circulo toto, ambæ enim reuolutiones dum complentur redeunt in eundem terminum.

ANNOTATIONES.

1. Consideratio.



CONSIDERO Primo, motum in orbem tribus modis posse considerari, primo vt est motus & ita ei opponitur per priuationem quies, de qua oppositione modo non est sermo.

Motus in orbem consideratur tribus modis. Secundo, vt est in orbem, ac ita ei maxime videtur opponi rectum, quæ non est contrarietas sed ordo, & varietas proximi generis, de qua dicendum est, quod vt cum orbiculari pugnat rectus, ita cũ recto orbicularis.

Tertio considerari potest vt est orbicularis talis, hoc est, versus vnam, vel alteram differentiam, qua consideratione vt motui recto cõtrarius est rectus, ita orbiculari maxime videtur opponi orbicularis. Aristotiles his duobus postremis modis patefecit motui in orbem non competere contrarium.

2. Consideratio. Considero secundo, quod intentio Arist. est eam contrarietatem remouere a motu in orbem quæ requiritur pro ortu & interitu, pro quibus quamuis pro terminis requiratur, contrarietas formæ & priuationis, tamen nunquam ad actum rediguntur, sine proprie sumpta contrarietate, per quam res inuicem alterantur & permutantur, cuius fundamentum est materia prima, de qua dixit in libro de longitudine & breuitate vitæ, quod vbi est materia ibi præsto est contrarietas; & ob id Arist. hanc nititur a Cœlo & eius motu longe repellere.

Considero tertio, quod Aristo. reuolutiones factas inter duos oppositos diametri

metri terminos negat in prima & secunda parte esse contrarias, quia ea est oppositio diametri & lineæ rectæ non orbicularis.

At si hoc esset, tunc motui recto ignis ad Orientem contrarius esset motus eius in Occidentem, quod tamen verum non est, cum ambo sint motus sursum & iudicantur consimiles. *Dubitatio.*

Augetur dubitatio, quia non apparet motus semicirculorum in oppositos diametri terminos mensurari per lineam rectam, quia regula est, mensuram debere esse eiusdem generis cum remensurata, adeo vt curuum curuo, & rectum recto mensurari debeat: sic Astronomi circulos per gradus consimiliter curuos diuidunt. *Alia dubitatio.*

Soluitur prior dubitatio, quia pro contrarietate non sat est distantia maxima interualli, sed virtutis facultatis & conditionis, ad quæ opposita sunt deinde procliuia corpora contrariæ conditionis. *Solu. 1. dub.*

De secunda difficultate, dico quod aliud est mensurare magnitudinem circuli, & mensurare distantiam terminorum diametri, primum fit per mensuram consimiliter curuam, aliud per lineam rectam & de hoc loquitur Arist. *Solutio 2.*

Considero quarto quod Aristo. in latione orbiculari videtur concedere mutuam contrarietatem partium, at non totius. *4. Consideratio.*

Sed de hoc est dubitatio, quia pro interitu sat est mutua cōtrarietas partium, vt patet de mixto, quod cum constet ex cōtrarijs, dicitur præditum internis principijs sui interitus. *Dubitatio.*

Augetur dubitatio, quia in motu recto denotato per lineam rectam non vniuersæ longitudini contrarium competit, sed pars eius vna ab aere ad centrum contraria est alteri, quæ est ab aere ad Cœlum. *Alia dubit.*

De prima instātia ex mixto, respondens dico, quod non est par ratio, quia cōstituentia mixtum ex se sunt totum quoddam, vt ignis, aer, & reliqua & sunt vere contraria secundum formam & mutuam actionem, per quam inuicem pugnant & mutuo se destruunt; non sic se habent portiones circulorum. *Solutio 1.*

De altera difficultate dico, in motu per lineam rectam duo considerari, propensionem ad supera, & propensionem ad infera, quæ sunt duplicia, vel absoluta, vt ignis & terræ, vel in parte & per relationem, vt mediorum: prima dicuntur contraria absolute, altera per relationem, & in parte contraria absolute, absolute sunt prædita propensione ab extremo ad extremum, adeo quod si ignis esset in centro, per insitam propensionem non impeditus properaret ad cauum Lunæ; & si ibi esset lapis, per insitam propensionem properaret ad cētrum, ideo dicimus, partes motuum rectorum esse consimiles, quia omnes tendunt in vnū terminum contrarium, secundum virtutem termino a quo.

Quinto considero, quod absurdum id videtur, quod aliquid ab eodem moueatur ad idem, nil. n. tendit ad id quod habet, sed ad id quo caret, & ad quod est potestate non actu; alioquin motus & labor inanis esset. *5. Consideratio.* *Dubitatio.*


Respondeo, mobilia esse duplicis conditionis, quædam enim mouentur vt requiescant, veluti Elementa, & hæc suum locum adepta non mouentur, sed eorū perfecta dispositio quies est; alia mouentur vt moueantur, quorum conditio est in motu versari: ita enim suam perfectionem seruant, & perficiunt alia & cum debeant id semper facere, semper debent in principio & fine motus esse posita, ac ita tendunt ab eodem ad idem. *Solutio.*



Contextus XXXI. & XXXII.

SI autem reuolutio reuolutioni esset contraria, altera earum esset frustra, ad idem enim est; Insuper est necesse vt id quod in orbem fertur, vndecumque incipiat, per omnia similiter transeat contraria loca; loci autem contrarietates sunt sursum, deorsum, anterius, posterius, dextrum, & sinistrum: lationis autem contrarietates respondent contrarietatibus locorum.

Nam si æque potentes essent, nullus esset eorum motus, si autem alter motus dominaretur, alter non esset; Quare si ambo essent, frustra esset alterum corpus non motum suo motu. Id enim calceamentum dicimus esse frustra, cuius non est proprius vsus: Deus autem, & natura nil faciunt frustra.


Cõtinuatio. 

RIST. hactenus considerauit, apparentes contrarietates partium orbicularis lationis, modo vero considerat totam: vsus est hactenus rationibus communibus sine

Intentio. contractione ad corpus & differentias loci, modo vero ad corpus contrahit, & loci differentias, vt simul pateat, nec lationi in orbem, nec mobili eo motu contrarium competere.

Dubitatio. Solutio. Dubitatio est, num vtatur ratione vna vel duabus, si verba leguntur vt passim in codicibus inueniuntur impressa, rationes apparent duæ, at refert Simplicius in nõ nullis exemplaribus, vbi sub initio legitur, insuper est necesse, legi quia est necesse, indicando rationem esse vnam, & eam tanquam vnam exponit. Si rationes fuerint duæ, ita formandas & nectendas iudico: Si motui in orbem competeret contrarium ratione totius, tunc in rerum natura daretur aliquid frustra, quod est absurdum, connexum ostenditur duplici ratione: quia ea contrarietas vel consideraretur in eodem circulo, vel in distinctis.

Si in eodem moto ab A per B redeundo ad A, cui iudicetur cõtraria reuolutio



ab A per C. redeundo ad A de quibus semicirculis in tertia parte antecedentis Contex. concedebatur quod essent contrarij, sic daretur aliquid frustra, nam frustra circulus in idem tendit duobus contrarijs motibus, cum satis sit id facere vno motu, natura enim pro vno efficiendo non vtitur duobus, vt legitur in primo Politicorum.

Si autem contrarietas consideratur in distinctis mobilibus & circulis, illi vt contrarijs lationibus iudicentur reuolui, moueri debent super eisdem Polis, per

idem

idem interuallum,& per omnes loci oppositiones,ex quarum oppositione pendet oppositio motuum, quæ locorum oppositio non in vario sed in eodem interuallo consideratur,& ob id ea duo mobilia sibi mutuo occurrent; quæ si fuerint æque potentia, mutuo se impedient & non mouebuntur: si autem alterum eorum fuerit potentius,id solum mouebitur,ac ita dabitur aliquid frustra, dabitur enim mobile aliud quod moueri non poterit motu sibi per naturam competente; huiusmodi autem pugnam sæpe inspicimus in ventis contrarijs, qui ob pugnam simul spirare non valent, & si alter dominetur ille solum spirabit.

At Deus & natura nil faciunt frustra. Ita exponenda puto verba si rationes fuerint duæ, si autem fuerit vna sola, cuncta referuntur ad postremam rationem referendo reuolutiones ad distincta mobilia,& hoc credo verius.

ANNOTATIONES.



CONSIDERO primo, quod non est par ratio de motu recto & orbiculari, nam motus recti contrarij non ita se impediunt duplici ratione; prima est quia ea non replent vniuersum interuallum, sed portiones varias eius,vt replet orbis, qui totus in eodem interuallo mouetur,replens simul id totum. *1. Consideratio.*

Altera ratio est, quia mobilia motu recto, non semper mouentur vt Cœlum,ideo per idem interuallũ modo pars vna Elementi, modo altera ei contraria moueri potest,cum tamen Elemẽtum nunquam totum simul ascendat,vel descendat.

Considero secundo,quod Arist. ait,mobilia in orbem vt contrario motu moueantur,vndecumq; incipiant,debere similiter p omnia contraria loca peruenire;at quæritur,cum Cœlum non sit in loco,& careat contrario, quomodo ei cõpetere possunt oppositæ differentiæ loci. *2. Consideratio.* *Dubitatio.*

Pro solutione accipio primo,quod quamuis Cẹlo non proprie locus competat,vt mortalibus,competit tamen modo aliquo ei consentaneo, vt in sermone de loco patefeci, quo præassumpto, præteriens solutiones Alexandri a Simplicio relatas,necnon eam Simplicij,dico sententiam Arist. esse veram triplici consideratione, prima ex suppositione, nam si motui orbiculari competeret cõtrarium, deberent mobili eo motu competere differentiæ loci contrariæ, sine quibus non possunt motus esse contrarij. *Solutio.*

Secundo dum mobile consideratur vt orbiculatum, sic in circulo oppositiones manifestantur per diametrum, & nullum signatur in orbe punctum, cui ex aduerso non respondeat punctum oppositum.

Tertio dum consideratur vt viuens & ex se mobile,sic ei competunt differentiæ viuentium & animalium,nimirum sursum,deorsum,anterius,posterius,dextrum & sinistrum, vt sub initio secundi de Cẹlo declaratur ab Arist.

Tertio loco digrediendum occurrit pro attinentibus ad principalem Coclusionem, quæ est, motui in orbem non competere contrarium; est enim dubia. *3. Consideratio.*

Primo quia ei competit cõtrarium sumptum pro priuatione & est quies, motus autem dum perit in quietem transit. *Digressio.*

Secundo vbi motus ibi contrarietas vt asseritur sub initio quinti Physicorum. *An motui in orbem cõpetat cõtrarium.*

Tertio ei magis quam mobili motu recto videtur contrarium cõpetere, quia vnicuique puncto circuli opponitur punctum aliud ab eo per diametrum maxime distans; & intimo opponitur extimum, & simul sphæra mouetur motu tardissimo medio & velocissimo ob varietatem circulorum eius,& simul per varias partes mouetur ad omnem differentiam positionis: quædam enim partes eleuantur,oppositæ deprimuntur,quædam progrediuntur,aliæ regrediuntur.

Quarto venti mouentur supra terram in orbem,& inuicem oppositi pugnant

& mutuo se impediunt, indicantes etiam motui in orbem competere cõtrariũ.

Quinto contrarietates effectuum indicant contrarietatem causarum, motus Cœli pariunt in mortalibus contraria, quare sunt præditi contrarietate;& motus Planetarum ab occasu ad ortum opponitur motui firmamenti ab ortu in occasum. Demum in omni genere reperitur vna prima contrarietas, quare in genere motus ea reperiri etiam debet, quæ alia esse non potest nisi motus recti & orbicularis.

Opiniones prima. Euersio. De hac difficultate varij varia dicunt. Nonnulli aiunt, motui in orbem competere contrarietatem generis, quæ est motus & quietis, recti & orbicularis: At motus non est genus vt dicitur in 3. Phys. sed commune ab vno, cui competit loco contrarietatis, ordo prioris & posterioris, & quies non est contraria sed priuatio motus.

2. Opinio. Euersio. Alij dicunt, motui in orbem competere contrarium apud nos, at non in Cœlo; quod etiam non satisfacit: quia Aristot. vniuerse ostendit & contrarium non competere, at non cum contractione ad Cœlum, & quamuis venti videantur inuicem pugnare, similiter vndæ contrarijs ventis agitatæ, hi tamen non sunt motus simplices, sed mixti, neque secundum naturam mobilibus competunt, sed violentia; nec sunt integræ reuolutiones, & illæ magis rectæ quam orbiculares.

3. Opinio. Auerrois. Propterea Auer. hoc in loco ait, motui in orbem competere contrariũ imaginatione Mathematica sine contractione ad corpus Physicum: nam dum ad id reuolutiones contrahuntur, pugnant; & in 8. Phys. Cont. 64. addit eam dici contrarietatem, non quia corpora ita mobilia vere sint contraria, sed quia hoc commune habent cum contrarijs, quod mutuo se destruunt.

Euersio. At hæc si ad actum redigi non potest, erit imaginatio fatua & despicienda. Insuper non vere erit ad contraria maxime circulo distantia, quia distantia mensuratur linea recta; nec erit motus simplex per naturam simplici competens, de quo loquitur Arist. quia Mathematicus ab his conditionibus abstrahit.

Sol. propria. Propterea pro resolutione dicamus, cõtrarietatem vsurpari dupliciter, vel pro oppositione per habitum & priuationem, & hæc ei non repugnat ratione generis, sed solum ratione propria, si ea latio fuerit æterna, vel pro contrarietate cõtradistincta ab alijs generibus oppositionum, quæ adhuc vsurpatur dupliciter, vel late, vel proprie; sumpta late ei multipliciter conuenit, sic motus Planetarũ dicitur contrarius motui diurno, & vnicuique puncto circuli est oppositũ aliud punctum: si autem vsurpetur proprie absolute, sic ei contrarium non competit, magis tamen cumpetit circulo artificioso apud nos, quam cœlesti, quia dum ille reuoluitur per partes varias, modo accedit, modo recedit a centro mundi, & a varijs differentijs positionis eius, quod cœlesti circulo non competit.

Insuper magis ei competit ratione partium quam totius, quia totus est ab eodem ad idem, partes autem in oppositum tendunt, vt patebit ex Cont. 87. quæ tamen non est exacta contrarietas, primo; quia ex eadem natura prodit secundo, quia illæ partes constituunt vnum simplicem motum, tertio, quia ea est oppositio diametri.

Si demum consideretur ratione totius, vel consideratur Physice hoc est cum nexu cum corpore Physico, vt præsertim consideratur ab Aristotile, sic contrarium ei non competit; vel consideratione Mathematica non considerando naturam propriam corporum quibus competat, ac ita imaginari possumus duo corpora in oppositum per orbem lata sibi occurrentia inuicemque pugnantia, adeo vt per motum vnius destruatur motus alterius, & sic valemus ea imaginari, quæ tamen esse nequeunt, nec ob id ea mobilia erunt proprie contraria, cũ nequeant esse contrarijs naturis prædita.

Solutiones aduersarum rationum. Rationes aduersæ per hactenus dicta facile diluuntur, prima sumpta ex opposita quiete iam est soluta; similiter secunda, quæ erat, motum omnem exposcere contrarium: nam vt mouetur Cœlum secundum partes, & formam, ita includit contrarium indicatum per diametrum, vt dictum est.

Referebantur tertio variæ oppositiones circulo & orbi competentes, quæ

vel

vel non ſunt proprie contraria, vel non ſunt motus, vel non competunt cæleſti, ſed artificioſo orbi, vel non ſunt oppoſitiones totius, ſed partium.

Inſtabatur quarto per ventos & vndas inuicem pugnantes, de quibus iam apparuit quid ſit dicendum.

Addebatur quinto, Cęlorum motibus contraria produci, ſoluitur, quia contraria ſunt in Cœlo eminentia facultate & virtute, non per propriam formam; nec ea contrarietas requiritur pro cauſa, quæ in re effecta refulget, ſed ſat eſt varietas aliqua, dum ea cauſa fuerit communis, vt eſt Cœlum, non propria. Nec motus Planetarum pugnant cum diurno, nec mutuo ſe deſtruunt, ſed ſeruantur in eodem, cum fiant ſuper diſtinctis Polis.

Demum dicebatur in omni genere vnam eſſe contrarietatem primam.

Reſpondeo hanc verſari inter motum, & quietem vt dixi, & de motu loquendo dico cum Ariſt. in 3. Phyſ. motum non eſſe genus, ſed commune ab vno, cui loco contrarietatis competit ordo, & varietas ordinatorum.

4. Conſideratio.

Quarto conſideranda occurrit ſententia ab Ariſt. prolata, Deus & natura nil faciunt fruſtra; Putant nonnulli nomine Dei denotari Cœlum, nam ſolum collocata ſub Cœlo ſunt ea quæ fiunt, quorum opinio reijcitur, quia Ariſt. loquitur de Cœlo & Cęli motu, de quo non poteſt recte elici, quod a Cœlo fiant.

Q̃uo Deus & natura nil faciunt fruſtra.

Propterea alij putant denotari motorem primum contradiſtinctum ab alijs, quod etiam non puto approbandum, quia tunc ſententia eſſet diminuta, & non numerarentur vniuerſi gradus communium cauſarum.

Euerſio.

Opinio quorundam.

Propterea dicendum cenſeo, Ariſto. ſuo more nomine Dei denotare vniuerſum genus ſeparatarum mentium, quarum caput eſt Deus; ſic in 8. Phyſ. & in 12. Metaphyſicæ, ea quę protulit de primo motore, dixit debere intelligi de vniuerſo genere diuinarum mentium, ex quo dixit pendere Cœlum & vniuerſam naturam, nomine autem naturæ denotauit vniuerſum genus communium corporum natura conſtantium & ſubordinatorum, quod frequenter nomine fati denotatur; Et eſt natura, quæ relata ad Deum, eſt naturata, relata ad eius effecta, eſt naturans.

Altera.

Opinio propria.

Sic itaque vniuerſum genus ſeparatorum mentium, & vniuerſum genus corporum natura conſtantium ſub eo ordinatorum nil faciunt fruſtra. Et amplificat Ariſt. ſentẽtiam ſuam quaſi dicat, ne dum Deus, ex quo proxime pendet Cęlum, ſed etiam vniuerſa natura, ex qua prodeunt mortalia, nil facit fruſtra.

Inſtantiæ.

At variæ ſe offerunt inſtantiæ, tum quia ea ſententia ſupponit Cœlũ & mundum eſſe genita, quod renuit Ariſt. tum inſuper quia datur caſus & fortuna, quæ in 2. Phyſicorum dicuntur eſſe ipſum fruſtra, tum tertio, quia multa ſunt naturę opera fruſtra inchoata, non abſoluta, multa ſunt indiuidua, quæ ſuum finem non adipiſcuntur, vt multi hoĩes, qui nõ aſſequuntur ſummũ bonum, & in ſpeciebus corporũ materia conſtantium, multa apparent, quæ fruſtra per naturam eis tribuuntur, vt fruſtra mulis tributa ſunt genitalia, fruſtra viris tributæ ſunt mãmillæ & talpis oculi ſub cute poſiti; Similiter fruſtra ſacerdotibus & virginibus videtur competere facultas generandi, quæ tamen ſummopere commendatur.

Præterea ſpecies ex putri ortæ, & animalia producta ex coitu animalium diſtinctæ ſpeciei dicuntur facta caſu, & ob id fruſtra.

Solutiones.

Reſpõdeo & de prima difficultate dico per ea quæ fiunt denotari omne quod pendet & ſeruatur a ſuis cauſis, & præſertim ſeruata per motum quæ continenter potius quam eſſe, dicuntur fieri, vt venti, quia niſi ſeruarentur non eſſent.

Aliæ inſtantiæ facile diluuntur, nam Deus eſt ipſum bonum, & quæ ex eo & natura ſumpta pro forma prodeunt, fluunt ex ipſo bono, & ob id non niſi bona eſſe poſſunt, id quod eſt fruſtra bonum non eſt; mala imbecillitates, obitus ſequuntur conditionem materiæ.

Et dum dicitur quod nil faciunt fruſtra, debet intelligi ſecundum ſe, nam ex accidenti multa poſſunt eſſe fruſtra, & ob id eſt vera de ſpeciebus rerum, non de indiuiduis.

De facultate generandi in caſtis ſacerdotibus, & virginibus, dico quod eſt fru-

ftra fecundum carnem,& non fecundum fpiritum, fecundum legem naturæ, & non fecundum diuinam,& demum eft fruftra nō cum depreffione,fed cum eleuatione & directione ad finem eminentiorem & fupra naturam. De oculis talparum,mammillis marium, genitalibus mulorum & fimilibus,dico non effe fruftra penitus,tum quia conferunt pro ornamento, pro complendo numero mēbrorum & perfectione corporis, tum infuper, quia fat eft vt fungantur officio fuo in animalibus quibus conducere debent.

De genitis ex putri & ex coitu animalium diftinctæ fpeciei dico, non effe penitus cafu vt patefeci in 2. Phyf.tum quia funt prædita principijs proprijs, & definitis,ex quibus pendent,tum infuper, quia funt prædita proprio aliquo fine quē attingere valent;tum demum, quia conferunt pro vniuerfi plenitudine, in quo inueniuntur femper fi non actu,faltem facultate & in fuis caufis.

Simplicius. Simplicius hoc in loco longa digreffione refert & reijcit inftantias varias Philoponi aduerfus ea quæ ab Arift.in præcedente capite dicta funt, fed quia per dicta facile reijciuntur,eas filentio prætereo,& ad fequentia accingor.

Deductio ad Cont. 76.

Cur primo oftendatur mundum effe mole finitum. *Ordo feruatus ab Ariflo. & ratio.* DIfputaturus Philofophus de mundo, vt confurgit ex ordine fimpliciū corporum,tenebatur primo patefacere non effe mole infinitum,nam nifi hoc prænofcatur,nec de numero mundorum,nec de Figura,nec de eius ortu,nec de differentijs pofitionis,nec de alijs multis valuiffet differere,& præfertim conftare non valuiffet,mundum effe ordinem & confurgere ex ordine,quia ordo non feruatur in infinito;hinc iure abfoluto proœmio ftatim in quinto Cont. confiderandum proponit,an mundus fit mole infinitus, fed quia vniuerfi moles ex mole partium confurgit,ideo primo de partibus eius dixit effe agendum, nimirum de fimplicibus corporibus, ex quorum ordine mundus confurgit. Et quia fatis conftat reperiri corpora grauia & leuia,ideo in eo folo laborauit, vt patefaceret dari corpus aptum fui natura in orbem verti,quod nec graue nec leue fit, & præter hæc corpora grauia, leuia & neutra aliud fimplex corpus non reperiri; quo patefacto declarandum fibi propofuit,hoc vniuerfum ex eis conftitutum non effe mole infinitum,quod vt exquifite oftenderet,vniuerfe manifeftat infinitum actu reperiri non poffe, quod ad formam pertinet, & folum dari infinitum poteftate & fucceffione, quod pertinet ad materiam, de quo dicimus continuum effe aptum diuidi in infinitum,adeo vt non infinitum detur, fed in infinitum.

Dubitatio. At iure dubitare aliquis poterit, & Arift. tanquam redundantem carpere, cū iam in tertio Phyficorum de infinito cumulate differuerit; cui occurrens dico,de re obfcura & magni momenti non effe inutile, vt dicebat Plato, & ter & *Solutio.* quater verba facere.

Addo fecundo id fieri diftincta confideratione,nam in tertio Phyficorum, de eo eft fermo vt de communi affectione a nonnullis perperam approbata, hic autem magis cum contractione ad mundum; ibi non patebant fimplicia corpora mundum conftituentia, hic autem iam patent; ibi abfoluta fuit declaratio infiniti poteftate, hic abfoluitur declaratio etiam infiniti actu, vtitur etiam hoc in loco rationibus communibus & vniuerfalibus,quod facit, quia minus communia & propria ex communioribus pendent,ideo vt exactius propria pateant,cōmunia repetit.

Et cum primo oftendat vniuerfum hoc non effe mole infinitum in Contex. 51. conclufionem colligens ait ex dictis conftare non dari corpus infinitum, propterea debere confiderari,num fi omne quod eft cum non fit infinitum, faltem fint tantum & valeant effe plures Cœli,hoc eft,mundi;nam forte aliquis de *Dubitatio.* hoc dubitabit putans vt quemadmodum mundus in quo degimus ex his corporibus eft conflatus, ita nil prohibere etiam alios reperiri non quidem infinitos, fed vno plures, quod vt diftincte explicemus primo vniuerfe de infinito eft agen-

agendum, &cæt. De quo infinito vniuerse disputans ostendit non posse dari corpus aliquod actu infinitum, inde enim varia prodirent absurda, nam nec agere nec pati posset, nec mouere nec moueri; & mox ostendit extra Cœlum non posse reperiri sensibile aliquod corpus infinitum, neque absolute, neque secundum aliquid, hoc est secundum partem aliquam & dimensionem, vel melius vt ait Simplicius neque infinitum, neque finitum.

Insuper colligit neque corpus intelligibile posse extra Cœlum reperiri: nam si esset extra, esset in loco, si in loco, esset sensile.

At non constat, quid per intelligibile corpus denotet, puto ego denotasse quodcunque corpus imaginatione & mente consideratum sine accidentibus sensilibus proprijs, quale est corpus prædicamenti substantiæ, & corpus Mathematicum, quæ seorsum a mente non inueniuntur, & præsertim denotasse Mathematicum, quia est in loco solum per imaginationem, & de eo ait Mathematicus, posse in infinitum crescere. *Corpus intelligibile quid.*

Cum autem cumulate satis de infinito disseruisset, conuertitur mox ad eius declarationem, de quo disserendum proposuerat, num scilicet reperiri valeant mundi plures, & inquit.

Contex. LXXVI. & LXXVII.

QVod igitur vniuersi corpus infinitum non sit, ex dictis patet, quia vero dicimus neque plures posse esse Cœlos; nam hoc diximus esse considerandum, si quis putauerit non vniuerse fuisse ostensum de corporibus, quod absolute nequeant extra mundum reperiri, sed solum de indefinite positis formatam esse rationem, ideo hoc sequ tur ostendendum.

Omnia namque corpora mouentur & quiescunt, cum natura, tum præter naturam; Et vbi secundum naturam manent, illuc non violentia tendunt, & in quem tendunt etiam manent.

Vbi vero violentia manent, etiam violentia feruntur, & in quem locum violentia feruntur, etiam violentia manent.

Insuper si qua latio fuerit violenta, contraria erit secundum naturam. Ad medium quod hic si violentia feretur terra inde hinc tendet, illuc secundum naturam, & si ea quæ ibi, manet hic non violentia, tendet huc secundum naturam, vna enim quæ secundum naturam loci mutatio. In Græcis loco postremorum verborum legitur, sed hoc impossibile.



IN Context. 51. proposuit Philosophus considerandum an mundus sit vnus, dixit tamen prius vniuerse de infinito esse agendum, de quo cum satis cumulate egisset, seruans id quod est pollicitus quomodo mundus sit vnus incipit patefacere; ratio huius intentionis est, quia hoc de mundo maxime optamus cognoscere, & ex huius notitia maxime refulget natura & conditio mundi, & præsertim considerari debet, quia de hoc variæ veterum fuere opiniones. *Cõtinuatio. Intentio. Ratio.*

Nectitur autem cum antecedentibus, quia si vniuersum esset infinitum, non esset dubitatio de numero, non enim infinita possunt esse numero plura; ideo reiecto infinito sequitur dubitatio de numero.

In

Diuifio. In præfenti Context. Arifto. tria facit, Primo colligit conclufionem dictorum, Secundo proponit, Tertio nonnulla præaccipit, quæ ei inferuire debent pro formanda oftenfione.

Conclufio eft patere ex dictis vniuerfa, corpus infinitum non dari. Proponitur autem confiderandum id, de quo in Contex. 55. pollicitus eft verba facere, nimirum mundos non poffe effe plures, & quia poffet quis putare, iam hoc in præcedentibus fuiffe oftenfum, cum nonnullis rationibus fit patefactum extra *Solutio.* Cœlum nil effe, ideo Arift. huic tacitæ obiectioni occurrens ait, hoc effe confiderandum, quia poffet aliquis putare illis rationibus non diftincte fuiffe oftenfum alios mundos non reperiri, fed folum ens vim habere de corporibus indefinite pofitus Græce ἀόριστος, hoc eft, infinitis vt & pofuit Alex. quod non fatisfacit quia Arift. in Contex. 69. colligebat extra cœlum nullum effe corpus nec finitum nec infinitum.

Ideo melius cum Simplicio dicamus eas rationes videri vim habere non pro oftenfione quod extra hunc alij non reperiantur mundi, fed quod non reperiantur alia indefinite & fine ordine pofita corpora, & hoc denotat vox illa indefinite. (Omnia namque corpora &c.)

Hæc eft pars tertia, in qua nonnulla præaccipiuntur, quæ & in pauciora & plura diftribui poffunt; ego maioris diftinctionis gratia quattuor effe dico, quorum primum eft; omne corpus Phyficum ad mundi conftitutionem fuo ordine confpirans mouetur cum natura, tum præter naturam quæ fentius debet intelligi de quattuor Elementis motis motu recto, aptis vtroque modo moueri, & de quibus folis formabitur oftenfio. (Et vbi fecundem naturam manent, illuc non vi tendunt, &c.) hoc eft fecundum quod præaccipitur, cuius ratio eft, quia motus recipit denominationem a fine, finis lationis eft locus & quies in eo, ideo iure cum terra, gr. ex., maneat in medio fecundum naturam, tendit fui natura ad medium, non violentia; Similiter vice verfa, in quem locum non violentia tendunt, in eo non violentia manent, (Vbi vero violentia manent, &c.) Hoc eft tertium quod præaccipit, nam finis & ordinata in illum fibi mutuo refpondent, ideo iure cum terra maneat furfum violentia, etiam violentia furfum tendit, & vice verfa. (Infuper fi qua latio fuerit violenta &c.)

Hoc eft quartum ex fe confpicuum, veluti cum terra vi tendat furfum, fecundum naturam redit deorfum, nam lationis rectæ terminus a quo & ad quem, inuicem opponuntur. (Ad medium quod hic fi violentia feretur terra inde &c.) Ex quattuor affumptis duo eliciuntur quibus vtetur Arift. dum oftenfionem formabit; vnum eft, Si gr. ex. duo reperirentur mundi & terra alterius Mundi violentia tendit ad Medium noftri mundi, hinc redibit illuc fecundum naturam, hoc confpicue elicitur ex quarto affumpto & ex fecundo, vt patet.

Alterum quod elicitur, eft, quod fi terra alterius mundi non violentia manet in medio noftri mundi, fecundum naturam in illud redibit; quod fimiliter ex eodem affumpto elicitur, ac etiam ex fecundo, vt eft confpicuum; & eius ratio alia ab Arift. affertur, quia vnius corporis fimplicis vna eft natura & vna latio fecundum naturam, Græca autem verba fecus fe habent, vt retuli in calce Contextus.



ANNO-

ANNOTATIONES.



CAPVT De infinito silentio percurri, quia satis accurate de infinito verba feci in prima parte inspectaticis Philosophiæ. Qđ vero pertinet ad ostensionem, quod mundus sit vnus, considero primo, quod Arist. ita progreditur, primo parat per quattuor assumpta, & per ea duo quę ex assumptis elicit. Secundo formabit ostensionem, Tertio instabit aduersus conclusionem, quod mundus sit vnus; Quarto instantiam soluet. *1. Consideratio.* *Ordo qui seruatur ab Arist.*

Considero secundo quod Auer. de hac consideratione, An mundi valeant esse plures, tria profert: primum est, quod succedit considerationi infiniti; alterum quod est ea nobilior; tertium quod est obscurior. *2. Consideratio.* *Tria ab Auer. prolata.*

Primum conspicue patet, nam si putaremus vniuersum esse infinitum, non dubitaremus a sit vnum, cum infinita non valeant esse plura.

Occurrit hic instantia, quia diuisio entis in vnum & multa, est prior quam eius diuisio in infinitum & finitum; prius autem non supponit cognitionem posterioris. *Dubitatio.*

Respondeo, esse prius contingit dupliciter, vel absolute, vel ex parte nostri modi cognoscendi, diuisio in vnum & plura est prior absolute, altera vero secundo modo; nam si vniuersum esset infinitum, non dubitaremus de numero, neque etiam rationibus ex propensione corporum ad medium vel a medio depromptis vti possemus, quia infinito nec medium nec extremum competit. *Solutio.*

Dicebatur secundo, considerationem vnitatis mundi esse nobiliorem, & iure: nam hæc resoluitur per affirmationem, illa per euersionem, vnitas est munda perfectio, infinitum vero renuitur a natura, & denotat imperfectionem, vt dicitur in Context. 12. huius libri, & in 8. Phys. 48. Insuper est coniuncta cum vnitate primi Principij, ex quo pendet Cœlum & vniuersa natura, nam dicitur in 12. Metaphysicæ, quod si mundi essent plures, plura essent principia prima.

Dicebatur tertio hanc considerationem esse obscuriorem, & iure: nam per longe plura, & magis conspicua reijcitur infinitum, quam ostendatur vnitas mundi, illud toto genere reijcitur, & vniuerse cum natura pugnat, non autem sic se habet de vnitate & multitudine.

Considero tertio, quod aliud est dicere, mundum esse vnum, & mundos non posse esse plures, nam de primo consentiūt nostri Theologi cum Peripateticis, de secundo dissentiunt, Theologi enim supero lumine illustrati, noscunt per immensa Dei potestatem plures posse creari mundos, Peripatetici vero considerantes vires naturæ, id rennunt, & ob id Arist. ostendendum sibi proponit mundos non posse esse plures. *3. Consideratio.*

Considero quarto quod aduersus ea quattuor quæ assumpsit Arist. variæ possunt afferri instantiæ, nam lapis a vento eleuatus, potest mox a turbine violentia impelli deorsum, cum tamen deorsum maneat secundum naturam. *Quarta consideratio.*

Respondeo debere semper nos id considerare quod est secundum se, non ex accidenti, & quod absolute competit naturæ mobilis; insuper motus ille in proprium locum est secundum naturam ex parte termini, violentus vero ex parte modi assequendi illum terminum. *Dubitatio.* *Solutio*

Instatur secundo, quia lapis in aere violentia detinetur cum tamen a sphæra ignis in aerem per naturam descendat. *2. Instantia.*

Respondeo lapis in aerem descendit non vt in eo requiescat, sed vt per illum moueatur, descendit sui natura per aerem, non in aerem, & considerari debet terminus postremus non ordinatus in eum. *Solutio.*

Tertio instabat Alex. quia lapis potest varijs modis moueri præter naturam, vt sur-

vt sursum, ad latera quæ sunt dextrum & sinistrum, & cum violentia tendat ad partem dextram non ob id tendit a d læuam secundum naturam. Soluitur contrarium esse multiplex & extremi ad extremum, & medij ad medium, & medij ad extremum, absoluta contrarietas est extremi ad extremum & hæc est consideranda; insuper sermo est de motibus simplicibus non de mixtis quales sunt ad latera.

Solutio.

Contextus LXXVIII.

INsuper necesse est mundos omnes ex eisdem constare corporibus, cum sint sui natura similes. Ac etiam vnumquodque corporum necesse est vt eadem facultate sit præditum, veluti ignem & terram, & horum media, nam si hæc essent æquiuoca & non eiusdem ideæ quæ ibi, & hic corpora, vniuersum quoque æquiuoce diceretur mundus. Patet itaque quod hoc quidem ad medium aptum est ferri, hoc autem a medio eorum, cum ignis omnis sit cum altero igne eiusdem speciei; sic aliorum vnumquodque veluti inuicem se habent in hoc mundo partes ignis.

Quod autem sit necesse ita se habere, notum est ex suppositionibus de motu, nam motus finiti sunt, & vnumquodque elementorum per vnumquemque motuum dicitur; Quare si motus ijdem, elementa quoque necesse est vbique esse eadem.



RISTOTELES Pro ostendendo mundo vno, primo nos parat, mox ostensionem format, vt nos cumulate paret. Primo assumpsit quattuor ex quibus duo colligebat, modo vero alia duo accipit pro deductione ad absurdum, ac ita in duas partes diuiditur Context. Primum supponit vt notum, alterum duplici ratione confirmat.

Intentio.
Diuisio.

Primum quod accipit est; si plures darentur mundi putandum est omnes ex eisdem constare corporibus simplicibus, ex quorum ordine consurgunt. Alterum quod accipit est, ea corpora debere iudicari eadem facultate prædita, adeo vt per naturam consimili motu moueantur: ostenditur autem hoc primo, quia si ea essent distinctæ facultatis, etiam essent distinctæ naturæ, ac ita terræ, & ignes variorum mundorum æquiuoce nuncuparentur, ignes, & terræ, & si hæc, etiam mundi æquiuoce nomine mundi denotarentur. Ex quo elicitur omnem terram variorum mundorum ad medium ferri, & omnem ignem a medio, non secus ac partes variæ nostræ terræ inuicem se habent. (Quod autem necesse sit ita se habere &c.) In hac postrema parte affertur secunda ratio huius secundi assumpti, quæ elicitur ex suppositionibus de motu, nam in primo cap. vt notum supponebatur motus simplices esse, vel a medio, vel ad medium, vel circa medium, & alios præter hos non posse reperiri, & propterea cum motus simplices corporum suo ordine mundum constituentium sint ijdem, eorum naturæ & facultates etiam erunt eædem.

ANNOTATIONES.



ONSIDERO Primo hunc contextum a Simplicio, Alexandro & alijs vario modo induci, at quia per huiusmodi varietates non variatur sententia principalis propterea dimissa varietatum relatione, solum eam retuli sententiam quam veriorem puto. *Consideratio prima.*

Considero secundo, quod Arist. primo accipit mundos omnes ex eisdem constare corporibus, at non patet vnde hoc eliciat; Simplicius ait, hocce desumpsisse ab illis, qui plures putarunt reperiri mundos, at si hoc esset, ratio non formaretur ex eo absolute, sed solum ad hominem. Propterea dicamus nedum fuisse desumptum ex concessione aduersariorum, sed præsertim ex definitione mundi, & ex duplici ratione, quæ affertur pro ostensione secundi assumpti; ex definitione quidem mundi, nam dicitur quinque simplicium corporum ordinata series: ex ratione prima, quia alio quin æquiuoce dicerentur mundi; similiter ex secundo, nam progrediendo per notiora nobis, dicimus motus simplices solum esse tres, & propterea virtutes & naturæ simplices solum tres esse valent, si virtutes & naturæ sunt tres, tria sola erunt simplicia corpora suo ordine mundum constituentia, grauia, leuia, & natura. *2. Consideratio. Dubitatio. Simplicius. Solutio.*

Considero tertio quod Arist. ait hæc patere ex suppositionibus de motu; at instatur, quia non omnia supponebantur, sed nonnulla fuerunt ostensa. Dicas, quod cum nonnulla fuerint ostensa, alia vt sensu nota concessa, modo pro formanda ex eis ostensione supponuntur, & præsertim, quia Arist. in secundo Phys. 3 r. omnia principia demonstrationis nomine suppositionis appellat. *3. Consideratio. Dubitatio. Solutio.*

Considero quarto, quod Arist. ait motus esse finitos; dicebat Alex. & cum eo Themistius & Auer. esse finitos & numero, & terminis; Simplicius carpit Alex. quia de terminis nec ad rem facit, nec verum est de motu Cœli, solum ad rem facit quod sint finiti numero. *4. Consideratio. Alexander. Simplicius.*

Profecto Arist. modo non terminos sed solum numerum considerat, id tamen etiam de terminis verum est, nam quælibet Cœli reuolutio finita & termino prædita est.

Considero quinto, Nomen mundi & vniuocum & ab vno & æquiuocum esse, per relationem ad varia, vt patet ex libro de rerum definitionibus, modo tamen consideratur vt vniuocum, quia refertur ad vniuersum consurgens ex simplicibus natura constantibus, grauibus, leuibus & neutris. *5. Consideratio.*

Contextus LXXIX.

NAtæ sunt igitur ferri & ad hoc medium, quæ in alio mundo sunt terræ partes, & ad hoc extremum qui ibi est ignis. At hoc fieri nequit, nam si hoc esset, necessario terra in suo mundo ferretur sursum, & ignis ad medium; similiter quoque eueniret, quod terra huius mundi per naturam recederet ab hoc medio, dum tenderet ad id, quod alterius mundi medium est, ob mutuam hanc mundorum positionem.



RISTOT. hactenus cumulate nos parauit & cuncta assumpsit quæ pro formanda ostensione sibi iudicauit oportuna; Ideo intentio eius modo est ostensionem formare ducentem ad absurdum, quæ talis est; Si mundi essent plures, gratia exempli, si essent duo (nam quod dicitur de duobus, similiter intelligitur de plurib.) tunc grauia in suo mundo per naturam tenderent sursum, & leuia mouerentur deorsum; consequens est absurdum, quia sic grauia non essent grauia, & leuia non essent leuia, cum grauium natura sit tendere ad medium, leuium a medio, quare absurdum est putare, mundos esse plures, sequuntur autem absurda ob mutuam hanc mūdorum positionem, nimirum quia sunt seiuncti, vnus non ambit alterum, & sunt præditi distinctis medijs & extremis.

ANNOTATIONES.



1. *Consideratio.* CONSIDERO primo, quod Arist. ducit ad hæc absurda, quod grauia sursum, leuia deorsum per naturam mouerentur, quæ iure sunt absurda, quia tunc grauia, vt dixi, non essent grauia, nec leuia essent leuia, insuper quia ambo per naturam duobus oppositis motibus mouerentur, quomodo hoc sequatur de terra & grauibus patet; nam quia terra huius & alterius mundi sunt eiusdem naturæ, ideo ad id medium ad quod per naturam fertur vna, feretur altera, & ideo terra recedens a medio mundi, in quo est, petens medium alterius, necessario recedens ab eo medio cogeretur in proprio mundo eleuari, & tendere sursum. At quomodo sequatur, ignem tendere ad medium, quod est moueri deorsum, non patet, quia loca sursum quæ sunt extrema mundorum sunt sibi proxima, nec inter ea posita sunt media eorum.

Dubitatio.

Simplicius. Solutio. Simplicius ait, hoc sequi, quia recedendo a proprio mundo, accedit ad medium alterius; at hic accessus non est moueri deorsum, quia sursum & deorsum inuicem referuntur, & considerari debent in proprio mundo vt Arist. dixit de grauibus.

Euersio. Alex. Propterea rectius Alexander dixit, id sequi in proprio mundo, quia pars ignis collocata in opposito contactus mundorum, vt tenderet ad extremum alterius mundi, cogeretur transire per medium sui mundi, & siquis diceret quod posset moueri in orbem vsque ad illum contactum, siue partem viciniorem, hoc non satisfacit, quia debet considerari motus proprius per naturam propriam, qui fit per lineam breuissimam, quæ recta est.

2. *Consideratio.* Considero secundo, quod Aristo. ait sequi ea absurda ob mutuam hanc mundorum positionem, non patet quid per hæc verba denotet. *Simplicius.* Simplicius ait, hoc est, quia se tangunt & sibi proxima sunt: *Ludo. Boccaf.* Ludouicus Boccaferea, ex quo Mainertus cuncta desumpsit, inquit, nisi se tangerent mediaret vacuum, in quo grauia & leuia non mouentur, nec datur.

At hoc non satisfacit, quia sic ratio Arist. absoluta non esset, nec vim haberet aduersus Democritum & alios affirmantes dari plures mundos & inter eos mediare inane, & per inane moueri corpora, *Alex.* Alexander dicebat, denotare quod mundus vnus poneretur sub altero, quod etiam approbandum non videtur, tum *Opinio propria.* quia etiam si vnus mundus non poneretur sub altero, eadem sequerentur absurda, tum insuper quia statuentes mundos plures dicebant in immenso vacuo esse positos in infinito autem nec sursum reperitur, nec deorsum.

Propterea dicamus ea absurda sequi ob mutuam hanc mundorum positionē, hoc est, quia statuuntur seiuncti ab inuicem, non se ambientes, vt Cœlorum orbes, & distinctis medijs & extremis præditi.

CON-

Cont. LXXX.

AVt enim non putandum eandem esse naturam simplicium corporum in varijs Cœlis, aut hoc dicentes, necesse est putare, medium esse vnum, & extremum vnum, quod cum sit absurdum, fieri nequit vt mundi sint plures vno.



ORMATA ratione ducente ad absurdum pro eius confirmatione Aristo. modos considerat quibus putare posset aliquis eam posse solui, & patefaciens eos esse inanes, colligit necessitatem eius. Putaret forte aliquis eam posse solui, quia simplicium corporum in mundis varijs collocatorum, varia esset natura, quod iam in præassumptis est reiectum. *Continuatio.* *Intentio.*

Propterea cum distinctione dicere possumus, quod aut eorum eadem aut distincta est natura, non distincta vt apparuit, quare est eadem, si eadem absurdum est putare, dari mundos varios, quia relata sequerentur absurda: vnum itaque medium est, vnum extremum, vnus ordo & vnus mundus.

ANNOTATIONES.



ONSIDERO primo, quod Arist. in varijs suæ inspectricis Philosophię partibus conclusionem eandē often dens semper vtitur medijs illi parti consentaneis, veluti quod mundus sit vnus ostenditur in 12. primæ Philosophiæ, quia Deus caput & principium mundi vnus est, in octauo Phys. id fecit per relationem ad æternum motum, modo vero vtitur cōditione motuum simplicium & naturæ huic libro maxime consentanea. *1. Consideratio.*

Considero secundo, quod aliquis soluens dicere po[illegible]ionem formatam non concludere supposito mundum genitum, & esse productum secundum propensionem naturæ simplicium corporum, at ex opinione Aristot. non est genitus; & posito, quod sit genitus, non est productus per communem simplicium corporum propensionem, sed vt expedit & a Deo naturæ capite eminenti prouidentia componentia diriguntur. *2. Consideratio.* *Solutio.*

Euertitur hæc solutio primo, quia statuentes mundos plures vt Democritus Leucippus & Epicurus etiam putarunt eos esse genitos.

Secundo, quia siue sint geniti vel non semper seruatur natura & propensio eadem simplicium corporum: Prouidentia autem non aduersatur naturæ, sed eam consimiliter dirigit & perficit. Et præsertim, quia Democritus & alij dixere, mundos gigni per propensionem & conspirationem componentium secundum quandam naturæ necessitatem sine eminenti prouidentia.

Considero tertio, quod etiam secus videtur posse solui formata ostensio dicendo quod mundi plures secernūtur & ab inuicem distant, & per interuallum inane, & propterea nulla potest esse inter eos consensio, nec etiam motus ex vno in alium. *3. Consideratio.*

Præterea inter eos mediant cęlestia corpora, quæ nec scindi nec perforari possunt. Demum cum sint anima pręditi, propriaque anima gubernati per eam simplicia corpora in propria media & extrema diriguntur, veluti etiam Plato dicebat a propria anima simplicium corporum trahi ad suum totum partes proprias eorum. *Dubitatio.*

H Pro-

Solutio. Proculdubio ea ratio non est prædita absoluta necessitate, probabiliter tamen relatæ instantiæ diluuntur.

De prima dico vel datur inane, vel non, si non datur, nō mediat, si datur etiam in eo fit motus ex opinione ponentium mundos plures, conspiratio autem simplicium corporum prodit ex consimilitudine naturæ eorum, & ex eo quod ex vno principio pendent.

De secunda instantia, quia Cœli non possunt scindi, dico primo in vniuersi constitutione debere cuncta consimilia in propriam sedem conspirare sine scissione Cœli: addo secundo, quod in mundo constituto deberent omnia grauia niti pro facultate ad sibi conferens medium accedere, ac ita in proprio mundo saltem vsque ad Cœlum eleuarentur: Addo tertio quod impedimenta non permutant naturam, & si impedirentur, redderetur inanis ea propensio.

De tertia instantia dico, nec Elementa esse prædita anima, nec eorum partes moueri, quia trahantur ab anima. tractio enim est motus violentus; anima autē mundi Deus est, qui cum sit vnus, cuncta grauia in vnum dirigit medium, & vnius vniuersi ordinis est caput.

Et demum in vniuerso simplicia corpora mouentur secundum propriam eorum propensionem, non autem sic se habet de animalibus, quorum partes trahunt alimentum sibi congruens.

Contextus LXXXI.

Accipere autem tanquam dignitatem, aliam esse naturam simplicium corporum, si magis vel minus distent a suis locis, non est rationi consentaneum, quid enim refert tanto dicere interuallo distare, aut tanto; differet enim secundum rationem quo plus, eo magis, forma autem eadem est.



Continuatio. CAEPIT Philosoph. referre & reijcere modos, qbus aliquis putare posset formalē rationē posse dissolui, & reiecto modo vno, nunc alterum refert, & reijcit. *Intentio.* Posset aliquis putare, simplicia corpora variorum mundorum esse distinctæ naturæ ob distantiam eorum ab inuicem, & ob id esse procliuia & tendere ad loca varia, nimirū ad medium & extremum sui mundi; Aristo. hoc reijcit & in præsenti Context. duo facit.

Solutio. Primo negat ob distantiam a suo loco simplicia corpora reddi distinctæ naturæ.

Diuisio. Secundo eius negationis rationem affert: Ait in prima parte non esse rationi consentaneum simplicia corpora ob distantiam a suo loco reddi naturæ distinctæ; Afferens huius negationis rationem ait; Quid enim differt tanto interuallo distare aut tanto; hoc est si distantia constitueret varietatem naturæ, omnis distantia deberet id efficere.

Differet enim secundum rationem quo plus eo magis, hoc est si distantia varietatem pateretur, tunc per regulam Topicam, vt simpliciter ad simpliciter, magis ad magis & maxime ad maxime, sic maior distantia maiorem & maxima maximam peteeret varietatem, quod minime euenit, sed semper seruatur eadem forma, quam sequitur idem motus.

ANNO-

ANNOTATIONES.



ONSIDERO primo, quod Arist. ait ... hoc est pro dignitate accipere, dignitatis cõditio est, vt ex se pateat & sine ratione proferatur, vt putare posset aliquis, se pateat ex sine ratione proferatur, vt putare posset aliquis, se habere de varietate naturæ ex distantia prodeũte, hoc reijcitur ab Arist. & dicitur cum ratione pugnare, quod abest a conditione dignitatum. 1. Annotat.

Et siquis obijciat, quia in quarto libro de Cœlo, locus dicitur forma, & tendere in suum locum, dicitur esse tendere ad formam, per distantiam autem a forma, & perfectione variatur natura. Solutur, quia locus non est forma interna sed externa, nec dans esse sed conseruans esse. Dubitatio. Solutio.

Considero secundo, quod ea verba, (Differet enim secundum rationem, quo plus eo magis, &c.) quæ ego ita exposui vt exponenda censeo, a Simplicio secus exponuntur, nam ait maiorem & minorem distantiam hanc solam patere differentiam, vt magis distantia tardius, minus vero distantia velocius moueantur, quæ expositio minus respondet verbis, & obscuriorem habet vim euertendi opinionem aduersam, vt consideranti redditur notum. 2. Consideratio.

Considero tertio, quod Arist. volens ostendere, quod proxima & distantia tẽdunt ad idem medium ait, quod forma est eadem indicans, quod quamuis in 8. Phys. dictum sit, grauia & leuia moueri a generante, & a remouente impedimẽtum, proxime tamen & intrinsecus mouentur a propria forma quæ est eorum natura. 3. Consideratio.

Cont. lxxxij. lxxxiij. lxxxiiij. & lxxxv.

AT vero necesse est eorum aliquem esse motum, nam quod moueantur patet, num igitur vi omnibus dicemus mouers motibus, etiam contrar. js; sed quod non est natum omnino moueri, non potest mouere violentia, quare si motus aliquis eis natura competit, necesse est eorum, quæ similis sunt speciei & singulorum ad eundem numero locum esse motum, veluti ad hoc aliquod medium, & ad hoc aliquod extremum.

Si autem ad loca eadem specie, plura autem quia & singula, plura quidem sunt. specie autem eadem non his quidem hoc inerit, illis autem non. Sed similiter singulis partibus, consimiliter enim omnes non sunt inter se specie distinctæ, sed numero.

Dico autem hoc, quoniam si partes quæ hic inter se, & quæ in alio sunt mundo consimiliter se habent, etiam pars hinc sumpta non differet dum comparabitur cum aliqua earum, quæ in alio sunt mundo, & cum alia quæ in hoc, sed similiter se habebit, non enim distinguuntur specie.

Quare necesse est vel remouere has suppositiones, vel medium esse vnum, & extremum vnum, quod cum sit, necesse est Cœlum esse vnum, non plures his eisdem tecmirijs ac necessitatibus.

Intentio. *Diuifio.*



STENSIONE formata, vt vis eius redderetur perfpicua, confiderabat Philofophus, & reijciebat modos quibus aliquis poffet putare, eam poffe folui, & reiectis duobus, nunc de duobus alijs verba facit; diuiditur vniuerfus Context. in tres partes, in prima refertur & reijcitur modus tertius.

In altera quartus, in tertia parte colligitur conclufio. Redeundo ad primam partem poffet aliquis foluendo dicere fimplicia corpora non effe prædita motu veluti dicerent Parmenides & Meliffus qui affirmarunt, ens effe vnum & immobile, hoc reijcit Arift. quia fenfu patet ea moueri, ideo in primo Phyficorum, dicitur debere fupponi vt fenfu notum, vel omnia vel quædam

Democritus. moueri; at ftatim infurgent Democritus Leucippus & Epicurus & dicent, folũ moueri præter naturam, quia per Cęli reuolutionem grauia expelluntur ad me-

Academici. dium & leuia extruduntur furfum: Academici autem dicerent trahi per animam fui totius, hoc reijcitur, quia non aptum fuo motu moueri, non mouetur

Regula. motu violento ei oppofito, & regula eft contrariorum motuum, fi vnus eft prę-ter naturam, alter eft fecundum naturam & vice verfa. (Si autem ad loca eadem, &cæt.)

In hac fecunda parte euertitur modus quartus foluendi, dicendo terras variorum mundorum tendere ad propria media, quia vt fe habet de terris illis inuicem comparatis, ita putandum eft, fe habere de medijs ad quæ tendunt; Terræ illæ funt quidem eiufdem fpeciei, at diftinguuntur numero, quare fimiliter debẽt ad media ferri eadem fpecie, folo numero diftincta.

Reijcitur hoc hac ratione, vt fe habet de nonnullis terræ partibus folo numero inter fe differentibus, ita putandum eft, fe habere de alijs inuicem comparatis, at portio noftræ terræ ex Oriente deprompta, a portione deprompta ex Occidente cum folo numero differant ad idem numero medium tendunt, quare confimiliter portiones noftræ terræ, vt portiones alterius cum folo numero, vt illæ, diftinguantur, debent ad idem numero medium moueri, nam confimilium confimilis eft ratio. (Quare neceffe eft vel remouere has fuppofitiones &c.)

In hac tertia parte cum diftinctione in hunc modum colligitur conclufio, vel remouenda funt principia, quæ vel vt ex fe nota, vel vt oftenfa fuj pofuimus, vel fi ea vt decet, approbamus, colligendum eft, vnicum effe medium, vnicumque extremum, ad quæ cuncta grauia, cunctaque leuia confpirent, quod cum fit eifdem tecmirijs hoc eft, fignis infolubilibus eifdemque neceffarijs cõfequutionibus colligendum eft, mundum cœli nomine denotatum effe vnum.

ANNOTATIONES.



1. Confideratio. ONSIDERO Primo, quod iure accipit Arift. fimplicia corpora debere motu aliquo fecundum naturam moueri, quod cum fatis experientia pateat, etiam cõfirmatur ratione, tum quia conditio eft naturæ vt naturalis motus fit principium, tum infuper quia cũctis natura conftantibus hoc infitum eft, vt fe pro facultate perficiant & feruent, hoc autem competit fimplicibus corporibus per propenfionem in fuum locum in quo perficiuntur, & feruantur.

2. Confideratio. Confidero fecundo, quod vt fpecies viuentium, ita fpecies rerum natura conftantium non viuentium, prædite funt fuis indiuiduis, nam indiuidua fimplicium corporum funt eorum partes aptæ feorfum fubfiftere, de quibus ait Ariftot. quod cum fint confimiles, debent in eundem locum confpirare.

At de hoc aliquis iure dubitabit, vnde eueniat quod cum loca respondeant locatis, & locata sint numero distincta, non etiam loca sint distincta numero? *Dubitatio.*

Confirmatur dubitatio, quia consimilium consimilis est ratio, sed indiuidua viuentium distincta exposcunt loca distincta numero; quare consimiliter indiuidua non viuentium.

Pro solutione accipio partes simplicium corporum esse indiuidua incompleta, totum autem Elementum, vt est species vna, ita est indiuiduum vnum completum. *Solutio.*

Locus autem toti debet respondere & eius partes partibus, quæ partes locum sibi vendicant per inclinationem ad illum, de indiuiduis viuentium secus se habet, sunt enim indiuidua completa distinctam sedem exposcentia, quæ etiam dum considerantur vt grauia, vel leuia in idem medium, vel extremum conspirant.

Considero tertio quod Arist. eisdem tecmirijs & necessarijs illationibus patere, & medium esse vnum, & mundum vnum, quia vnum horum sequitur alterum, nec vnum potest esse sine altero, finis tamen est mundus vnus in quem dirigitur medium vnum: & ait patere mundum vnum eisdem tecmirijs & necessarijs illationibus, pro quarum notitia accipiendum est, quod ostensio vel est per causam, vel per effecta, vel per coniuncta, quæ coniunctio vel est solubilis, & dicitur signum solubile, vel insolubilis, & dicitur signum insolubile, & tecmirium Græce ita nuncupatum a fine, vt dicitur in primo Rhetoricorum, necessitas autem includitur in ostensionibus, vel quia, vel propter quid, eorum autem quæ ab Aristotile dicta sunt, quædam sunt tecmiria, quædam necessitates. *3. Considera tio.*

Considero quarto, quod Arist. ait (vel tollendas esse has suppositiones &c.) supposuit Arist. simplicia corpora moueri, & secundum, & præter naturam, omnes mundos ex eisdem constare simplicibus corporibus, omnia simplicia corpora eiusdem speciei, eiusdem esse naturæ & propensionis: Partes eiusdem ad eundem numero locum tendere, simplicia corpora non esse plura relatis, has communi nomine suppositionis nuncupauit, quæ partim ex se patent partim leui ratione sunt comprobatæ. *4. Considera tio.*

Quinto loco considero, quod iure posset aliquis quærere quot ostensiones hactenus formatæ sint pro ostendendo mundo vno, nam expositores plures esse aiunt, cui difficultati breuibus satisfaciens dico, demonstrationes ex medio termino recipere conditionem; quale enim est medium talis est ostensio, & quotuplex medium, totuplex est ostensio, vt patet ex libro posteriorum. *5. Considera tio.* *Solutio.* *Quot forma tæ sint osten siones.*

Propterea si medium inspicimus Arist. vnico medio est vsus nimirum propensione & motu in proprium locum, ratione cuius dicere debemus absolute ostensionem esse vnam, extrinsecus tamen variam, quia patefactum est formari posse & ducendo ad absurda & directe, ac insuper modis varijs patefacta est necessitas eius, per euersionem quatuor modorum, quibus putare posset aliquis eam carere necessitate.

Sexto & postremo inquirendum occurrit, cum dentur differentiæ simpliciũ corporum, & differentiæ locorum eis respondentium, quid eorum debeat iudicari prius. Alex. referente Simplicio, dixit naturam simplicium corporum locatorum esse priorem & causam differentiarum loci: confirmatur quia non sunt in mundo loca ante differentias corporum distincta, ea ad se trahentia; Insuper loca definiuntur per differentias corporum ad ea latorum, nam medium id dicitur, ad quod grauia tendunt; Insuper in interuallo inani, in quo non sint corpora, etiam non considerantur differentiæ locorum. *6. Considera tio.* *Dubitatio.* *Solutio* *Alexander.* *Ratio.*

Præterea locus numeratur inter affectiones corporis Physici, affectio est posterior, & Aristo. dicebat, quod cum natura grauium sit eadem, motus est idem & terminus idem indicans naturam corporum priorem.

Simplicius in dubium vertit hanc opinionem, nam locus est terminus continentis qui non determinatur per contentum, & si per contentum determinare- *Simplicius.*

tur, quia defossa terra aqua ad medium flueret, aqua determinaret locum medium, ac ita Elementum medium esset extremum.

Præterea quarto Cœli 22. locus dicitur forma, quæ prior est, & Cœlum producit grauia & seruat per definitam distantiam, tanquam per differentiam loci, ideo videtur esse prior. Addit tamen. Simplicius hoc rursus esse inquirendum, indicans rem esse dubiam, & se esse ancipitem.

Pro resolutione primo vtendum est duplici distinctione, vna est loci nomen vsurpari dupliciter, vel ex sententia Hesiodi & veterum putantium locum esse interuallum inane, vel ex sententia Aristotelis putantis esse intimam superficiem ambientis: Altera distinctio est, quod locus in secunda significatione sumptus.

Conclusio 1. Consideratur dupliciter, vel secundum formam, & id fit dum consideratur in definita positione ad Cęlum & distantia ab eo, vel secundum materiam, dum consideratur concaua superficies ambientis, sic intima superficies aquæ est locus terræ, Cœli vero ignis.

Tertia distinctio est, quod prius vsurpatur multipliciter & quatenus ad rem facit tripliciter, vel tempore, vel intentione, vel origine, his assumptis quatuor profero conclusiones, prima est, quod locus sumptus in prima significatione pro interuallo interuallo inani excogitato veteribus, hoc est prius & supponitur a quouis corpore, vt patet ex 4. Phys. Cont. 6. ex sententia Hesiodi.

At in eo non reperiuntur differentiæ locorum cum sit inane, consimile & infinitum, si vero cum Aristot. vsurpatur pro intima superficie ambientis, & quæritur quid sit prius tempore, num differentiæ locorum vel corporum.

2. Conclusio. Profertur secunda conclusio, quæ est, ex sententia Aristo. neutrum esse prius, quia vtrunque iudicauit æternum.

3. Conclusio. At si quæritur quid sit prius intentione prodit tertia conclusio quę est, differentias corporum esse priores, & ratio est, quia locus paratus est pro corpore, non corpus pro loco, adeo vt differentia corporis sit finis cui, finis autem intentione est primus.

4. Conclusio. At si consideratur quid sit prius origine, tunc pro quarta conclusione dicendum, Cœlum non egere loco sed esse fabrum & constitutorem locorum, & statim posito Cęlo prodeunt differentiæ locorum per definitam distantiam ab eo, per quam pendent, & seruantur Elementa ab eo, adeo vt locus communis quale est Cœlum, & secundum materiam, & est intima superficies Cœli, & secundum formam consideratus sit prior differentijs corporum inferiorum pendentium ex eo: Similiter alia inferiora loca Elementorum considerata secundum formam sunt priora locatis, quia cęlū p definitam distantiam ea producit & seruat, considerata autem secundum materiam vnum non est prius altero, vt aqua non est origine prior terra, nec vice versa, absolute autem ex sententia Aristo. corpus est prius loco, quia locus eget corpore a quo constituatur, & datur corpus sine loco vt Cœlum, non vice versa.

Simplicius. Ita distincta consideratione cum Alex. tum Simplicij pugnātes sententiæ conciliantur, & diluuntur rationes vtriusque partis, similiter vera redditur dari definitum locum in quem grauia tendunt, vt dicetur in sequente Contex. id enim est medium quod constituitur a rotunda figura Cœli, & est posterius Cœlo, prius tamen origine corpore graui, vt patefeci.

Contextus LXXXVI. LXXXVII.

Quod autem est aliquid, in quod nata est terra ferri & ignis, patet & ex alijs; vniuerse enim quod mouetur ex quodam in quiddam tendit, quæ ex quo & in quod specie differunt, nam omnis transmutatio finita est, vt quod sanatur, ex ægritudine in sanitatem tendit,

quod

quod crescit, ex paruitate in magnitudinem, quare etiam quod fertur, nam ex quodam in quiddam tendit, oportet itaque eos terminos specie distingui, veluti quod sanatur, & ferri non quo contingit, nec quo vult mouens: Ignis igitur & terra non in infinitum feruntur, sed in opposita, opponuntur autem in loco, sursum & deorsum, propterea hi erunt termini lationis.

Similiter etiam motus in orbem est præditus modo aliquo oppositione, nimirum ea, quæ est per diametrum, toti autem nil est contrarium, quare & hic motus modo aliquo versatur inter opposita & finita, necesse est igitur dari finem aliquem, & non in infinitum ferri.



NDVCITVR præsens contextus vario modo, ego tamen ita dicẽdum puto, Arist. formata ratione pro ostendendo mundo vno, vt eius necessitatem patefaceret, considerabat & referebat modos varios, quibus aliquis putare posset eam necessitate carere, & relatis, ac reiectis modis quattuor, modo consilium est referre & euertere modum quintum, nam ratio formata supponebat dari definita loca, ad quę grauia & leuia tenderēt, at, dicet aliquis, id suppositum esse falsum, quia grauia in infinitum descendunt, vt dicebat Zenophanes, qui terræ radices in infinitum descendere affirmauit. Similiter Democritus putabat Atomos sine vllo termino descendere, intentio itaque Arist. est hoc euertere. *Intentio.*

Diuiditur autem Contex. in tres partes, in prima vniuerse ostenditur motum omnem uersari inter contraria definita, in secunda soluitur instantia de motu Cœli, in tertia colligitur conclusio. Quod pertinet ad partem primam, ratio sic formatur, omnis motus versatur inter contraria, quæ sunt specie distincta & terminata, latio est motus, quare versatur inter contraria specie distincta & terminata, qui termini in latione recta sunt deorsum & sursum hoc est medium & extremum: maior patet exemplo sanationis, quæ est alteratio & accretionis, & cumulate est declarata in quinto Physicorum. (Similiter etiam motus in orbem &c.) *Diuisio.*

In hac secunda parte occurrit tacitæ obiectioni, nam ostensum est motui in orbem non competere contrarium, & propterea non videtur versari inter contraria; Soluitur, quia hic motus consideratur dupliciter, vel secundum totum, & est ab eodem ad idem, vel secundum partes, ac ita est inter opposita definita, diametro denotata & terminata, quam inter semicirculos oppositionem etiam concessit dum ostendebat motui in orbem non competere contrarium.

Colligitur in tertia parte conclus. quæ est, quare necesse est dari finem & terminum rectæ lationis, non autem grauia in infinitum descendere, vt putarunt Zenophanes & Democritus modo tamen vario.



ANNO.

Francisci Piccolominei

ANNOTATIONES.

1. *Considera tio.* 
ONSIDERO Primo, quod Arist. ait, motum versari inter cõtraria, specie distincta & terminata qđ patet ne dum ratione modo formata, sed etiam e x alijs, nam pa tet ex 5. Physicorum, insuper in secundo de Cœlo Con text. 78. reijcitur sententia Zenophonis Colophonij pu tantis non dari medium terminatum, sed terræ radices in infinitum descendere.

Præterea hoc patet ex definitione motuum qui dicun tur esse a medio, ad medium, & circa medium, insuper ex reiectione infiniti, præterea ex conditione motus, qui est paratus pro assequendo aliquo termino & fine, alioquin esset inanis, hinc nil dicitur moueri in infinitum, nisi per reiterationes numero distinctas, vt Cœlum.

2. *Considera tio.* Considero secundo, quod Arist. ait motum omnem versari inter contraria, ea autem quæ sunt contraria etiam sunt terminata, nam quæ in infinitum dista rent non dicerentur opponi, quia nec etiam genere iuncta essent, vt iungi debent contraria, contrarietas autem constituens terminos motus est triplex, vel extremi ad extremum, vel medij ad medium, vel medij ad extremum, siue vice versa; & inter omnes versatur motus, prima tamen est maxima, & est regula & mensura cæterarum.

3. *Considera tio.* Considero tertio, quod dubitatio est de accretione, quę cum pertinet ad quantitatem contrario carentem, vt dicitur in prædicamento quantitatis, non videtur versari inter contraria.

Confirmatur dubitatio, quia Mathematici dicunt corpus in infinitum crescere, quia quouis excogitato possumus imaginari maius, quare accretio non est prædita postremo termino.

De hac difficultate latius sum loquutus in libro de accretione, nunc breuibus dico, quantitatem posse considerari dupliciter, vel consideratione Mathematica secernente a materia, ac ita ad rem non facit; vel Physica iuncta cum materia, per quam adhuc potest dupliciter considerari, vel ratione generis & absolute, ac ita caret contrario, & magnum & paruum per relationem opponuntur, vt dicitur in prædicamento quantitatis, vel vt iuncta est cum qualitate, & cum contractione ad speciem definitam viuentis, & ad formam cuius est instrumentum pro fungẽdo suo munere; qua consideratione absolute dicitur magna, vel parua, perfecta vel imperfecta, vt parua est magnitudo pueri, & dicitur contraria magnitudini viri, quatenus est oppositio apta cum successione per motum acquiri, hinc euenit, quod sola viuentia dicuntur proprie crescere, quia conspicue eorum est definita mole terminata per maximum & minimum, & vt talis etiam dicitur specie distincta.

Id quod dicunt Mathematici, posse magnitudinem in infinitum & sine termino crescere, solum est verum per imaginationem secernentem a materia, & de accretione sine motu & inani.

4. *Considera tio.* Considero quarto, quod Arist. ostendit, lationem rectam esse suis terminis circumscriptam per alterationem & accretionem, quę sunt mutationes proprijs terminis præditæ: at videtur ostendere notius per ignotius, notior enim est con trarietas loci, & ex ea sumitur definitio contrarietatis, dum dicimus contraria esse ea quæ sub eodem genere maxime distant, distantia autem proprie pertinet ad loca.

Soluitur dubitatio per duo fundamenta, primum est, quod distantia est duplex, vna formæ, altera interualli, contrarietas proprie est distantia formæ, & hæc est notior in alteratione & accretione, ad lationem autem pertinet distãtia

inter-

interualli. Alterum fundamentum est, quod Arist. præsertim non de contrarietate loquitur, sed de terminis motus, qui sunt notiores in alteratione, & accretione, & ab omnibus conceduntur, latent autem in latione recta, quia non sensu patent nec conceduntur ab omnibus.

Contextus LXXXVIII.

Signum insolubile, Græce τεκμήριον, eius quod non in infinitum sit latio, & hoc est, quod terra quo propinquior fuerit medio, eo velocius fertur, ignis vero quo ei quod est sursum; si autem in infinitum esset progressus, infinita quoque esset velocitas, si velocitas, etiam grauitas & leuitas, nam vt id, quod est magis deorsum sit velocius alio, grauitate est velox, quare si infinita erit huiusmodi accretio, etiam accretio velocitatis erit infinita.



N præcedente Philosophus patefecit Cont. dari definita loca, ad quæ grauia & leuia moueantur non autem in infinitum tendere, & id fecit vna ratione communi omni motui, nunc autem id facit alia ratione propria lationis rectæ: in præcedente Cont. dicebatur id etiam patere aliis rationibus, modo id seruat patefaciens id ipsum alia ratione ostendi posse. Pro elucidanda hac secūda ratione duo sumenda sunt, primum quod grauia & leuia, quo magis accedunt ad suum locum, eo feruntur velocius; Alterum quod velocitas ex vna parte, & grauitas vel leuitas ex altera sibi mutuo respondent, vt effectus & causa: His assumptis formatur ratio ducens ad absurdum hunc in modum; Si grauia vel leuia in infinitum tenderent, in infinitum cresceret velocitas per primum assumptum, & si velocitas, etiam grauitas & leuitas per secundum, & hoc est absurdum, quare id quoque absurdum est ex quo pendet, sed pendet ex eo quod in infinitum tendāt id itaque iudicari debet absurdum; verum autem suum oppositum quod dentur definita loca, ad quæ per naturam tendant. *Intentio.*

ANNOTATIONES.



RISTOT. primo Considero dimittere tanquam conspicue absurdum quod grauitas & leuitas in infinitum intendantur, & iure, nam hæ sunt formæ quæ sunt natura Elementorum, conditio autem formæ est, vt sit terminus, adeo vt forma quatenus forma, sit terminus, quo termino terminentur composita. *1. Consideratio.*

Similiter in octauo Physicorum legitur quod natura finem quærit, & progredi in infinitum est præter naturam; Confirmatur, quia natura pendet ex ipso bono, propterea bonum quærit, bonum autem includit conditionem finis: colligo itaque vt infinitum prodit ex materia ita finis ad formam pertinet.

Considero secundo, quod vt est absurdum grauitatem, & leuitatem, quæ sunt formæ intendi in infinitum; ita est absurdum velocitatem quæ est fluxus in infinitum crescere; ita enim non daretur tempus in quo fieret motus, vt diceba- *2. Consideratio.*

tur in

tur in quartto physicorum, non enim in infinitum minimo tempore potest motus fieri, & præsertim quia si minueretur tempus, secundum proportionem accretionis velocitatis, consumeretur tempus omne, absurdum tamen magis patet de forma quam de fluxu ideo Arist. de ea est loquutus.

3. Consideratio. Considero tertio, quod tendere in infinitum considerari potest vel in mundo formato, vt putabat Zenophanes Colophonius, qui dicebat radices terræ in infinitum descendere, & ob id terram non ruere; vel in non formato mundo, sed in immenso inani, in quo Atomi in infinitum sine proprio termino descenderent, vt putarunt Democritus & asseclę.

Prima ratio in præcedente Contex. formata habet vim vniuerse de vtrisque: Ratio autem in præsenti Contex. formata solum videtur habere vim in mundo formato, quia in inani infinito nec medium nec extremum reperitur, nisi dicamus, quod Aristot. omnem descensum Physicum, & ascensum supposuit esse eiusdem rationis & conditionis, & propterea quo fuerint longiores, eo debere reddi velociores vbicunque fierent.

Quarta consideratio. Sed vt clarior reddatur solutio difficultatum, quarto loco considerandum, occurrit quomodo intelligi debeat regula prolata ab Arist. quod terra quo fuerit vicinior medio eo feratur velocius; pro cuius notitia accipio eum posse intelligi dupliciter, primo, quod quo fuerit vicinior medio eo feratur velocius, secundo quod quo diutius feratur, eo moueatur velocius.

Quo grauia propinquiora medio ferantur velocius. Addo eam in prima significatione nec esse veram, nec ad rem facere, quod non sit vera patet experientia, nam si duorum consimilium lapidum vnus incipiat moueri e longinquo, alter ex loco terræ proximo, hic in principio sui motus erit tardior altero ex alto moto, dum peruenerit ad locum huius, quamuis æque distent a medio, & quod sit tardior patet experientia, quia leuiorem efficit percussionem, ille vero grauiorem. Quod etiam in ea prima significatione non faciat ad rem ostendo, quia Aristot. peteret in principio, ostensurus enim quod non in infinitum sit latio, in quo non est medium supponeret dari mediũ. Et quamuis Arist. dicat terram medio propinquiorem moueri velocius, per id hoc solum denotare voluit, quod quo diutius descẽdit, eo sit velocior, fecit autem mentionem de medio, vt denotaret per hoc nobis notum, quid eueniret in interuallo infinito.

Insuper accipio regulam debere intelligi supposita paritate cæterorum, & præsertim med.j, nam lapis primo descendens supra mare per aerem, mox per aquam, proculdubio in aqua esset tardior.

Dubitatio. At obijcier aliquis, quia non videtur id sequi vt in infinitum crescat velocitas & grauitas, quia id mobile cum sit mortale peribit, nec etiam possunt crescere in infinitum, quia formarum definiti sunt termini, quos cum fuerunt adeptæ, nõ valent vlterius intendi.

Solutio. De prima instantia dico, quod Democritus & alij qui putabant Atomos & terram in infinitum descendere, etiam putabant ea esse æterna.

Insuper id sequitur supposita conseruatione eorum, & præsertim quia valent tam diu seruari, vt omnem superent terminum velocitatis.

Altera instantia soluitur, quia id quod sequitur nimirum velocitatem & grauitatem crescere in infinitum sequitur ex opinione aliorum falsa; & ob id, cum id quod sequitur in multiplici ratione sit absurdum, etiam id ex quo sequitur censeri debet absurdum.

Regula. Regula itaque sic debet intelligi, grauia & leuia quo diutius per naturam mouentur, eo feruntur velocius, supposita cæterorum paritate.

5. Consideratio. At quinto loco accurate considerandum occurrit, quæ sit ratio eius intensionis grauitatis & velocitatis; & quæ sit ea grauitas quæ dicitur crescere, cum idẽ lapis distans a terra, & ei proximus appareat æque grauis.

Quæritur ratio regulę. Opinio 1. De re obscura & difficili variæ sunt veterum opiniones; Hipparchus referente Simplicio, dixit id euenire, quia dum lapis violentia impellitur sursum, & ea remissa incipit descendere, in principio descendit tarde, quia adhuc aliqui violen-

violentiæ adest per quod remittitur motus. Alexander hoc reijciebat, quia non semper lapis incipit descendere statim post motum eius violentum, nam potest manu detineri sursum, mox derelinqui, at leuis est euersio, quia quo magis distat a suo loco, semper eo magis dicitur disponi præter naturam. *Alex.*

Propterea dicamus eam opinionem non esse veram, quia per eam non recte accipitur regula, nō enim quo graue est propinquius medio, eo fertur velocius, sed quo diutius fertur vt declaraui. *Euersio propria.*

Præterea distantia a suo loco est priuatio, quæ quo fuerit maior, eo maiorem parit appetitum, propensionem & motum.

Ideo est opinio secunda Academicorum veluti Marsilij Ficini lib. 4. Platonicæ Theologiæ capite 1. & quorundam aliorum dicentium id euenire, quia orbes Elementorum sunt prædıti anima, a qua ad suum totum trahuntur partes seiunctæ, & eo velocius, quo toti fuerint propinquiores; quæ opinio multiplici ratione redditur dubia, primo quia vt patuit, non est verum grauia quo fuerint medio propinquiora eo ferri velocius, sed quo diutius moueātur. Secundo, quia tunc partes minores traherentur velocius quam maiores, cuius oppositum experientia patet; tertio, quia anima non operatur extra corpus sine instrumento, missum facio, quod longe abest a vero Elementa esse prædita anima, & motum attractionis esse violentum, & alia multa. *Opinio 2.*

Propterea est tertia opinio quorundam dicentium id euenire ob maiorem vel minorem copiam intermedij aeris, nam quo plus aeris mediat, eo lapis tardius, quo vero minus velocius descendit; quæ opinio vera non est, primo, quia perperam accipit regulam, non enim quo lapis fuerit vicinior eo velocius fertur sed quo diutius, & ex alto descendit: secundo quia non copia medij resistit, sed densitas eius per quod transit, vt patet ex 4. Physicorum, nam dum lapis supra mare descendit per aerem, etiam aqua mediat, quæ tamen non resistit nisi dum lapis per eam transit. *Opinio 3.*

Insuper Arist. ait, moueri velocius, quia grauius non quia minus aeris mediet.

Propterea est opinio quarta Alexandri D. Thomæ, & Simplicij dicentium, ex opinione Aristo. id euenire, quia grauia & leuia a suo loco recipiunt perfectionem, vires & dispositionem secundum naturam, ad quam opinionem puto ego debere redigi eam Auerrois 2. Cœli 35. dicentis velocius ferri ob maiorem finis desiderium, nam desiderium, hoc est, appetitus naturalis sequitur formam quæ natura est. *Opinio 4.* *Auer.*

Quæ opinio etiam est dubia, primo, quia minus recte accipit regulā vt patet, secundo, quia per maiorem, vel minorem distantiam sine vlla alteratione non variatur interna natura; tertio quia Arist. ait, si descenderet in infinitum, in infinitum cresceret velocitas, at in infinito non reperitur mediū, a quo perficiatur.

Hinc quinta se offert opinio nuncupatorum Parisiensium dicentium, id euenire ex impetu, qui per motum acquiritur, de quo dicimus, quod lata velocius maiori impetu descendunt & feriunt. *Opinio 5.*

Declarantes autem quid sit huiusmodi impetus, inquiunt esse qualitatem spiritalem mobili impressam, productam a motore & motu, quam Arist. in Con. nomine grauitatis denotauit, & in motu violento aiunt imprimi ab impellente, per hanc opinionem regula recte accipitur vt patet, at approbanda non videtur, quia minus recte per eam adduntur qualitates spiritales, a materiatis distinctæ, vt in attinentibus ad libros de ortu & interitu patefeci; sunt enim superuacaneę, & si darentur, solum operarentur spiritaliter, vnumquodque enim ita operatur vt est. *Reprobatur & ista.*

Propterea est opinio sexta, quæ fuit etiam Cardinalis Contareni in libro suo de Elementis, & nonnullorum aliorum dicentium id euenire ex maiori impulsione facta a tergo a partibus medij, per quod fit motus, sequentibus mobile, ne detur vacuum; nam quo mobile fertur diutius, eo magis agitatur medium, & vehementius a tergo impellit, hęc opinio experientiæ & rationi est consona. *Opinio 6.*

At non est dicendum partes aeris inter medij sequi & impellere mobile, ne derelin-

derelinquatur interuallum inane, non enim ab Arist. conceditur interuallum distinctum a corpore, sed illæ partes iunctæ mobili ab eo vt iunctę trahuntur & agitatæ magis impellunt, nec ob id motus est violentus, quia mobile ad illum sui natura procliue est, & medium ei conducit. *Aristot.* Arist. conspicue hoc enunciauit in 3. lib. de Cœlo, Cont. 28. inquiens, aer medius conducit vtrique motui, violento & naturali; & patefaciens quomodo naturali conducat ait conducere ei qui secundum naturam, quia συνωθεῖν hoc est, simul a tergo impellit; *Simplicius.* Simplicius eo loci veritatem hanc explicans considerat vim eius verbi & ait, sumptam esse metaphoram a ventis vrijs siue caudalibus, flantibus in partem posteriorem puppis: vel a Leonibus, quos ait propria cauda pro flagello vti ad se excitandos & irritandos ad motum, per hanc veriorem sententiam, recte possumus intelligere, *Propria opinio.* quid sit proprie impetus consideratus in motu, nam aliud non est, nisi agitatio maior & impulsio illa facta a tergo a partibus medij: in qua significatione opinio quinta redditur vera.

At occurrit instantia, quia Arist. ait, crescere grauitatem, & ob id motum reddi velociorem.

Solutio. Soluitur, quia grauitas & leuitas est duplex, vna interna & propria, altera externa & adueniens, denotauit Arist. grauitatem hanc aduētitiam, quæ sensu percipitur, dum grauior fit percussio, veluti lapis ex alto descendens grauiorem efficit percussionem, quam descendens ex loco proximo, & proiectus in Lancem magis eam cogit descendere.

6. Consideratio. At occurrit sexto loco considerandum, num lapis & quoduis corpus graue, dum est proximius terræ, sit sua interna & propria grauitate grauius, vel potius *An graue proximũ medio sit grauis.* leuius? Hipparchus, referēte Simplicio dixit esse leuius, quia medium est densius & difficilius diuiditur, hinc pondera in aqua videntur leuiora, quod librantibus experientia patet. Alexander ex aduerso dixit oppositum, quia tendere ad locum est tendere ad formam, & ad dispositionem suæ naturæ consentaneam.

Insuper mouetur velocius, igitur est grauius. Simplicius in calce ait, hoc sibi *Hipparchus.* videri commento simile, quod sine alteratione modo dicatur grauius modo *Alex.* leuius.

Simplicius. *Solutio.* Pro solutione tria dico, primum est quod aliud est grauitare aliud esse graue, nam in suo loco grauia non grauitant, hoc est, non habent propensionem ad inferius. Aliud est, quod in medio rariore magis grauitant sic vera est sententia Hipparchi: tertium est, per quietem in suo loco diuturnam reddi grauiora, ob dispositionem naturæ eorum consentaneam, sic vera est sententia Alexandri.

His addo quarto, quod dum graue descendit non est modo grauius modo leuius, cum nulla fiat alteratio, per quam permutetur, & ita vera est sententia Simplicij.

Contextus LXXXIX. & XC.

AT vero neque ab alio fertur eorum vnumquodque, hoc quidem sursum, hoc vero deorsum, neque violentia vt quidam aiunt, extrusione, nam tardius tēderet sursum maior ignis, & maior terra deorsum cuius oppositum euenit, semper enim velocius fertur maior ignis in suum locum, & maior terra; Neque etiam in fine mouerentur velocius, si violentia mouerentur & extrusione, omnia enim quo longius distant ab inferente violentiam, eo tardius feruntur. Et vnde vi repelluntur, illuc tendunt non vi.

Ex his itaque rem hanc considerantes valent eam suscipere fidem quæ satis sit.

OSTEN-



VNDVM Oſtenſurus eſſe vnum conſiderabat & reijciebat Ariſto. modos & opiniones omnes, quibus putare poſſet aliquis oſtēſionem poſſe ſolui, & reiectis quinque modis, textum nūc refert & reijcit, poſſet quiſpiam dicere grauia & leuia, ea quidem deorſum, hæc ve ro ſurſum moueri, non ſui natura, vt ſupponebat oſtenſio, ſed ab alio, extruſione hoc eſt violentia, quod modo reijcitur. *Cōtinuatio.* *Intentio.*

Diuiditur Contextus in tres partes, in prima refertur modus ſolutionis, in ſecunda triplici ratione reijcitur, in tertia colligitur Concluſio. *Diuiſio.*

Modus itaque hic eſt, grauia & leuia tendere in ſuum locum non natura ſed violentia & extruſione.

Ratio prima illum euertens ita formatur, ſi ea ſentētia eſſet vera, maior portio tardius, & minor velocius in ſuum locum tenderet, quod eſt abſurdum, quia experientia nobis pateſacit oppoſitum.

Secunda ratio hæc eſt, ſi violentia mouerentur, eorum motus in fine eſſet tardior quam in principio & medio, quod cum ſenſu pugnat.

Tertia ratio elicitur ex hac regula, vnde grauia & leuia repelluntur violentia, illuc non violentia tendunt, quare ſi ignis violentia extruderetur ſurſum & terra deorſum deberet ignis ferri deorſum & terra ſurſum ſecundum naturam, quod apprime eſt abſurdum.

Concluſio dictorū eſt, ex horum conſideratione poſſe elici fidem, quæ ſatis ſit pro approbanda veritate, quod mundus ſit vnus, & remouendis obiectionibus.

ANNOTATIONES.



CCVRRIT primo conſiderandum, qui nam fuerint illi qui dixerunt grauia & leuia moueri in ſuum locum ab alio & per extruſionem. Plato dixit moueri ab alio, at motum illum non eſſe violentum ſed reditum in ſuam naturam & trahi ab anima totius Elementi, conſpirante interna propenſione partium, quæ trahuntur, at ita vitaret inſtantias nōnullas; eius tamen opinio iam in præcedentibus reiecta eſt. *1. Conſideratio.*

Extruſione autem moueri dixerunt Democritus, & Leucippus, quos ſequutus eſt Epicurus, hi dixerunt in infinito vacuo Atomos omnes ſua propenſione cum aliqua inclinatione deſcendere, ob quam inclinationem caſu quodam coincidere & Mundos generare, in quibus Mundis genitis cum reuoluatur Cœlum, per eius reuolutionem dixerunt repelli violentia grauia ad medium, & a grauibus extrudi leuia, adeo vt grauia violenta pulſione, & leuia extruſione moueantur.

At obijciet aliquis, quia etiam Ariſt. in 8. Phyſ. 32. dixit, Elementa non ſe mouere, ſed moueri ab alio. *Dubitatio.*

Soluitur, quia non ſe mouent ad libitum vt animalia, ſed mouentur per inter nam formam & propenſionem eis a generante tributam. *Solutio.*

Conſidero ſecundo, quod Ariſt. videtur redundans, iam enim in Contex. 82. patefecit grauia & leuia per naturam proprio motu eſſe prædita. *2. Conſideratio.*

Reſpondeo, id non fuiſſe ſatis, quia etiam Democritus & aſſeclæ concedebāt Atomis competere motum proprium quo deſcenderent, in mundo tamen geni to dicebant ſecus moueri ob Cœli reuolutionem: Addo ſecundo non eſſe ſatis patefacere veritatē, ſed etiam pro illuſtranda veritate explodendos eſſe errores. *Dubitatio.* *Solutio.*

Conſidero tertio, quod Ariſt. ait facilius extrudi corpus minus quam maius, hoc autem frequenter experientia apparet falſum, nam pili, plumæ, grana are-

næ difficile extruduntur & extrufionem vitant, vt etiam difficile impelluntur violentia.

Solutio. Soluitur dubitatio, quia regulæ femper debent intelligi fecundum fe, nam ex accidenti fæpe redduntur falfæ; regula itaque prolata ab Arift. eft vera fecundũ fe, confiderata proportione motoris & mobilis, eft tamen falfa ex accidenti, dũ mobile fubterfugit vim motoris, & fua tenuitate non valet fuperare vim aeris per quem impellitur ei renitentis.

Dubitatio. Simplicius. At dubitat adhuc Simplicius, quia mobile maius extruditur & pellitur a maiore aere ambiente, minus a minore, quare eadem feruatur proportio; & eadē debet effe velocitas.

Solutio. Soluitur primo, quia proportio confiderari debet inter mobile & principale mouens fiue extrudens, non inter mobile & ambientem aerem, qui folum pro inftrumento inferuit, principale autem mouens idem eft.

Addo fecundo, quod in impulfione & extrufione non operatur folus aer tangens, fed etiam qui ei eft iunctus, nam totus confpirat & cooperatur.

4. Confideratio. Quarto confidero, quod opinio fuit Platonis in Timeo, non dari in mundo furfum & deorfum abfolute, fed folum per cõfuetudinem, nos enim quod vergit ad noftros pedes, dicimus deorfum, quod ad caput, furfum, fed abfolute folũ dari medium & extremum: nam mundus eft rotundus, cui non competit rectitudo. At dicendum eft mundum confiderari dupliciter vel cum relatione ad figuram eius rotundam & motum in orbem & fic recte fentit Plato; vel cum relatione ad motum rectum grauium & leuium, ita recte fentit Arift.

Democritus. Democritus autem dicebat, in immenfo vacuo non dari medium, & Atomos omnes in eo defcendere & effe graues, leuitatem oriri ex permixtione cum vacuo, & in mũdo genito non dari loca propria eorum, fed folum medium conftitutum per Cœli rotunditatem, ad quod grauiora pelluntur per eius reuolutionem, & extruduntur minus grauia, adeo vt motus fecundum naturam folum competat Atomis defcendentibus in immenfo vacuo, in mundo autem genito confideratur, primo motus Cœli ex Atomis conflati, quæ cum ob connexionem non valeant abfolute defcendere conftituunt motum in orbem, per quem grauiora pelluntur ad medium per violentiam, & minus grauia ab eis extruduntur verfus Cœlum; quam opinionem fequutus eft Epicurus, de qua plura dicuntur a Cicerone, & longe plura a Lucretio præfertim in fecundo libro quæ miffa facio.

Cont. XC.

INſuper etiam & ex eis, quæ ex prima Philoſophia depromuntur rationibus, id ipſum poteſt colligi. Ac etiam ex motu in orbem, quem neceſſe eſt ſimiliter eſſe æternum, cum in hoc tum in aliјs mundis.



EMONSTRAVIT Arifto. mundum vnum ratione huic libro congruente, fumpta ex confpiratione grauium & leuium ad fua loca, ex qua vnus confurgit ordo.

Intentio. Modo vero, vt exactius eadem veritas refulgeat, manifeftat id ipfum patere ratione Metaphyfica formata in 12. Metaphyficæ, Contex. 49. & ratione fumpta ex æternitate motus attinente ad octauum Phyficorum, vt patet ex Contex. 49.

Diuifio. Sic diuiditur Contex. in duas partes; & verba funt confpicua.

ANNO-

ANNOTATIONES.



ONSIDERO primo quod Aristo. nixus est scientias in ordinem redigere,& considerationes varias non permiscere,vt fecerunt veteres, & ob id quia res eadem distincta ratione & consideratione potest ad scientias varias,vel libros varios pertinere, veluti quod mundus sit vnus, ideo iure hanc varietatem patefacit, & breuitati studens lectorem ad propria loca reijcit. *1. Consideratio.*

Considero secundo, quod pertinet ad ostensionem Metaphysicam,ex 12.Metaph. Contex. 49. eliciendum, quod cum a varijs vario modo formetur ego illam ita formandam puto, primo ducendo ad absurdum, secundo directe. Si Cœli, sique mundi essent plures, principium singulorum esset specie vnum, numero multa. *2. Consideratio.* *Ratio Metaphysica.*

At quæ numero sunt multa materiam includunt, essentia autem primi principij materiæ est expers,est enim entelechia, vnum itaque est & ratione & numero primum mouens, cum sit immobile, quare id etiam quod semper & continenter ab eo mouetur,vnum est; Cœlum itaque est vnum.

Ita ab Arist. formatur ratio, quæ in rationem rectã ita redigi potest. Primus motor est vnus quare & Cœlum ab eo motum vnum est, vnũ est caput vniuersi ordinis rerum,vnus est princeps,ex quo pendet Cęlum & vniuersa natura, vnus est finis,in quem cuncta conspirant;vnus itaque mundus est.

Considero tertio, aduersus hanc rationem varias occurrere instantias. Alexander instabat, quia primus motor mouet vt optabile ex 12. Metaphysicæ 36. vnum autem optabile vt cibus vnus potest optari a multis. *3. Consideratio.* *Instantia Alex.*

Præterea primum principium non pendet ex mundo, ideo ob multiplicationem mundorum non multiplicatur; Confirmatur, quia vt se habet de paruo mundo, qualis est homo, ita putandum est, se habere de magno; parui mundi imagines magni multi sunt.

Pro solutione accipiendum, secus esse respondendum ex sententia Theologorum,secus ex sententia Peripateticorum: Ratio varietatis pendet ex varietate opinionum de modo operandi Dei; nostri Theologi supero lumine illustrati recte noscunt Deum extrinsecus libere operari, & sua immensa potentia vt hũc ita alios mundos creare posse. Aristo. per opera naturæ progrediens, non tam sublimius extolli valuit, sed censuit Deum operari cum quadam naturæ necessitate, pro facultate & consimiliter semper,& propterea ei vt capiti vni,vnum solum posse respondere mundum. *Solutio.*

Similiter Plato censuit in ratione mundi esse,vt vnus sit,nec posse esse plures, adeo vt quemadmodum Deus,qui est mundus eminens, est vnus & vnus est ordo separatarum mentium regentium Cœlum,ita vnus sit Cœlorum & Elementorum vniuersus ordo. *Plato.*

Instantia ab Alexandro prolata quia motor primus mouet vt optabile;

Soluitur primo, quia ex sententia Arist. Deus ne dum mouet vt finis, sed etiã vt efficiens.

Secundo,quia appetens Deum definito ordine, pendet ex Deo, non ita appetens particulare bonum,veluti cibum,pendet ex eo & constituitur ab eo.

Tertio, quia ita Deus cum sit vnus optatur vt ei primo vnum solũ iungi possit,cætera ordine aliquo,nam quod pendet ex vno,vt vnum est,necesse est,vt seruet conditionem vnius. Addebatur secundo, quod primum principium non pendet ex mundo.

Respondeo quod sat est vniuersum pendere ex Deo quadam naturæ necessitate,adeo vt ex vno eminenti vniuerso pendeat ordinata vniuersitas corporũ;

vt ita si vniuersitates corporum essent multæ etiam multa essent prima principia, quia fluentia ex vno debent seruare conditionem vnius.

Alia instantia. At dices vnus potest esse Princeps variarum Vrbium & Regnorum, soluitur, *Solutio.* quia ea Regna non prodeunt ex eo vt vnus est, nec seruant absolutam cunctorum vniuersitatem.

Instabatur demum, quia vt se habet de paruo mundo ita putandum est se habere de magno; Soluitur quia mundi parui non sunt vniuersitates absolutæ, sed particulares; Insuper non sunt vere mundi sed imitationes, quæ vnius multæ esse possunt, vt Imagines Cęsaris: Demum non prodeunt proxime ex vno vt vnum est, sed ex varijs.

4. Consideratio. Quarto loco accedo ad explicationem secundæ rationis depromptæ ex 8. Phyf.49. quæ talis est; Motus primus est æternus, igitur est vnus, igitur est continuus, igitur pendet ex vno motore, & est vnius mobilis, ex vnico primo motore & mobili vnus pendet & constituitur mundus; iure Arist. has duas rationes simul indicat, nam octauus Physicorum in quo eleuamur ad supremum motorem, maxime nectitur cum 12. Metaphysicæ in quo supremus ille motor explicatur.

Dubitatio. At dicet aliquis rationem hanc carere necessitate, quia putantes mundos plures, vnicuique mundo dicent competere motorem, mobile & motum primum, adeo vt quemadmodum mundi sunt plures, ita hæc plura sint.

Solutiones. Hæc euasio multiplici ratione est inanis, primo quia non dabitur primum absolute, sed solum in ordine sui Mundi, secundo quia in ratione Dei est, vt sit vnus & multiplicari nequeat: tertio quia in ratione mundi est vt sit cunctorum ordo, non partium, & principium eius sit vnum absolute non per solam relationem, vni autem vt vnum est non possunt æque primo multa iungi, & si nectentur ordine aliquo, ordo erit vnus & mundus vnus.

Contextus XCI.

PRæterea ita quoque considerantibus notum reddi poterit Cælum esse vnum, nam cum Elementa corporea tria sint, tria quoque erunt loca eorum, vnus circa medium, qui corpori competit quod substernitur; Alius competens corpori circumlato, qui extremus est, tertius est medius & intermedij corporis. Necesse enim in hoc esse, quod sursum fertur, nam si non in hoc reperitur extra erit, quod fieri nequit, nam extra existentium hoc quidem caret grauitate, hoc autem ea est præditum. Magis deorsum autem locus ille est, qui corpori graui competit, cum locus apud medium grauium sit: sed neque præter naturam, alteri enim competeret secundum naturam, alteri non. Necesse est itaque in medio esse, cuius quæ sint differentiæ posterius dicemus, De corporeis autem Elementis quæ, & quot sint, & quis singulorum sit locus, adhuc autem vniuerse quot numero loca sint ex dictis conspicuum est.



FOR-



ORMAVIT Arist. & vndique pro facultate corrobo rauit ostensionem primam, pro patefaciendo mundo vno, consilium eius modo est alteram conficere, ostensio prima eliciebatur ex naturali propensione ad propria subordinata loca; hæc secunda sumitur ex numero & ordine locorum per naturam eis competentium: loca enim & locata sibi mutuo respondent. *Intentio.*

Diuiditur Contextus in quatuor partes, in prima manifestatur intentio, in secunda numerantur communia subordinata loca nec non corpora eis respondentia, in tertia manifestatur non secus ea se habere posse, in quarta colligitur conclusio. *Diuisio.*

Redeundo ad primum ait hac quoque secunda ratione ostendi posse Cœlum, hoc est, mundum esse vnum, nam frequenter nomine Cœli mundum denotat; Secundo loco ex numero trium corporeorum Elementorum, tanquam ex fine cui, elicit loca esse tria, grauium, leuium & neutrorum, quorum vnus qui est circa medium est grauium, nam medium absolute punctum est non locus; Alter est locus extremus Cœli circumlati: Tertius est medius horum, competens leuibus latis sursum. (Nam si non in hoc reperitur extra erit &c.) Manifestatur in hac tertia parte, non posse secus hæc corporea Elementa disponi, & id ostenditur de intermedijs, nimirum de igni & aere, quia extrema magis sunt definita, hæc autem intermedia indefinita sunt magis, & præsertim quia putarunt nonnulli infra terram reperiri aerem in quo terra lata & plana supernataret vt patebit dum erit sermo de quiete terræ.

Ostenditur autem hæc intermedia non posse alibi habere sedem, quia nisi in eo intermedio locarentur, deberent locari in extremis, vt extremorum vnus est locus Cœli grauitate carentis, alter grauium.

Sed posset aliquis dicere reperiri quidem extra, at præter naturam, reijcit hoc Arist. quia si alibi locaretur præter naturam locus ille deberet alteri corpori secundum naturam competere, quod fieri nequit, quia præter grauia, leuia & neutra aliud corpus non datur.

Exponitur etiam hoc alia expositione dicendo, quod posset aliquis dicere leuia in eo intermedio esse posita at præter naturam, non secundum naturam vt supposuit Arist. quod euertitur relata euersione, prior tamen expositio mihi magis satisfacit, iam enim ex sæpe repetitis patet intermedium illud sub Cœlo, esse locum leuium, quorum differentiæ in quarto libro explicandæ, sunt aer & ignis, vt differentiæ grauium sensu conspicuæ, sunt aqua & terra. Colligitur in postrema parte conclusio quæ perspicua est.

ANNOTATIONES.



STENSIO quæ ex hoc Cont. elicitur hæc est. Loca simplicium corporum suo ordine mundum constituentium tria sunt, similiter Elementa corporea tria sunt, ex his cōsurgit vnus vniuersus ordo, qui est mundus vnus, pro qua, *1. Annotatio.*

Considero primo quod Arist. simplicia corpora appellat Elementa non absolute, sed corporea pro distinctione a materia & forma, quæ ex eius sententia sunt Elementa absolute, cum absolute sint prima. vt patet ex primo Phys. materia & forma sunt Elementa corporis compositi: corporea autem sunt proxima elementa Mundi. *1. Consideratio.* *Dubitatio.* *Solutio.*

Considero secundo quod Arist. videtur secum pugnare, nam in 4. Physicorum negat Cœlo competere locum, hic vero ei locum tribuit: Soluitur multipliciter, primo quia consueuit Arist. frequenter loquens de loco sequi commu *2. Consideratio.*

nem opinionem veterum, quod locus sit interuallum, vt faciet etiam in 2. libro, dum ostendet, Cœlum esse sphæricum.

Solutio. Soluitur secundo, quia Cœlo saltem competit locus ex accidente, secundum partes, per Planetas & per intimam eius superficiem.

Tertio addo quod ei competit locus secundum formam, quatenus ei competit positio per definitam distantiam a centro, per quam definitam positionem conspirat ad mundi constitutionem.

Quarta consideratio. Simplicius. Considero tertio, rationem Arist. videri leuem, nam qui mundos aiunt esse plures similiter dicunt huiusmodi ordines locorum & corporum esse plures: concederent libentissime assumpta ab Arist. vt negarent consequutionem quod ob id mundus sit absolute vnus.

Dicamus, quod Arist. supponit dicta in præcedentibus, & præsertim id quod omnia simplicia corpora eiusdem speciei conspirent ad vnum & eundem numero locum; nulla enim adest ratio, quod cum natura sit vna, & motus vnus, non etiam vnus sit locus.

Considero quarto, quod cum Arist. dicat cuius intermedij quæ sint differentiæ posterius dicamus, Simplicius per intermedia putauit denotari tria Elementa media inter Cœlum & terram, quod dicendum non puto, quia aqua numeratur inter grauia, & grauium differentiæ sunt perspicuæ & concessæ, latent autem differentiæ leuium, multi. n. inter Cœlum & terram solum putarunt mediare aere: immo Plato Cœlum censuit esse eminentiam Elementorum, & præsertim ignis, infra Cœlum dixit inueniri ætherem & aerem, denotans nomine ætheris puriorem partem aeris, quia semper circa aerem fluit, vt patet cum ex Timeo, tum ex appendice legum.

Contextus XCII.

QVod autem nedum sit vnus, sed etiam nequeant esse plures, insuper quod sit æternus, ab ortu & interitu immunis dicamus, ordientes a dubitatione. Apparebit namque ita considerantibus vt fieri non possit mundum esse vnum; In omnibus enim cum arte, tum natura genitis & constantibus, aliud est ipsa secundum se forma, & ea mixta cum materia, veluti, aliud est Sphæra forma, aliud aurea, vel ænea Sphæra; Similiter circuli alia est forma, & æreus, vel ligneus circulus. Nam explicantes quid sit esse Sphæræ vel circuli, minime in definitione accipimus aurum, vel æs, tanquam hæc minime sint de eorum essentia, At si æreum, vel aureum dicemus etiamsi præter singulare aliquid aliud accipere, vel intelligere non valeamus, nil enim prohibet vt aliquando hoc eueniat, veluti si vnus solus sumatur circulus, nihilominus tamen aliud erit esse circuli, & huius circuli, nam hoc est forma, hoc vero forma cum materia, ac singulare. Quoniam igitur Cœlum est sensile, singularium vtique erit: sensile enim omne in materia subsistit, si autem singularium est, aliud erit huius Cœli esse, & Cœli absolute, aliud itaque est hoc Cœlum absolute, & hoc quidem est vt species & forma, hoc vero vt materiæ iunctum. Ea autem quorum est forma aliqua & species, vel sunt, vel fieri contingit plura singularia. Nam vel dentur species, vt quidam inquiunt, vel nil horum separatum sit, nihilominus necesse est hoc accidere, de omnibus enim

quorum

quorum essentia est in materia, videmus plura esse ac infinita ea quæ sunt eiusdem speciei, Cœli itaque vel sunt, vel contingit esse plures, per hæc suspicabitur aliquis & esse & contingere esse plures Cœlos.



CVM Philosophus pro ostendendo mundo vno, primo fundamenta iecisset. secundo cum ducendo ad absurdum tum directe id ostendisset, tertio reiecisset varios modos quibus videbatur posse ostensionem solui, quarto patefecisset id ipsum posse ostendi per prolata in octauo Physicorum, & 12. Metaphisicæ; Ac insuper quinto id alia ostendisset ratione huic libro consentanea, satis cumulate patefecit mundum esse vnum. *Declarata hactenus.*

At quia frequenter esse & posse distinguuntur, ideo consilium eius modo est ostendere mundum adeo esse vnum vt plures esse nequeant, & quamuis hoc modo aliquo eliciatur ex dictis, tamen vt distinctius id pateat & diluatur dubitatio, id modo seorsum declarandum proponit. *Intentio.*

Diuiditur præsens Context. in tres partes, in prima declaratur intentio & ordo seruandus; In secunda proponitur dubitatio digna consideratione, In tertia colligitur conclusio. Redeundo ad primam partem, duo Arist. declaranda proponit, primum quod mundus ne dum est vnus, vt est ostensum, sed quod nequeant esse plures. Alterum, quod sit immunis ab ortu & interitu, ordo autem seruandus est, vt ordiamur a dubitatione, nam vt dicitur in 3. Metaphysicæ indagantibus veritatē operæ precium est primo bene dubitare. (Apparebit nam que ita considerantibus &c.) Seruans quod est pollicitus proponit in hac secunda parte Arist. difficultatem conflatam ex Syllogismo, & prosyllogismo hunc in modum. Omnium uel Arte, vel Natura ex materia & forma constantium, aliud est sola secundum se considerata forma, & ea iuncta cum materia, Cœlum, hoc est mundus, ex materia & forma constat; Quare aliud est forma eius absolute sumpta, & ea iuncta cum materia. *Diuisio.*

Formato primo syllogismo, extrinsecus accipitur altera maior, & pro minori adducitur conclusio præcedentis hunc in modum: Omnia quorum altera est sola forma & ea iuncta cum materia, vel sunt, vel esse possunt plura numero, de Cœlo aliud est sola forma, & ea iuncta cum materia per præcedentem syllogismum quare vel actu sunt vel esse possunt plures Cœli, hoc est mundi.

Ac ita colligitur conclusio quæ est, hac ratione suspicari aliquem posse, vel esse, vel posse esse plures Cœlos.

ANNOTATIONES.



ARIST. primo considero, quod hæc duo simul indaganda proponit, an mundi possint esse plures, & num mundus sit ab ortu & interitu immunis, & iure nam apprime iuncta sunt; id enim quod non potest numero multiplicari ex eius opinione est æternum, & vice versa, æternum non potest numero multiplicari. *1. Consideratio.*

Insuper vt pateat quod neq; potest multiplicari successione, vt existimauit Empedocles. Tertio vt pateat quod cum Cœlum & vniuersum non sit infinitum mole & numero, quod solum est infinitum tempore, mora & conseruatione.

Considero secundo, quod Aristo. videtur esse redundans, & superuacaneus, iā.n. in octauo Physicorum, ex motu æterno intulit æternitatem Cœli. Similiter in *2. Consideratio.* *Dubitatio.*

in primo capite huius libri demonstrare conatus est, Cœlum ab ortu interitu accretione diminutione & alteratione esse immune, leuiter igitur nunc tertio id ipsum declarandum proponit.

Solutio. Soluitur dubitatio, primo quia id demonstrauerat de alio subiecto nimirum de parte ætherea, hic vero de toto mundo.

Secundo quia non reiecerat opinionem Platonis, quam modo reijciet.

Tertio quia inde patet æternitas mundi confuse, quod modo distincte efficiē dum proponit: demum quia non est absurdum ob varias opportunitates id ipsum distinctis rationibus varijs in locis ostendere, vt etiam quod mundus sit vnus dixit patere & ex octauo Phys.& ex 12. Metaphysicæ.

3. Consideratio. Considero tertio propositionem illam, omnium vel arte vel natura ex materia & forma constantium aliud esse solam formam, & eam iunctam cum materia, vt Sphæram & æneam Sphæram, circulum & ligneum circulum, quæ dicitur vera siue vnicum, siue plura sub specie sint indiuidua, & ostenditur per eorum definitiones, quæ cum sint distinctæ, distinctam indicant definitorum conditionem, nam dum definitur forma absolute non accipitur materia, vt accipitur dum definitur vt iuncta cum materia, sic Physicus definit per materiam sensilem, non autem Mathematicus qui abstrahit ab ea.

Dubitatio. At oritur dubitatio quia materia & forma inuicem referuntur: relatorum hæc est conditio vt vnum definiatur per alterum.

Secundo quæritur quæ sit ratio veritatis eius propositionis.

Tertio quid denotetur per formam absolute, & eam cum materia iunctam.

Quarto num id sit verum etiam de materia mathematicorum, quod aliud sit forma, & ea iuncta cum materia mathematica.

Quinto num de Cœlo corpore simplici penitus.

Sexto num de indiuiduis quod aliud sit Socratis forma, & ea iuncta cum illius materia.

Septimo num de simplici materia dicere valeamus, quod aliud sit materia, aliud esse eius; hæc sunt dubia non leuia, quæ eo diluentur ordine, quo sunt proposita.

Solutio. De primo dico, formam considerari dupliciter, vel pro esse absoluto quod antecedit, vel pro esse relato, quod sequitur & eo nititur: dum consideratur pro esse relato, quod est posterius, non cognoscitur sine priori, & id saltem fit a Metaphysico.

Quærebatur secundo quæ sit ratio veritatis eius propositionis, omnia quorum alia est sola forma, & ea iuncta cum materia, vel sunt vel esse possunt plura numero, dico id euenire ex potestate & conditione materiæ: nam multitudo non est sine materia & permixtione cum potentia, vt vnitio est per actum, & formam, & vbi reperitur materia ibi locum habet potentia ad multitudinem, non vt necessario multa sint, sed vt esse possint, quia ex materia infertur potestas non actus, & nisi species & singulare differrentur species, ita singulare esset vnum.

Solutio aliorum. Pro solutione aliarum difficultatum accipio hæc quatuor reperiri singulare, esse singularis, vniuersale & esse eius, veluti, hic homo esse huius hominis, homo, & esse eius, de quibus etiam est sermo in tertio de anima Con tex. 9. quo loci ego latius de eis verba feci, nunc breuibus dico, quod Arist. in tertio de anima comparat vniuersale, veluti carnem & magnitudinem cum esse eorum, inquiens carnem & magnitudinem esse composita, esse autem eorum esse formam, nunc vero comparat vniuersale cum singulari vt Cœlum cum hoc Cœlo, & carnem cum hac carne inquiens vniuersale denotare formam, singulare vero eam complicatam cum materia, adeo vt secum pugnare videatur, cum modo dicat vniuersale denotare formam & in tertio de anima compositum, pro solutione dico id oriri ex varia comparatione, nam singulare denotat formam cum definita materia, quæ dicitur materia totius, vniuersale autem excludit illam definitam materiam, & ideo relatum ad singulare, vt hoc in loco, dicitur forma, & est

Controuersi. Solutio.

forma

forma totius includens materiam partis, quæ est principium speciei & pars vniuersalis veluti carnis, quæ mox relata ad esse dicitur composita, vt compositæ sunt species & genera prædicamentorum, quorum esse est simplex forma, ex quo patet quod cogimur fateri dari & materiam totius & partis, & similiter formam, vt alibi latius patefeci. Ex his eliciuntur solutiones sequentium difficultatum.

Quærebatur tertio quæ sit forma absolute & ea iuncta cum materia, dico per formā absolute nunc denotari vniuersale quod, vt dixi, est forma totius includens tamen materiam partis quam mox excludit esse eius: per formam vero cum materia iunctam denotari singulare, includens definitam materiam. *Solutiones cæterorum.*

Quærebatur quarto num de Mathematicis cum materia Mathematicorum iunctis id sit verum, quod aliud sit circulus, & esse eius.

Respondeo id ipsum debere dici de Mathematicis & eorum materia, hinc Arist. in tertio de anima & de Physicis & de Mathematicis dedit exemplum, sic circulus comparatus cum ligneo, & particulari, hoc in loco dicitur forma in tertio autem de anima, magnitudo comparata cum esse eius, dicitur composita ex materia & forma. *Solutio.*

Quinto quærebatur, num id sit verum de Cœlo sumpto pro quinta essentia penitus simplici, adeo vt aliud sit hoc Cœlum, Cœlum, & esse eius.

Respondeo id ipsum de eo esse verum, minus tamen apparere ob simplicem eius conditionem, nam hoc Cœlum veluti Saturni, includit conditiones aliquas particulares proprias eius, quas excludit Cœlum: Insuper Cœlum quamuis excludat illas, includit tamen quædam accidentia communia omnibus Cœlis, quę non attinent ad essentiam. *Quid sit dicendum de Cœlo.*

Sic in tertio de anima Context. 11. ait Aristo. rectum esse vt simum, quia est cum continuo, quæ est materia Mathematica; At quæritur nū per materiam Mathematicam indiuidua sint vel esse possint plura, vt per Physicam: respondeo quod similiter possunt esse plura, sed vt hæc dicitur materia intelligibilis, ita valemus per imaginationem plura concipere & imaginari, vel maiora vel minora, vel aliis accidentibus distincta. *Dubitatio. Solutio.*

Quærebatur sexto, num de indiuiduis loquendo, aliud sit Socrates & esse eius, ait Simplicius, non posse in Socrate & indiuiduis accipi formam seorsum, & ob id Socrates & hic Socrates idem sunt: Them. in digress. 20. Context. tertii de anima ait, aliud sum ego, aliud est esse mei; Sic aliud Socrates, aliud esse eius: *Dubitatio. Simplicius.*

Soluitur dicendo nos duobus modis posse loqui primo num Socrates & hic Socrates sint idem, & ita recte sentit Simplicius, quod idem sint cum ambo pro eodem sine distinctione sumuntur, & idem indiuiduum denotēt, nisi dicamus, quod Socrates denotat omnes eo nomine designatos, hic autem Socrates contrahitur ad vnum: Secundo quærere possumus, num Socrates & eius esse distinguantur sic recte sentit Themistius, nam esse & de vniuersali & de singulari dicitur, proprie tamen & absolute dicitur de vniuersali, ideo Arist. id solum considerauit.

Legitur in 8. Metaphysicæ Contex. 16. quod ea, quæ non habent materiam nec sensilem nec intelligibilem, statim vnumquodque eorum est vnumquodq; sic anima & animæ esse idem sunt, homo autem & esse hominis distinguuntur: nam materia ea est, per quam esse distinguitur ab eo cuius est esse, & quia omnis potentia & recessus a puro actu est modus quidam materiæ, ideo inferre possumus absolute de solo Deo esse verum, quod Deus & esse Dei penitus idem sint. *De solo Deo absolute verū quod idē Deus & esse Dei.*

Quærebatur septimo num de prima materia loquendo idem sit materia & hæc materia, siue esse & id cuius est esse; pro solutione dico, quod vniuersale, & esse proprie pertinet ad formam, ad materiā autem pertinet potentia, tamen per similitudinem quandam dicere possumus quod aliud est materia vniuerse dicta, aliud materia Physica & materia Mathematica, & de Physica loquendo *De materia prima.*

alia

alia eft materia proxima vnius alia alterius, de prima autem loquendo, fi eam imaginamur cum indefinitis dimenfionibus ei coæuis, vt imaginatur Auer. fic etiam diftinguitur in partes vt de Mathematicis dictum eft, at fi eam, vt omnino fimplicem imaginamur, materia prima & hæc materia, fiue materia & eius effe idem funt.

4. Confideratio. Confidero quarto quod Arift. ait declaratam propofitionem quod omnia ex materia & forma conftantia vel fint, vel effe poffint plura numero, effe veram, etiam fi præter fingulare aliquid aliud accipere, uel intelligere non valeamus, & nil prohibere vt aliquãdo id eueniat, veluti fi vnus folus fumatur circulus &c. Hoc loquendi modo etiam vtitur Arift. in primo pofteriorum dum refert errores contingentes in affumptione vniuerfalis, & indicat fpecies, quarum vnum folum fit indiuiduum, & modo profert hoc, vt occurrat tacitæ obiectioni, nam quifpiam potuiffet dicere, quod aliud eft forma abfolute & ea iuncta cum materia, loquendo de forma & fpecie effufa per plura induidua non de illa cuius indiuiduum fit vnum vt fe habet de mundo, ideo de his quoque id effe verum affirmat.

Dubitatio. At iure dubitabit aliquis, quia Arifto. videtur pugnantia proferre inquiens, differre formam abfolute a complicata cum materia, etiam fi præter fingulare aliquid aliud accipere, vel intelligere non valeamus. Nam fi forma abfolute differt vt etiam conditio fpeciei ab ea indiuidui, valebimus eam vt diftinctam intelligere & de ea non de indiuiduo affectiones oftendere.

Solutio. Refpondeo dum fub fpecie vnicum eft indiuiduum nil valemus accipere vel intelligere feorfum ab illo, & quod non inueniatur in eo, valemus tamen in eo illa duo vt diftincta intelligere.

5. Confideratio. Confidero quinto, quod Arift. ait, eam propofitionem, conflata ex materia vel effe, vel poffe effe plura numero, fiue dentur fpecies, vt aiunt quidam, fiue feparatum nihil fit, &c. hoc dicitur ab Arift. vt occurrat tacitæ obiectioni, nam pofset aliquis cum Platone in Timeo dicere, mundum efse vnum quia eius vna eft idea, adeo vt dum rei vna eft idea, quamuis res illa fit materiata, tamen non poteft numero multiplicari, reijcit hoc Ariftotiles quia vel dentur ideæ vt cenfuit Plato, vel non dentur, ut ipfe putat, femper propofitio illa feruatur vera, quia quamũis Idea fit vna eius tamen efse poteft multiplex numero participatio in multiplici materia; & vnius exemplaris multæ pofsunt efse imitationes.

6. Confideratio. Sexto loco occurrit confideranda ea minor propofitio, quæ erat, Cœlum, hoc eft, mundus eft forma in materia, & perpendendum eft, quæ fit forma, & quæ materia mundi.

Quinque formæ mundi. Quinque affignari poffunt formæ mundi, vna eft rotunditas & globofa figura eius, at hæc eft forma externa & accidens; Altera eft Deus, qui eft forma fuprema & finis poftremus, quæ tamen non eft forma cum materia mixta.

Tertia eft anima mundi a Platone excogitata de qua Virgilius:

Virgil.
„ *Spiritus intus alit, totamque infufa per artus*
„ *Mens agitat molem, & magno fe corpore mifcet.*

Verum Arifto. hanc non approbauit, non enim excogitauit animam mundi a Deo diftinctam.

Quarta forma poteft dici pars æthetea, relata ad mundum elementarem, de qua Auer. Cont. 95. ait, dum per Cœlum intelligimus mundum, pars ętherea eft forma, dum vero partem æthereαm, Intelligentia motrix forma eft, orbis vero materia; hoc fecundum non facit ad rem, fed primum: proculdubio enim de mundo fermo eft, at quod per formam mundi denotetur pars ætherea verum non puto, nam Arift. in progreffu dicet materiam mundi effe non folam partẽ elemenrarem, fed omnia fenfilia corpora.

Infuper mundus non definitur, nec intelligitur per Cœlum vt per formam, & cum Cœlum, hoc eft, pars ætherea, fub fenfum cadat, ea quoque materiam includit; folum pars æthεrea per comparationem cum parte elementari feruat

con-

conditionem formæ continentis, perficientis & seruantis, at non ob id absolute est forma mundi de qua Arist. ait, quod qui dicit mundum, dicit formam.

Alij dicunt quod forma mundi est ordo, & quia ordo est accidens ideo concedunt mundi formam esse accidens, & mundum esse accidens, & mundum esse vnum ex accidentibus nam ex iunctis solo ordine non consurgit vnum nisi ex accidenti, vt exercitus, & ex multis quæ actu sint non constituitur vnum secũdum se. Hanc opinionem veram non puto, ita enim qui diceret mundum, diceret accidens, & denotaret aliquid imperfectius formica, quæ denotat substantiam. *Opinio quorundam.* *Euersio.*

Propterea dicamus, quod forma mundi est duplex vna partis, altera totius, vt etiam cunctorum compositorum: forma partis, quæ est altera pars compositi est ordo ad essentiam attinens cuius materia sunt ordinata corpora; forma totius est essentia & vniuersale inde consurgens. Materia totius est ea partis cum superadditis conditionibus particularibus & accidentibus contrahentibus ad naturam singularem. Arist. præsertim considerauit essentiam, quæ est forma totius, ea tamen præsertim sequitur formam partis, quam formam totius indicauit Auer. com. 92. inquiens; forma est Cœlitas, quæ dicitur de pluribus indiuiduis partibus, vt de Luna Sole, &c. verum hæ sunt potius partes extensionis, quã partes, de quibus dicatur nomen speciei; hæ namque essent mũdi plures, nisi hic constaret ex vniuersa materia. *Opinio propria.*

Errauit etiam, quia tunc nomine Cœli denotabat solam partem æthercam; ordo itaque est forma partis, vt recte putauit Alexander in 2. lib. Naturalium que cap. 19. Hæc enim est ea forma, per quam mundus secernitur a Chao, quæ confusio est. *Ordo est forma partis.* *Chaos.*

Confirmatur, qnia ea est forma vniuersalis mundi, quæ est eius natura, huiusmodi autem est ordo, vt dicitur in 3. de Cœlo 24. & 8. Physic. 16. sic dum natura secatur in vniuersalem & particularem; Natura vniuersalis est ordo, qui etiam nomine Fati nonnunquam denotatur.

Insuper ea est forma mundi, quæ est in vniuersa materia, talis est solus ordo.

Præterea ea est forma mundi, per quam mundus est vnus, idem enim est esse, & vnum esse, at vnus est per ordinem trium locorum & per ordinatam conspirationem ad ea, vt patefecit Arist. in præcedentibus.

Insuper 8. Metaphysicæ Cont. 10. essentiæ rerum sunt vt numeri, in ratione numeri est ordo, sic Deus dicitur definito numero cuncta numerare, & in 12. Metaphysicæ Cont. 50. legitur ea quæ sunt in vniuerso esse prædita ordine.

At explicandum occurrit, quid nam sit huiusmodi ordo, nonnulli aiunt esse accidens, quæ sententia iam supra reiecta est. Et confirmatur euersio, quia tunc dicendo Cœlum siue mundum denotaretur accidens, contra Arist. qui in Cont. 96. explicans quid denotet nomen Cœli ait, denotare substantiam; & id nomen in prima significatione ait denotare substantiam extremæ conuersionis, & sic de cæteris. *Quid sit ordo mundi & forma quintatius.*

Propterea dicamus ordinem qui est mũdi forma denotare essentiam & substantiam; pro cuius notitia animaduertendum est, quod ordo est triplex, solum ordinans qualis est Deus, ordinans & ordinatus attinens ad corpora Physica; solum ordinatus, qui refulget in operibus naturæ. *Ordo triplex.*

Hic ordo ordinatus a Deo consideratur dupliciter, vel pro sola mutua ratione partium adinuicem & ad vnum primũ, & est accidens, vel pro fundamento eius mutuæ rationis, & est essentia rerum ordinatarum quatenus continens est perfectio contenti, quæ essentiæ sunt inuicem iunctæ, & est inter eas consensio quatenus pendent ex vno & conspirant in vnum finem.

Hæc elucidatio elicitur ex Aristot. qui in libro de mundo ad Alexandrum ita Mundum circumscripsit inquiens, quod sit rerum ordinata compages à Deo, & per Deum seruata, quæ descriptio includit omne genus causæ, & non dixit, quod sit ordo, qui est accidens, sed ordinata compages, siue connexio rerum, quæ est substantia & essentia, Mundi denotata nomine Mundi, & explicata per definitionem.

Colli-

Conclusio dictorum. Colligens itaque dico, Figuram, & ordinem sumptum pro accidente esse formas externas & accidentia inseparabilia à Mundo; Deum esse formam eminentissimam secretam, eminentissime seruantem mundum, & nectentem partes eius & ordinantem: ordinatum autem & essentialem nexum graduum eius, adeo vt continens sit tanquam forma contenti esse formam illam, quæ dicitur forma totius & essentia, cuius materia sunt illa simplicia corpora suis accidentibus & affectionibus prædita seorsum a connexione illa considerata. Propria autem forma partis & materia ei respondens mundo non competit; non enim ex sententia Aristot. mundo competit anima vniuersam materiam formans, vt animalibus.

Dubitatio. Solutio. Et si quis instet, quia ex pluribus actu non consurgit vnum secundum se, soluitur id esse verum dum ea sunt solum actu, at non dum continens se haber per inde ac actus, contentum autem est potestate, vt se habet de gradibus mundi tribus præcipuis, tanquam communibus neruis iunctis, ex primo principio tanquam ex capite prodeuntibus, nimirum ipso esse, bono & vno.

Collectio. Ex his colligo, quod in mundo mundus & hic mundus varia sunt; Nam mundus est sola forma totius, hic mundus superaddit accidentia & affectiones eius proprias, mundus autem & esse mundi non distinguuntur, quia caret forma partis & materia ei respondente.

7. Consideratio. Dubitatio. Considero vltimo loco sententiam illam Aristo. dicentis, (Quoniam igitur Cœlum est sensile, singularium vtique erit, sensile enim omne in materia existit, &c.) quæ sententia videtur dubia, primo quia materia denotat potentiam, quæ non mouet sensum sed actus; secundo, quia ait Arist. in 2. de anima, quod sensus recipit formam sine materia.

Solutio. Quomodo sensile sit tale per materiã. Pro resolutione accipio eam sententiam duplici modo proferri, ab Aristotile ita profertur, sensile omne in materia existit; ab Auerroe vero, omne sensile per materiam sensile est: vtraque est vera, prima tamen tutior est & cautius loquitur Arist. id quod cadit sub sensum non est absoluta forma, nec simplex materia, sed iunctum ex vtrisque vt dicitur in 2. de anima 66. veluti coloratum, tepidum & similia.

Hoc compositum sua forma mouet sensum, quæ forma dupliciter consideratur primo absolute vt forma & essentia est, ac ita constituit vniuersale, quod pertinet ad intellectum; secundo, vt est in definita parte materiæ, & per contractionem reddita est singularis, proportione respondens materiato sensui, & ita mouet sensum, qui recipit formam ita contractam existentem in materia non recipiendo subiectum eius, sed solam actionem formæ.

Præterea omne quod sensum mouet est accidens, omne autem accidens est in materia, sic recte loquitur Arist. inquiens, sensile omne esse in materia.

Nec ob id errat Auer. inquiens, sensile omne per materiam sensile esse, nam dictio, per causam denotat, materia autem causa est non principalis, sed in genere materiæ, & sine qua non, & est id per quod contrahitur forma ad ordinẽ sensilium, & sensui redditur congruens; & instituto Arist. inseruiebat ostensuro Cœlum esse materia præditum.

Quid nomine materiæ denotetur. Zimara. At cum materia sit multiplex iure explicandum superest quid nomine materiæ Arist. denotauerit; Zimara Theor. 18. ait denotasse vel affectiones materiam sequentes, vel materiam non primam sed proximam: at fallitur, nam Aristot. ait sensile omne esse in materia, affectiones non sunt in affectionibus sed in earum subiecto quod materia dicitur; præterea Arist. explicans materiam mundi non ait esse affectiones, sed omnia simplicia corpora, nec debet contrahi ad materiam proximam, quia ea sub sensum cadit, ideo materiam supponit, & ne detur progressus in infinitum etiam prima sensilium materia includi debet: confirmatur quia in Cœlo, quod sub sensum cadit, non reperitur ordo materiæ proximæ & primæ.

Opinio propria. Propterea dicamus denotari materiam Physicam late sumptam, cum primã tum proximã, cum mortalium tum æternorum, cum partis tum totius præsertim

tim

tim tamen materiam totius, quia ea partis non eſt ſatis, cum includatur etiam in vniuerſali.

At quæritur num ea ſententia etiam ſit vera de materia Mathematica,quæ eſt continuum & partes, & de materia Metaphyſica ſumpta pro receſsu a primo puriſſimo actu? *Dubitatio.*

Reſpondeo vtramque materiam requiri pro conſtitutione ſenſilium; omne enim quod ſenſum mouet recedit a puro actu, & eſt continuum partibuſque præditum,at non eſt ſatis, ſed requiritur vt principale & proprium fundamentum materia Phyſica. *Solutio.*

Ex dictis eliciuntur ſolutiones aduerſarum rationum; nam inſtabatur,quia forma eſt ea quæ mouet,& ſenſus recipit formas ſine materia,ſoluitur,quia forma mouet at non omnes, ſed ea quæ eſt in materia, per quam contrahitur ad gradum ſenſilium,& ſenſus recipit formam ſine materia, at exiſtentem in materia,& cum eius præſentia, vel conditionibus eius.

Inſuper id quod recipit,non eſt principale ſenſile, ſed actio, imago & repræſentatio eius;principale enim ſenſile eſt ea forma, quæ in materia eſt.

Contextus XCIII. & XCIIII.

Conſiderandum autem rurſus, quid horum dicitur bene & quid non bene. Hoc profectò quod ratio ea formæ quæ eſt ſine materia, ſit altera ab ea, quæ eſt cum materia rectè dicitur, & eſto hoc verum. Attamen nihilominus ob hoc neceſſe non eſt vt plures ſint mundi,neque contingit vt ſint plures, ſi hic ex vniuerſa materia eſt,vt re vera eſt.

Fiet autem fortaſſe hoc notius exemplo ſimitatis,quæ unu ſit curuitas naſi vel carnis;adeo vt materia eius ſit caro, ſi ex omnibus carnibus vna fieret caro & in ea eſſet ſimitas, neque erit neque continget fieri aliud ſimum, ſimili modo cum carnes & oſſa ſint materia hominis ſi ex cunctis carnibus & oſſibus homo fiat qui nequeant diſſolui, non vtique continget eſſe hominem aliũ, ſimiliter de cæteris,nam omnino,quorum eſſentia eſt in ſubiecta materia, nil horum contingere poteſt,vt factum ſit non exiſtente eius materia.



NTENTIO Ariſto. eſt propoſitam difficultatem diſſoluere quod vt exacte faciat principia diſtincte perpendit ex quibus ortum ducit. *Intentio.*

Diuiditur præſens Contextus in tres partes, in prima ſoluitur dubitatio. In ſecunda ea ſolutio duobus exemplis illuſtratur, in tertia vis ſolutionis vniuerſe colligitur. Quod pertinet ad primam partem concedit Ariſt. & tanquam veras approbat ambas propoſitiones primi ſyllogiſmi, quæ erant conſtitutorum ex materia & forma,ratio formæ ſine materia differt ab ea,quæ cum materia eſt, mundus conſtat ex materia & forma, approbantur hæc principia, & propterea conceditur concluſio. *Diuiſio.*

At dum mox pro altero ſyllogiſmo extrinſecus accipitur,quod quorum altera eſt ratio, ea ſunt vel eſſe poſſunt plura numero, limitatur hæc maior propoſitio,quia ſolum eſt vera de non conſtantibus ex vniuerſa materia.

Ratio limitationis eſt,quia materia ſui diuiſione eſt origo multitudinis,& dicitur neceſſaria & cauſa ſine cuius diuiſione multitudo eſſe non poteſt.

In secunda parte duplici exemplo ea limitatio elucidatur, primum sumitur a fimo, alterum a forma hominis, per quam formam non mentem intelligere debemus, sed partem ex materia pendentem.

Postremo vniuerse colligitur, quod quorũ essentia est in subiecta aliqua materia nil eorum potest esse, vel fieri non existente materia, & per hoc aduersa ratio ita reflectitur: Dum non adest multitudo materiæ, non potest adesse multitudo materiatorum indiuiduorum, dum vnum constat ex tota materia, non superest multitudo materiæ, quare nec multitudo materiatorum indiuiduorum, ex quo elicitur hæc ratio constans ex vniuersa materia non potest multiplicari, mundus est talis quare, &c.

ANNOTATIONES.

1. Considera tio.



CONSIDERO primo, quod Arist. iure est vsus duplici exemplo, vno sumpto ex accidente, quale est simum, altero ex substantia, qualis est homo, vt indicet suam sententiam vniuerse de omnibus materiatis formis & constitutis ex eis esse veram.

Insuper pro vtroque genere formarum eas sumpsit formas quæ postremæ sunt, & materiam magis definitam & propriam exposcunt, quia de his veritas est clarior, cum tamen etiam de cæteris materiatis formis id verum sit, vt de curuo, de calido, de auro & igne.

2. Considera tio. *Cur sit vsus duplici exẽplo.* At secundo loco considerandum occurrit, cum id sit verum de exposcentibus materiam Physicam, num etiam verum sit de includentibus materiam Metaphysicam, qualis est potentia & recessus a primo & purissimo actu; Et materiam Mathematicam quale est continuum & partes: & respondens dico, de his quoque cõsimili ratione iam verum esse, vniuerse enim omnis materia dicitur necessaria & causa sine qua non.

3. Considera tio. *Dubitatio.* Considero tertio, quod differt dicere, constare ex tota materia absolute, & constat ex tota sua materia; nam vt constat ex tota materia ita multiplicari non potest, mundus absolute cõstat ex vniuersa materia cum indiuidui tum speciei, ideo absolute multiplicari non potest; Cœlum constat ex vniuersa materia Cœli, & mundus Elementaris ex vniuersa materia Elementorum, ideo nec alij æthe rei, nec alij Elementares mundi esse possunt. Plato constat ex vniuersa materia Platonis, at non ex vniuersa materia humanæ speciei, ideo reperiri possunt plures numero homines at non plures Platones; Luna constat ex tota materia non Cœli, sed Lunæ, ideo non dantur plures Lunæ. Et demum vt se habet materia generis ad genus, ita ea speciei ad speciem, & ea indiuidui ad indiuiduum. *Solutio.*

4. Considera tio. Considero quarto, quod adhuc constare ex tota materia contingit dupliciter vel ex accidenti & ex suppositione vt exempla dedit Arist. vel absolute & secundum se, vt Socrates absolute constat ex tota materia eius, & mundus mundi.

Dubitatio. At quæritur cur Aristo. exempla dedit solum vera ex accidenti & ex suppositione non absolute.

Solutio. Respondeo iure id fecisse, nam sermo eius erat de forma in specie sumpta, de qua recte dicitur, quod sit essentia, species autem quarum vnum sit indiuiduum vel apud nos non reperiuntur, vel latent, vel ex accidenti ita se habent, vt dum aliquid noui affert Africa.

5. Considera tio. Quinto considero id quod dicitur ab Aristo. (quod cum carnes & ossa sint materia hominis, si quis ex omnibus constet quæ nequeant dissolui &c.) addit quod nequeant dissolui, vt ne dum euertat sententiam putantium mundos simul *Democritus.* esse plures, vt putarunt Democritus & Epicurus, sed etiam putantium esse plu- *Stoici.* res successione, per dissolutionem præcedentis, & ex materia eius, vt putarunt Empedocles & Stoici.

Consi-

6. Consideratio. *Dubitatio.*

Confidero fexto, quod cum dentur effe Cœli, Cœlum & hoc Cœlum, veluti effe hominis, homo & hic homo, quę ab Arist. dicũntur differre, pulchra occurrit dubitatio, quomodo differant, num fecũdum fe vel potius ex accidenti, quod fecundum fe oftenditur, quia diftinguuntur definitione; quod ex accidenti fimiliter oftenditur, quia non diftinguuntur fpecie, fed vel per accidentia indiuiduantia vt hic homo & homo, vel per materiam partis, vt homo, & effe hominis, materia autem eft extra effentiam fumptam in prima fignificatione, diftinctio autem per materiam dicitur ex accidenti, vt dicitur in 10. Metaphyficæ 25. veluti per materiam mas diftinguitur a fœmina, vt ex eodem Cont. elicitur.

Solutio.

Refpondeo hæc diftingui non proprie vt ea quæ funt eiufdem gradus, & differunt differentijs oppofitis, fed vt fubordinata quorum vnum includit aliud & aliquid fuperaddit; veluti homo includit effentiam & fuperaddit materiam partis, hic homo fuperaddit accidentia indiuiduantia, quæ differentia diftincta confideratione poteft dici ex accidenti, & fecundum fe, ex accidenti quatenus eft per aliquid quod eft extra principalem effentiam prioris, & magis ex accidenti differt hic homo ab homine, quam homo ab effe eius: eft tamen modo aliquo fecundum fe, quatenus eft cum reduplicatione, & explicatur per definitionem, veluti etiam albedo ingreditur definitionem hominis albi, fic effe hominis vt effe abfolute differt ab homine vt homo concretus eft.

Contextus XCVI.

DIcamus autem primum, quid denotemus nomine Cœli, & quot modis dicatur vt nobis reddatur notius id quod quæritur. Vno quidem modo Cœlum dicimus effentiam extremæ conuerfionis vniuerfi fiue corpus Phyficum quod in extrema eft conuerfione totius, nam confueuimus extremum & id quod furfum maxime nuncupare Cœlum, in quo diuinum nome locatum dicimus.

Infuper modo alio corpus continuum extremæ cõuerfioni vniuerfi in quo Luna, Sol & quædam aftrorum reperiuntur, hæc enim in Cœlo effe dicimus; Rurfus & aliter dicitur Cœlum corpus contentum ab extrema conuerfione, totum enim & omne confueuimus dicere Cœlum.

Continuatio. *Intentio.*



STENSVRVS Philofophus Cœlũ conftare ex vniuerfa materia, quia Cœli nomen multipliciter vfurpatur, nec in omni fignificatione id verum eft, propterea manifeftat varias eius fignificationes & patefacit in qua id fit verum & intelligi debeat.

Diuifio.

Diuiditur Cont. in quatuor partes, quatenus primo profertur intentio, in alijs tres referuntur fignificationes nominis Cœli.

Intentio eft patefacere varias fignificationes nominis Cœli, ratio eft, vt vitetur æquiuocatio, ac ita clarius id reddatur, de quo eft fermo, quod pertinet ad tres fignificationes, prima eft, quia Cęlum dicitur de fuprema fphæra vniuerfum ambiẽte, & ex fententia Ariftot. eft fphæra octaua quæ firmamentum dicitur & fphæra ftellarum fixarum; Altera eft, quod Cœlum dicitur de aggregato ex orbibus Planetarum.

Tertia de mundo toto inclufo intra fupremam conuerfionem. Verba confpicua funt.

mium nexum cum ea, vt etiam in primo Meteorum mundum mortalem dicit esse continuum superis lationibus, vt omnis eius virtus inde gubernetur: nam Cœli non proprie se tangunt, quia non vicissim agunt & repatiuntur, quod requiritur pro Physico contactu, vt dicitur in primo de Ortu & interitu: In tertia autem significatione mundum appellat totum & omne totum quidem vt conflatum ex partibus suis dissimilibus, omne vero vt cunctos rerum gradus includit.

Contextus XCVII. & XCVIII.

CVm autem Cœlum tribus modis dicatur vniuersum ab extrema circumlatione contentum, necesse est constare ex omni Physico sensilique corpore, quia neque est neque contingit fieri corpus aliquod extra Cœlum, nam si extra circumlationem supremam corpus aliquod Physicum esset, id necessario uel simplex esset uel mixtum & uel secundum vel praeter naturam ibi reperiretur, simplicium corporum nullum esse potest: corpus.n. quod in orbem fertur, ostensum est quod non contingit mutare locum suum. Neq; etiam corpus quod a medio fertur, neq; id quod substernitur valet ibi reperiri, non quidem per naturam, quia alia sunt eorum propria loca: si autem ibi essent præter naturam alteri per naturam locus ille extra cōpeteret. Quod enim vni præter naturam competit, necesse est competere alteri per naturam, at præter hæc nullum datur corpus; non itaque fieri potest ut simplex aliquod corpus reperiatur extra Cælum; si autem nullum simplicium, neque aliquod mixtum es-se poterit, necesse namque simplicia reperiri, si adsint mixta.

At vero, neque fieri contingit, vel enim id erit præter, vel secundum naturam, & vel simplex vel mixtum, quare rursus eadem redit ratio, nil enim differt considerare si est, vel si fieri contingat. Patet itaque ex dictis extra Cælum nec esse nec contingere fieri corporis alicuius molem vllam: nam mundus totus ex vniuersa est eius materia, illius enim materia dicebatur Physicum & sensile corpus; Quare neque modo sunt plures Cæli, neque facti fuerunt, neque contingit fieri, sed vnum solum & perfectum est hoc Cælum.



STENSVRVS Arist. Cœlum constare ex vniuersa materia, retulit primo tres nominis Cœli significationes;

In præsenti autem contextu quattuor facit, primo ait id debere intelligi sumpto Cœlo in tertia significatione, nimirum, pro toto mundo. *Diuisio.*

Secundo ostendit extra Cœlum nullum reperiri corpus.

Tertio ostendit nec reperiri posse.

Quarto conclusionem colligit.

Quod pertinet ad partem primam, conclusio quæ proponitur ostendenda hæc est: Vniuersum ab extrema circumlatione contentum, hoc est Cœlum sumptum in tertia significatione necessario constat ex omni Physico & sensili corpore, hoc est, ex vniuersa materia, ratio est: quia nisi ex vniuersa constaret, ali

quid eius extra Cœlum reperiretur, at nec reperitur, nec reperiri potest, quod actu non reperiatur.

In secunda parte ita ostenditur: si extra Cœlum corpus aliquod reperiretur, id vel simplex erit, vel mixtum, & ibi vel secundum vel præter naturam esset collocatum, at nil horum esse potest, nam si id esset simplex, vel esset neutrum, vel graue, vel leue, non neutrum, quale est cœlum in secunda significatione, iam enim de eo ostensum fuit in Contex. 18. & 19. quod seorsum a sua sede reperiri non potest, neque etiam id esse potest corpus graue, vel leue, quia vel ibi reperirentur secundum naturam, vel præter, non secundum naturam, quia alius est proprius eorum locus, & natura vna vnum sibi optat locum: non præter naturam, quia præter naturam est recessus a natura, & ea posterius, ideo nil est omnino præter naturam, & quod vni præter naturam, alteri secundum naturã competere debet, at iam est ostensum, præter relata simplicia corpora, aliud non reperiri, & si extra Cœlum nil horum reperiri potest, etiam non poterit reperiri mixtum ex eis, in mixto enim insunt simplicia, & mixta mouentur & sibi locum vendicant per Elementum dominans.

In tertia parte agitur de possibili, & ostenditur quod vt extra Cœlum non reperiuntur, ita reperiri nequeunt alia corpora; & formatur ostensio eodem modo: nam si ibi possent reperiri, id contingeret aliquo relatorum modorum, at nullo eorum contingere potest, vt apparuit hic.

In parte quarta conclusio colligitur, quæ est; mundum constare ex vniuersa materia, ex qua proxima conclusione infertur alia vlterior, quæ est, nec fuisse, nec esse, nec posse esse plures Cœlos.

ANNOTATIONES.

1. *Considera tio.*



ARIA se offerunt consideranda, quorum primum est, quod cum Arist. dicat se nomine Cœli denotare vniuersum; ex hoc colligimus primo, cum liber inscribatur de Cœlo, per huiusmodi inscriptionem denotari mundum, non enim est rationi consentaneum quod in vna significatione explicetur, in alia sumatur pro inscriptione, ex quo patet, perperam a nonnullis inscribi de Cœlo & mundo: nam id de mundo est redundans.

Colligo insuper, subiectum libri esse mundum Cœli nomine denotatum.

2. *Considera tio.* *Cur Aristo. sit vsus nomine Cœli pro denotãdo mũdo.* At secundo loco occurrit consideratione dignum, cum mundi nomen sit proprium, & non adeo ambiguum, vt nomen Cœli, quæ est ratio quod Arist. potius nomine Cœli quam mundi vti voluerit; cuius rei varias puto posse assignari rationes, vna est, quia in his libris solum consideratur mundus vt consurgens ex ordine simplicium corporum, & propterea a primo eorum ex quo pendet ordo sequentium inscriptionem deprompsit.

Alia ratio est, quia in his libris quamuis agatur de ordine cunctorum simplicium corporum, tamen solum æthereæ partis absoluitur explicatio, non quatuor Elementorum, quæ mox distincta ratione considerantur in lib. de Ortu & interitu.

Alia ratio est, quia intentio Aristo. est disputare cum Platone dicente mundum genitum, Plato autem in Timeo loquens de mundi ortu, illum nuncupauit nomine Cœli; & demum, vniuersa scientia de natura, est de mundo conflato ex vniuersa materia Physica, & de attinentib. ad eam, non autem recte idem tribuitur nomen toti, & parti eius.

3. *Considera tio.* Considero tertio, quod Arist. ait materiam mundi esse omnia Physica & sensilia corpora, excludens Mathematica, quæ a Physico solum considerantur vt inclusa

cluſa in Phyſicis,& artificioſa, quæ corpori Phyſico formam artificioſã addunt non conſtituentem alium materiæ mundi gradum.

Dubitatio. At quæritur, num Phyſicum & ſenſile reciprocentur?

Solutio. Reſpondeo, omne corpus Phyſicum eſſe præditum accidentibus cum communibus tum proprijs, & ideo per ſenſile non contrahitur, ſed clarius explicatur, non autem contra, omne ſenſile eſt Phyſicum, quia etiam Mathematica ſunt ſenſilia ſaltem communia, & artificioſa, quamuis primo & proprie id habeant per Phyſica. Inſuper, corpus quia eſt Phyſicum, ideo eſt ſenſile, ſenſilia enim ſequuntur naturam tanquam cauſam, ideo Phyſicum antecedit.

4. Conſideratio. At quarto loco quæritur, cum Ariſto. dicat materiam mundi eſſe omnia corpora Phyſica, num denotet ſola ſimplicia, vel mixta quoque.

Reſpondeo, vtraque denotare, ideo formans oſtenſionem, etiam de mixtis verba fecit, præſertim tamen denotauit ſimplicia, quia ex eis primo componitur mundus, & hic conſideratur pro attinentibus ad primam eius compoſitionem, inſuper, ex eis pendet ordo cęterorum qui eſt forma mundi & motus mixtorum.

5. Conſideratio. Gradus materiæ mundi. Conſidero quinto, varios eſſe materiæ mundi gradus: nam mundus conſideratur dupliciter, vel vt conſurgit ex ordine ſimplicium, & ſic proxima eius materia ſunt grauia, leuia & neutra, vel abſolute, vt eſt rerum plenitudo, & totum quoddam & abſolute perfectum, ac ita quinque ſunt gradus materiæ eius, nimirum, materia prima, ſimplicia corpora, mixta conſimilia, mixta diſſimilia, vt membra, quintus gradus abſolutæ perfectionis eius proprius ſunt rerum ſub ordinatæ ſpecies, quarum ſuprema eſt homo, maxime cæterarum compoſita, qua conſideratione abſoluitur mundi conſideratio in vniuerſa inſpectrice Philoſophia.

6. Conſideratio. Conſidero ſexto, quod Ariſt. oſtendens extra Cœlum nil poſſe reperiri, ait de facto & de poſſibili eandem eſſe rationem, tum quia conſimiliter de vtriſque formatur oſtenſio: tum inſuper, quia de æternis eſſe & poſſe non diſtinguuntur, tum tertio, quia dum loquimur de eo quod abſolute eſſe non poteſt, eadem vtriuſque eſt ratio; de contingenti autem ſecus ſe habet, ideo Ariſt. per id indicauit abſolute eſſe impoſſibile, tum demum, quia eſt in ratione mundi, ſiue vniuerſi, vt conſtet ex vniuerſa materia, hinc dicitur vniuerſum, hoc eſt omnia in vnum verſa, & ſumitur in eius definitione: nam eſt cunctorum ordinata compages.

Sexto loco conſidero, quod conſtare ex tota materia, quinque modis contingere poteſt:

Primo abſolute & vniuerſe, vt vniuerſum.

Secundo, ex tota materia Cœli, vt vniuerſum corpus æthereum.

Tertio, ex materia propria ætheree partis, ſic enim Luna conſtat ex tota ſua materia etherea.

Quarto, ex vniuerſa materia mortalium, vt mundus Elementaris.

Quinto, ex tota materia mortalium ſibi propria, vt ſingularia mortalia, & vnumquodque vt conſtat ex tota materia, ita multiplicari non poteſt.

7. Conſideratio. Septimo, quod pertinet ad concluſionem, conſidero quod Ariſt. tria colligit, primum extra Cœlum nullum corpus reperiri, nec poſſe reperiri.

Alterum eſt, mundum conſtare ex vniuerſa materia. Tertium eſt, quod neque modo ſunt plures Cœli, neque facti fuerunt, neque continget fieri, ſed vnum ſolum & perfectum eſt hoc cœlum, quibus verbis indicat, mundos non eſſe, nec poſſe eſſe ſimul, neque ſucceſſione plures & vtitur verbo indicante generationem, quod eſt fieri, quia omnes putantes mundos plures, exiſtimarunt eos gigni & interire, & ait hoc Cœlum eſſe vnum, indicans ſingulare, de quo eſt dubitatio, nam Cęlum abſolute denotat ſpeciem, de qua nemini dubium quod ſit vna: de perfectione autem eius multa dixi in libro quem compoſui de mundo.

8. Conſideratio. Octauo conſiderandum occurrit, cum Ariſto. tria nuper relata collegerit, quo-

Dubitatio. *Simplicius.* quomodo inuicem ea fe habeant? Simplicius, & cum eo D. Thomas aiunt primum effe caufam fecundi, nam quia extra nihil eft, ideo conftat ex tota materia hinc Arift. per primum oftendit fecundum.

Alexander. Ex aduerfo Alexander ait fecundum effe caufam primi, cuius opinio mihi videtur verior, quia Arift. fecundum profert cum figno caufæ, quod eft vniuerfale. Infuper negatio eft pofterior affirmatione, nec eft caufa.

Præterea in nullo genere poteft eius effe caufa: inquit Mainettus effe caufam in genere formæ & finis, quod minime eft approbandum: quia negatio nec forma nec finis dici poteft affirmationis: quia itaque in ratione mundi eft, vt fit Pan, hoc eft vniuerfum, & cũcta in vnum verfa & vt fit aliquid abfolute perfectũ, ideo ex vniuerfa materia conftare debet, ex quo tanquam ex forma & fine fequitur vt nil fit extra, nil enim derelictum eft extra, quia cuncta debuerunt includi Arifto. tamen per id quod nihil fit extra tanquam per fignum & per notius demonftrauit alterum.

9. Confideratio. Nono confidero quod hæc Arift. ratio non eft exacta oftenfio: quia ftatuentes plures mundos vel fucceffione vel fimul, non aiunt cætera effe collocata extra, fed intra mundum cuius funt partes, & mundos aiunt interuallo inuicem feiunctos, adeo, vt vnius cum alio nulla fit confenfio, nec confpiratio. Eft itaque ratio fatis apparens; at dum addimus cuncta ex vno principio pendere, & in vnum finem confpirare, ac infuper, cuncta confimilia per naturam in vnam fedem tendere, & in ratione vniuerfi effe vt fit omnia, quæ diftinctis locis ab Arift. referuntur, fic oftenfio neceffitatem uidetur includere, & magni eft roboris.

Contextus XCIX.

***S**Imul autem manifeftum eft, quod neque locus, neque inane, neque tempus eft extra Cælum, in omni enim loco aptum eft reperiri corpus; Inane autem effe aiunt in quo non reperitur corpus, poteft tamen reperiri; Tempus autem eft numerus motus, qui motus fine Phyfico corpore reperiri non poteft.*

Extra Cælum autem oftenfum eft quod neque eft neque fieri poteft corpus aliquod; ex quo patet, quod neque locus, neque inane, neque tempus eft extra.



X eo quod eft oftenfum extra Cęlum nullum reperiri corpus, nec poffe reperiri, tria modo inferuntur, nimirum, nec locum, nec inane, nec tempus ibi reperiri; non locum, quia in omni loco eft aptum reperiri corpus, ibi nullum eft aptum reperiri corpus, quare nec locus ibi eft.

Non inane, quia illud ftatuentes, dicunt effe locum in quo non reperiatur corpus, fit tamen aptum in eo reperiri. Similiter etiam non reperitur tempus, quia tempus non eft fine motu, nec motus fine Phyfico corpore, quod per oftenfa ibi reperiri non valet.



ANNOTATIONES.



NIMADVERTO Primo, quod extra vsurpatur dupliciter, vel pro differentia loci opposita ei quæ est intra, vt hominum quidam sunt domi, alij extra, vel per negationem adeo, vt non intra, veluti etiam supra & prius, per negationem sumuntur, dum dicimus supra primum mobile aliud non reperiri, & prius tempore non esse tempus, in qua significatione modo vsurpatur. *1. Consideratio.*

Considero secundo, quod Arist. ait extra Cœlum non reperiri inane, pro cuius notitia accipio inanis nomen quattuor denotare; *2. Consideratio.*

Primo, materiam formis nudam, vt elicitur ex 4. Physicorum Contex. 15. *Inane quadruplex.*
Secundo, locum in quo fit corpus parum sensile.
Tertio, locum in quo non reperiatur corpus cuius gratia est paratus, vt crumena sine pecunia dicitur vacua, etiam si esset plena arena.

Quarto, interuallum in quo sit natum recipi corpus, & hoc dupliciter potest excogitari, vel iunctum cum corpore locato, vel ab eo seiunctum Arist. solum concedit inane in secunda & tertia significatione, in alijs id reijcit: nam materiam non putat seruari posse sine forma, & non concedit pro loco interuallum distinctum a dimensione corporum, nec seiunctum, nec cum recepto corpore iunctum; ego de inani late disserui in libro de communibus corporis Physici affectionibus, in quem librum ingenuos reijcio lectores de eius exactiore notitia solicitos.

Considero tertio, inane considerari dupliciter, vel absolute an detur, vt consideratur in quarto Physic. vel cum contractione, num detur extra Cœlum, vt hoc in loco, nam veterum quidam putarunt & extra & intra reperiri, vt Democritus & Epicurus, alij solum extra, non intra Cœlum, vt Stoici, quidam, nec extra, nec intra, vt Peripatetici, qui locum putarunt esse intimam superficiem corporis ambientis, locum autem pro interuallo sumptum nec sine corpore, nec iunctum corpori concesserunt. *3. Consideratio.*

Considero quarto, aduersus opinionem Aristotelis non leues excitari posse difficultates, & a viris sapientibus per pulchras instantias fuisse allatas. *4. Consideratio.*

Nam primo argumentantur Stoici, & præsertim Chrisippus: si homo per imaginationem reperiatur in suprema Cœli parte, & velit manum extendere, vel poterit id facere, vel non, si poterit, reperietur ibi locus inanis, si non poterit, aderit impediens, quod aliud nisi corpus esse non potest. *Dubia primum.*

Consimilem instantiam attulerunt Epicurus, & Lucretius Epicuri asseclа libro secundo, ex arcu & sagitta deprompta, nam vel posset arcu extra Cœlum impelli sagitta, vel non, & deducitur ratio vt prior. *Epicurus.*

Præterea, Cleomedes in suo libro de mundo sic argumentabatur: Si imaginamur mundum ex hoc in alium locum transferri, etiam cogimur infinitum inane imaginari, ex cuius parte una in alteram fiat translatio, & quod ei id non repugnet, ostenditur: quia Arist. in octauo Phys. Contex. 52. ait manente Deo necesse esse manere vniuersum quod ei est continuum, indicans, quod nisi a Deo detineretur, flueret. *2 Dubitatio Cleomedes.*

Heraclitus dicebat mundum vertendum esse in ignem, ac ob id maiorem locum tunc replebit. Insuper, si imaginamur mundum hunc in nihilum redigi, proculdubio interuallum super erit in quo reperiebatur. *Heraclitus.*

At, quod maiorem videtur parere difficultatem est, quia mundus ex sententia Aristotelis non est in loco, cū careat alio ambiente corpore, nec eget loco sum pto pro interuallo, quare erit in nihilo per negationem, quia non eget præcedente loco si ita est in nihilo. *Maior dubitatio.*

Simili-

Similiter, extra hoc Cęlum in nihilo ab eo concesso poterunt alij mundi reperiri; & confirmatur dubitatio: quia Cęlum dicitur faber locorum per maiorem & minorem distantiam ab eo, ac ita in alijs mundis, a distinctis corporibus Cęlestibus varia distinctorum mundorum loca poterunt constitui, non itaque opinio Arist. caret difficultate, sed cum de his in absoluta inanis consideratione exacte verba fecerim, & has cum alijs difficultatibus dissoluerim, nolo solutiones repetere, sed satis sit difficultatem patefecisse pro ingeniorum excitatione.

Contextus C.

PRopterea neque in loco sunt nata esse ea quæ ibi reperiuntur, nec tempus facit ea senescere, neque vllius eorum quæ ibi sunt, hoc est extra extremam ordinata sunt lationem, est vlla transmutatio, sed alterationis, perpeßionisque expertia, prædita vita optima vniuersum Aeuum absoluunt: Nam diuinitus a veteribus hoc nomen enunciatum est, finis enim continens vniuscuiusque vitæ tempus extra quod nil per naturam est, Aeuum vniuscuiusque dictum est. Eadem quoque ratione & finis vniuersi Cæli, & finis continens vniuersum infinitum tempus, & infinitatem Aeuum est, sumpta denominatione a semper esse, immortale & diuinum. Inde & alijs tributum est esse, & viuere, his quidem clarius alijs obscurius, nam vt in circularibus Philosophicis considerationibus de diuinis sæpe declaratum est; necesse est omne primum & supremum, diuinum esse & a permutatione immune. Quod cum ita se habeat, approbatio est eorum quæ dicta sunt, neque enim aliud præstantius est quod moueat, id namque esset diuinius; Neque praui aliquid habet, neque bonorum suorum aliquo eget, & recta ratione perenni motu mouet, cuncta enim quæ mouentur tunc quiescunt cum in proprium locum peruenerint, eius autem corporis quod in orbem fertur idem est locus vnde incipit, & in quem desinit.



EO L V M patefecit extra Philosophus nil esse, modo loquens de illis quæ sunt supra extremam lationem quid denotet, & de quo loquatur non constat, censuit

Alexander. Alexander & cum eo Themistius; loqui de cęlesti corpore quod circumfertur & positum est supra extremã lationem quæ est sphæræ ignis; nam Elementis latio cõpetit, Cœlo autem circumlatio, & maxime probabilis est hæc expositio.

Simplicius. Simplicius vero putat verba fieri de motoribus Cœlorum, & præsertim de primo, nam sermo erat de eo quod est extra Cęlum, ideo cum dicatur (quæ ibi) ea debent intelligi quæ Cœlo dominantur & præsunt, & multa quæ dicuntur longe rectius conueniunt motoribus, & præsertim primo, quam corpori cęlesti, vt patebit.

Opinio propria. Possemus etiam dicere, quod sermo est de connexo ex Cęlo & motore, ideo multa quæ dicuntur sunt vera ex parte motoris, alia vero ex parte mobilis. Puto tamen expositionem Simplicij esse veriorem, quia consueuit Arist. dum de Cęlo loquitur, etiam ad eius motorem eleuari de quo in calce octaui Phys. dixit, quod

quod est in circulo maximo, vbi maxime refulget motus, & in præcedentibus assignans primam Cœli significationem dixit, in orbe supremo Diuinum omne esse positum.

Sequar itaque Simplicium, non neglecto Alexand. Cum itaque Aristo. de corporibus & attinentibus ad ea verba fecisset, vt inchoato sermoni congruentem imponat finem, ad supercœlestem & diuinorum sedem eleuatur ea referēs, quæ motoribus competunt, qui duce Deo Cœlo dominantur & astris, de quib. loquens tria facit, primo ab eis tria remouet, opposita eis tribuens, secundo ea triplici ratione confirmat, tertio colligit, iure mouere æterno motu. *Intentio.* *Diuisio.*

Rediens ad primum, inquit, ea quæ sunt ibi, hoc est, extra Cœlum, de quo erat sermo, quales sunt superi motores, qui mobilibus præsunt; neque in loco apta sunt esse, quia nec sunt corpora, neque ex eis pendent, neque tempus facit ea senescere quod commune est Cœlo & motoribus, primo tamen motoribus competit; tertio neque vllius eorum, quæ sunt super lationem maxime extra est vlla permutatio, hoc Cœlo solum competit, loquendo de permutationibus mortalium & cum interitu, absolute autem solis motoribus, qui etiam absolute sunt supra, & absolute sunt ordinati extra lationem extremā, quæ proprie est ea Cœli, non illa ignis; nam cum Cœli motus sit circumlatio, etiam est latio, quę est genus. Remotis tribus a superis motoribus, opposita eorum eis tribuit, & primo oppositum tertij tanquam proximioris, inquiens, sed alterationis perpessionisque esse expertia, & addens oppositum secundi ait, esse prædita vita optima, ac ita vniuersum æuum absoluere, quod primo competit motoribus & absolute, dici tamen modo aliquo potest etiam de Cœlo; de opposito primi nil dicit, quia per dicta apparet, quod cum sint extra, Cœlo præsunt, nec loco egent, sed supra extimam ordinata sunt lationem. (Nam diuinitus veteribus, &c.)

In hac secunda parte triplici ratione id confirmatur, quod motoribus tributum est, prima sumitur ex nomine æui, quod denotat esse semper, & tribuitur primo motoribus, secundario Cœlo, & ratio ita formatur: Id cui ex propria cōditione absolute competit nomen vniuersi æui, est æternum, & a senio immune, motori Cœlorum primo & absolute id nomen competit, quare &c.

Minor patet concessione ei diuinitus id nomen tribuentium; diuinatio enim non est sine veritate: Maior ostenditur per nominis æui Etymologiā, quæ Græce a semper esse desumpta est, recta autem ratio nominis exposcit, vt conditioni rei respondeat; ac ita explicantur attinentia ad æuum cum particulare tum vniuersale, æuum autem vniuersale primo per essentiam competit Deo, secundo per participationem cęteris motoribus, tertio coniuncto ex eis & Cœlo. (Inde & alijs tributum est esse & viuere, &c.)

Hæc est secunda eiusdem rei confirmatio, & ratio ita formatur; origo & fons ipsius esse & viuere æternum & immortale esse debet, motores Cœlorum absolute, Cœlum per relationem ad mortalia est huiusmodi; quare &c. Minor est conspicua: Maior ostenditur, quia id quod primo, ex se & absolute est tale, semper seruatur tale. (Nam vt in circularibus Philosophicis considerationibus de diuinis. &c.)

Hæc est confirmatio tertia deprompta ex declaratis alibi, & sic formatur: omne diuinum, cum sit primum & supremū, necesse est, vt sit immutabile, ea quæ sunt ibi, & primo Deus, secundo cęteri motores, tertio modo aliquo Cœlum, sunt huiusmodi, quare &c. nam Cœlum saltem est immune a permutatione cum interitu: Minor vt nota prætermittitur; maior est ostendenda, & ait ostensam esse in circularibus considerationibus, quam ostensionem refert, quæ depromitur ex conditione cum motoris, tum mobilis. Ex conditione quidem motoris, quia motor est præstantior & potentior mobili, supremo nil præstantius; ex cōditione autem mobilis, quia omne quod mouetur vel mouetur quatenus incidit aliquid praui a quo liberari debeat, vel bono aliquo eget quod sit aptum assequi.

Primum nunquam est perperam affectum, nec eget bonis suis, cum sit ipsum

bonum,

bonum,& ex fe bonum, & origo boni aliorum, quare a mutatione eft immune; hoc primo & proprie verum eft de motore, de quo etiam abfolute dicitur effe diuinum,de Cęlo autem minus proprie, vt dixi. (Et recta ratione perenni motu mouet,&c.)

Hæc eft pars tertia,in qua cum patefeciffet id,de quo eft fermo,non moueri, infert mouere femper, veluti cecinit Boetius, ftabilifque manens dat cuncta mouere. Nam, vt oftenditur in octauo Phyficorum, motor femper mouens debet effe immobilis, & cum ratio fumpta ex morore iam ex eo pateat, quia nō mouetur,rationem affert ex mobili deprompram,maxime ad hunc librum pertinentem;& eft,quia mouet id mobile,quod mouetur in orbem. & mouetur vt moueatur,non vt rendat in fuum locum in quo requiefcat, vt Elementa: nam femper in fuo loco eft, cuius vbique idem eft principium & finis. In meo Græco codice legitur, quod iure perenni motu mouet, quod folum de motore verum eft; Simplicius legebat mouetur,vt forte legebatur ab Alexandro, & retulit hanc verbi huius varietatem.

ANNOTATIONES.

1. Confideratio. Sedes motorum Cęli.



ONSIDERO primo,quod cum præfertim probabile fit,fermonem effe de motoribus Cęlorum,& præfertim de primo, quod illi dicuntur effe in terminis;in fede fupercælefti & extra Cęlum, fumendo extra per negationem, quia terminis corporum non coercentur, præfunt Cęlo, eique denominātut, foluti funt, non cum corpore ligati, nec corpori immerfi, non pendent ex corpore, fed corpus ex eis, & demum quia continent corpora non continentur ab eis: veluti Arift. in primo de anima ait, quod magis anima continet corpus, quā corpus animam; quod cum verum fit de anima, longe verius iudicari debet de motore Cęli, ex quo pendet Cęlum & vniuerfa natura.

2. Confideratio. Plato. Conditio feparatorum.

Confidero fecundo, quod fermo hic de fede fupercælefti, confimilis eft his, quæ apud Platonem leguntur;nam in 2. de legibus,ratione fimillima ei,qua modo eft vfus Arift. oftenditur a Platone, primum & optimum non poffe permutari: in Phędro autem præter cætera hæc leguntur; Locum fupercæleftem neque quifquā noftrorum Poetarū adhuc fatis laudauit, nec vnquam pro dignitate laudabit, fe autem haber hunc in modum; (audendum eft enim verum dicere, præfertim de veritate loquenti;) funt fine colore,fine figura,fine tactu, vere effentia exiftens, ibi anima fola mente contemplante vtitur, circa quam veræ fciētiæ genus hunc habet locum &c. Mitto varia fcitu digna quæ de fupercælefti fede a Platone dicuntur.

3. Confideratio. Aeui nomen diuinitus enunciatum.

Confidero tertio,quod Arift. ait,diuinitus a veteribus nomen æui fuiffe enunciatum, perpendere tenemur quomodo per principia Arift. contingere poffit, vt diuinius ab hominibus aliquid fiet,vel proferatur; & breuibus dico, æui nomen fuiffe enunciatum diuinitus primo, quia diuinis congruit, fecundo, quia per communem naturæ hominum inftinctum eft formatum; Natura enim ex Deo pēdet,& in libro de diuinatione dicitur,non diuina fed dęmonica, hoc eft, miniftra Dei & diuina ratione dirigentis,hinc vox populi, dicitur vox Dei: tertio,quia id nomen a mente eft formatum eleuata fupra naturam, quæ cum proxime pendeat ex ipfo bono & vero,ad bonum & verum fui conditione eft facilis & procliuis; hinc etiam id nomen dicitur formatum a veteribus, hoc eft, a viris fapientibus;vetuftas,ante dicebat Plato, iudicatur proxima Dijs,& cū fuerit formatum a veteribus, indicatur hominum longa fucceffione fuiffe approbatum.

4. Confideratio.

Quarto loco occurrunt confideranda attinentia ad æuum; & pro exactiore

notitia,

notitia, quia æuum dicitur mensura, a declaratione mensurarum ordiar. Mensura dicitur rei mensuratæ mensura, eorum quæ mensurantur prima est essentia rerum, ex Deo pendentium, quarum perfectio mensuratur per recessum a non gradu: contra vero diminutio & imperfectio per recessum a supremo, nimirum a Deo; nisi absolute saltem, vt aptus est imitari & participari: sic dicitur quod ab eo cunctis tributum est esse, his clarius, alijs obscurius, denotando gradus recessus & accessus.

Secundo reperiuntur quanta discreta, quæ numero & vnitate eius principio mensurantur.

Tertio dantur pondera, quorum mensura est pondus quoddam sensu minimum, vt vncia, vel aliud minus.

Quarto reperitur ordo partium vniuersi & positio earum secundum naturam, cuius mensura est locus per naturam eis competens.

Quinto reperitur continuata dimensio, cuius mensura est pes, palmus, digitus & granum.

Sexto datur mora & conseruatio rei, cuius quatuor dicuntur mensuræ, æternitas, æuum, tempus, momentum, at momentum non proprie est mensura, vt neque etiam punctum; nam mensura est rei quantæ, & sui iteratione debet eam constituere.

At cæteris mensuris dimissis de hac sexta nunc quinta consideratione loquamur, pro cuius distincta notitia animaduertendum, quod mensuræ perdurationis & moræ ob varietatem eorum, quibus tribuuntur, tres statuuntur, æternitas, æuum & tempus. Aeternitas & æuum idem denotant, nam significant esse semper: hine apud Platonem & Arist. in idem rediguntur, solum distinguūtur, quia æternitas est nomen abstractum, æuum cōcretum, quod ei redderetur similius, si diceretur æuitas; vtraque enim ea nomina significant esse semper. *5. Consideratio. Mensura moræ.*

Theologi scholastici distinguunt æternitatem ab æuo, nam æternitatem tribuunt Deo, in quo nulla varietas & permutatio locum habet; æuum tribuunt angelis, quibus competit initium ipsius esse & varietas actionis, conseruatio tamen æterna essentiæ: Et quamuis æternitas & æuum idem denotent, & vox vna sit Græca, altera Latina, tamen Deo rectius tribuitur æternitas, quia est vox abstracta, & Deus potius est ipsa æternitas, quam æternus. Aeternitas definitur a Platone in Timeo, quod sit perduratio in vnitate manens, cuius æterna & numero fluens imago sit tempus: a Plotino in libro de æternitate dicitur vita infinita tota simul; a Boetio in libro de consolatione, quod sit vitæ termino carentis tota simul & perfecta possessio. *Theologi.* *Aeternitas.*

Hæc sunt vera etiam de æuo, vt in idem venit cum æternitate; at quatenus ab ea distinguitur, dicitur competere rebus, quæ seruantur secundum essentiam, variātur secundum actionem, & prædita sunt principio, carent fine, quales sunt angeli ex Theologorum sententia. Sequitur deinde tempus, quo mensuratur subiecta motui, & ortui ac interitui; Cœlum potius dicitur esse vna cum tempore, quam ei subiectum.

At redeundo ad æuum vniuerse sumptum denotans etiam æternitatem, vt in hoc Cont. sumitur ab Arist. hoc æuum vel est vniuersum & absolutum, vel contractum & in parte: Si fuerit absolutum, vel est cum tempore iunctum quale est æuum Cœli & mundi, vel supra tempus eleuatum, & hoc est duplex, vel primum absolute, sic 12. Metaphysicæ 39. Aristo. æuum tribuit Deo & ait, esse ipsum æuum, vel est pendens ex alio & participatum, quale est æuum cæterorum Cœli motorum. Ex aduerso si fuerit æuum in parte, hoc competit indiuiduis mortalibus, quæ vel considerantur vt signata & definita, sic indiuidua eiusdem speciei sunt prædita distinctis æuis ratione varietatis temperamentorum, vel considerantur indefinite vt sunt variarum specierum, inspiciendo id quod est maximum eius speciei; sic dicimus æuum ceruorum esse longius eo canum, & æuum hominum esse centum annorum, hoc indiuiduis mortalibus tribuitur esse semper cum contractione, hoc est, vniuerso vitæ suæ cursu; Sic dicimus Ale- *Aeuum.*

Quibus magis proprie competat æuum. xandrum semper fuisse fortunatum; Considerando autem quibus mortalium magis proprie competat hoc æuum in parte, nam de æuo absolute ex dictis patet, dico magis proprie competere substantijs, & præsertim viuentibus; nam ex proprijs & internis principijs habent, vt vel longius vel breuius seruentur; Secundario & minus proprie competit accidentibus permanentibus, quæ ex internis sui subiecti principijs habent, vt vel magis vel minus seruentur; sic dicimus æuum colorum esse diuturnius eo odorum. Accidenti fluenti, siue potius fluxui, veluti motui proprium æuum non competit, quia ex alio habent vt sint *Auer.* & seruentur, nimirum ex motore & mobili: hinc recte dixit Auer. in 12. Metaphysicæ 49. quod quamuis motui opponatur quies, potest tamen ab alio seruari æternus; hinc perperam a Balduino carpitur.

5. Consideratio. Circumscriptiones æui. Consideremus quinto circumscriptiones æui ab Arist. traditas; circumscribitur primo æuum particulare, tanquam nobis proximius & notius, quod sit finis continens vniuscuiusque vitæ tempus, extra quod per naturam nihil est; dicitur finis, quia est terminus & mensura continens intra suos terminos mensuratum, nimirum tempus & moram vniuscuiusque: nam æuum tempore superaddit mensuram, extra quam per naturam nihil est, & additur per naturam, quia intra proprij æui terminum multa desinere possunt, veluti homines multi, qui vel gladio, vel nimio cibo, vel alijs consimilibus pereunt, & qui eum terminum transeunt, si id contingere potest, dicuntur seruari arte, veluti id facere pollicentur, qui libros scripserunt de vita cęlitus proroganda, vt Marsilius Ficinus, vel arte alia: primi dicuntur perire non fato, vt de Didone cecinit Virgilius; Sed quia nec fato, merita nec morte peribat.

Alijdicunt superare; & vincere fatum termini æui mortalium ex temperamento eorum prodenut.

Circumscripto æuo mortalium circumscribitur æuum vniuersi, quod & Deo, secundis motoribus Cœli, & vniuerso Cœlo distinctis gradibus competit, vt patefeci, & quia vt competit Cœlo est notius, ab eo orditur inquiens, huiusmodi æuum vniuersale esse finem & mensuram Cœli, & continere tempus infinitum cum motu iunctum, & infinitudinem, quod competit Deo, qui potius est æternitas quam æternus & potius est ipsum æuum, quam æuo præditus. Aeuum absolute denotat esse semper absolute, qualia sunt æterna, quę etiam dicuntur im-

Aeui nomē ab vno. mortalia, quia viuunt, vt Cœlum & Diuina, vt abiuncti motores. Nomen æui de relatis dictum non vniuocum nec æquiuocū est, sed ab vno; ideo Arist. ait eadem ratione &c.

6. Consideratio. Considero sexto id, quod ex vniuerso æuo competente immortalibus & diuinis elicit Arist. inquiens, (inde alijs tributum est esse, & viuere, his clarius alijs obscurius) quod absolute & primo verum est de Deo, secundario de Cœlo: sic Deus Sol & homo generant hominem; effectus primarum causarum sunt esse, viuere & intelligere, esse est fundamentum, quod absolute ex solo Deo prodit, quia ille solus est per suam essentiam, cæteræ causæ semper supponunt aliquod esse; viuere ex Cęlo viuente duci potest; Intelligere autem ex solo Deo, ex quo solo pendet mens hominis, cuncta tamen ex Deo pendentia in duo capita ab Aristotile relata rediguntur, quæ sunt esse & viuere, cuius vitæ varij sunt gradus.

7. Consideratio. Septimo considero, quod Arist. ostensurus ea, quæ sunt supra lationem supremam, rationem format, quam sæpe ait fuisse prolatam in circularibus philosophicis rationibus circa diuina, Græce ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις φιλοσοφήμασι: at quos libros denotet non constat, & sententiæ sunt variæ, & pro notitia referenda sunt

Genera sermonū Arist. genera sermonum Aristotelis. Legitur in octauo Topicorum in constitutione loci 82. quatuor esse genera rationum ita ab Aristot. prolata & explicata: Philosophema est syllogismus dialecticus, sophisma syllogismus contentiosus, Aporema syllogismus dialecticus contradictionis, ex quo patet quid sit Philosophema, cuius modo fit mentio. Huiusmodi autem sermones & rationes vel solum fuerunt prolatæ non scriptæ, hinc prodit genus non scriptorum sermonum, de quo alibi fit mentio, vel fuerunt litteris traditæ, & hæ vel scriptæ fuerunt cum forma

forma dialogi vt Eudemus, vel per modum docendi & absolute suam sententiam patefaciendi, vt libri auscultatorij,& hi vel sine ordine partium cum reductione opinionum & sententiarum ad propria capita memoriæ gratia & dicuntur ypomnimatici, quorum fit mentio in primo Topicorum cap. 12. vel sunt sermones syntagmatici, & in ordinem redacti;& hi vel includunt vniuersam aliquam scientiam vt libri Logicæ & Philosophiæ inspectricis, vel sunt de parte aliqua seorsum vt de Deo & similibus.

Hæc sunt capita sermonum Arist. perpendendum est modo, quos denotauerit per circulares; & profecto facilius est noscere quos non denotauerit, quam quos denotauerit: nam primo ex verbis Philosophi elicio, perperam nonnullos putare, denotari particularem aliquem librum, quia in eodem libro non sæpe de eodem eadem formatur ostensio, vt Arist. ait, sæpe fuisse ostensum. Elicio secundo minus recte putasse Lucillum denotari sophismata in circulis facta; nam Philosophema, vt apparuit, est genus distinctum a sophismate, nec per sophismata ostenduntur ea, quæ attinent ad diuina. Elicio tertio, non esse approbandam opinionē Ferrerij putantis, denotari disputationes dialecticas,& per sidialogū prolatas, quia hoc etiam est genus a Philosophemate distinctum; consimili ratione non valuit denotare disciplinas, quæ vulgo artes liberales nuncupantur; illæ enim non proprie in diuinis versantur, formando de illis ostensiones.

Propterea putarem ego, probabilius esse asserere, denotari ostensiuos sermones non scriptos, quorum sententiæ circumferebantur, vel libros de aliqua definita materia seorsum formatos, solutos & distinctos, vt de Deo, de mundo ad Alexandrum, & similes, qui circulares dici possunt, quatenus soluti circunferuntur: sic in libro de mundo ad Alexandrum ostenditur, Deum moueri non posse. De re hac nil certi dicere valemus, propterea sit satis hæc probabiliter retulisse: in his itaque qualescunque sint, ait sæpe rationibus fuisse ostensum, primum & diuinum moueri non posse, nam vt primum non habet aliud eo superius, & potentius, vt diuinum est a deprauatione & indigentia immune.

Dubitatio, an mundus sit vnus, in calce libri cumulate explicabitur.

Contextus CI.

His autem determinatis dicamus post hæc, num genitus sit, vel ingenitus, corruptibilis, vel incorruptibilis percurrentes primo opiniones aliorum, nam ostensiones contrariorum sunt dubitationes de oppositis, simul etiam ea, quæ sunt dicenda, reddentur credibiliora, auditis primo solutionibus rationum, quæ dubitationem pariunt, & minus videbimur gratis condemnari; oportet enim eos, qui iudicaturi sunt indagatores, non aduersarios esse.





RISTOTILES, in his libris disputaturus de mundo vt consurgit ex ordine simplicium corporum, tenebatur primo saltem confuse numerum eorum patefacere, & præsertim aduersus veteres ostendere, Cœlum esse distinctum a quatuor Elementis, & esse immune a permutationibus, quæ sunt cum interitu: nam per Cœlum multa competunt mundo mox explicanda, quo patefacto reiecit a mundo infinitum mole, mox multitudinem, nunc tertio inquirendum proponit, an sit ortui & interitui obnoxius.

Diuiditur præsens Context. in tres partes, in prima manifestatur intentio, in secunda ordo seruandus, in tertia affertur ratio ordinis.

Intentio est inquirere, an mundus ab ortu & interitu sit immunis; Ordo seruandus est, vt primo referantur aliorum sententiæ & ostendatur eas cum vero pugnare: Ratio huius ordinis triplex est, prima elicitur ex conditione ostensionis & rei de qua agitur, nam vt dicitur in tertio Metaphys. indagantibus veritatem operę precium est primo bene dubitare, nam præter id quod excitantur ingenia, etiam patefiunt fundamenta aduersarum opinionum, quæ nostræ aduersantur, ideo euersionem eorum sequitur solutio rationum cum nostra opinione pugnantium, secunda ratio sumitur ex auditore, quia ita euersione appositarum rationum firmiorem opinioni nostræ adhibent fidem.

Tertia elicitur ex conditione sinceri iudicis, qui ab omni animi perturbatione debet esse immunis, ne ab eis obumbretur & distrahatur a recto.

ANNOTATIONES.



1. *Consideratio.* *Dubitatio.* OCCVRRIT Primo dubitatio, quia Plato in Timeo ait de mundo primo esse considerandum, an sit genitus; Arist. id facit vltimo, quare alter eorum errat.

Solutio. Soluitur Primo, quia dum vnum non est necessarium pro notitia alterius, possumus ab alterutro eorum sine errore ordiri.

Addo Secundo, quod ob varietatem opinionnm, & intentionum tenemur sæpe mutare ordinem. Putauit Plato Cœlum ex eminentiis Elementorum, & præsertim ex igne constare, ideo non tenebatur primo eius varietatem patefacere, vt tenebatur Arist. Insuper, putauit esse genitum, ideo primo de eius generatione tenebatur loqui, Arist. fuit aduersæ opinionis, ideo vt paratior ad hoc accederet, debuit primo alia patefacere.

2. *Dubitatio.* At secundo loco occurrit dubitatio quia Arist. videtur redundans, iam enim in octauo Physicorum, & sub initio huius libri patefecit Cœlum esse immune ab ortu & interitu, quare modo de re iam explicata inaniter proponit agendum.

Solutio. Soluitur dubitatio, quia nos docet Aristot. in primo posteriorum nunquam exacte nosci affectionē quousque de adæquato subiecto non fuerit ostensa, subiectum autem affectionis indagandæ est mundus nec est absurdum distincta relatione pluries de eodem loqui. Aristor. in octauo Physicorum patefecit æternitatem Cœli per relationem ad motum æternum, sub initio huius libri id fecit, vt pateret discrimen Cœli ab Elementis, modo vero id ostenditur de mundo vt de adæquato subiecto; Competit æternitas Deo, vt origini, Cœlo, vt primæ parti; mundo, vt proprio & adæquato subiecto, ideo recto ordine & sine redundantia de hoc verba facit.

3. *Dubitatio.* Tertio dubitandum occurrit, quia Arist. in primo Topicorum ait Problema, an mundus sit æternus, esse Dialecticum & neutrum, & tanquam tale iudicatum

rum fuit a Platone, qui nunquam ausus est constanter asseuerare num fuerit semper, vel non, sed solum vel quod fuerit semper vel infinito quodam ante nos tempore; Sic Galenus Platonem sequens dixit esse Problema Dialecticum, quare perperam Arist. tanquam de affectione ad ostensionem attinente proponit inquirendum, an mundus sit genitus.

Soluitur dubitatio primo per instantiam, quia hoc dicitur Problema Dialecticum, quatenus difficile est ostensione exacta resolui: at dum per necessaria ostenditur & superatur ea difficultas, vt se superasse falso putauit Arist. non amplius dialecticum est.

Secundo soluitur per concessionem: quia non omnia considerata in scientijs ostensiua ratione demonstrantur, sed nonnulla solum per probabilia declarantur, & eis tenemur esse contenti si exactius ostendi non possunt, vt de attinentibus ad Cœlum se habere in secundo lib. de Cœlo ait Arist. Sic in Metaphysicis solum probabiliter multa declarantur, vt Auer. & Scotus affirmatunt, nuncupantur tamen scientiæ, quia de nonnullis in eis formatur ostensio.

Considero quarto, quod relatio opinionis aliorum varias præbet vtilitates, quæ primo sumuntur ex natura & conditione rei & ostensionis, vt pateat dubitatio & constet quid præsertim sit considerandum, appareantque rationes aduersæ & diluantur. *4. Consideratio. Vtilitas ex notitia uaria rum opinionum.*

Secundo, ex conditione auditoris vt firmius credat & constantius nostræ opinioni adhæreat, opposita enim iuxta se posita magis refulgent.

Tertio, ex conditione docentis & iudicantis, nam excitamur & ad indagandam veritatem paramur, abundamus principijs varijs ad id conferentibus, reddimur iudices æqui, suasi non affectione, sed sola ratione, videmur accurati & non iudices leues, non audita parte, insuper dirigimur noscendo quid non sit, ad noscendum quid sit, quas vtilitates etiam refert Arist. in a. libro.

Considero quinto, quod opiniones aliorum Arist. consueuit referre nonnunquam ante relationem propriæ, vt hoc in loco; & id confert ad excitandum parandum & purgandum animos, & præsertim id seruat, dum inspectio veritatis est obscurior; nonnunquam eas refert posterius ad confirmandum, & dum veritas est clarior. *5. Consideratio.*

Contextus CII.

GEnitum igitur omnes esse dicunt, at cum omnes statuant illum genitum, nonnulli inquiunt seruari æternum, alij interitui obnoxium, vt quodcunque aliorum natura constantium, nonnulli inquiunt vicissim quandoque quidem sic, quandoque secus se habere & interire, quam reciprocationem semper aiunt seruari, vt putarunt Empedoclis Agrigentinus, & Heraclitus Ephesius, putare gigni & seruari æternum ex eorum est numero quæ fieri nequeunt; nam ea sola cum ratione sunt statuenda, quæ vel in pluribus vel in omnibus seruari inspicimus: de hoc autem contra se habet, cuncta enim quæ gignuntur etiam inspiciuntur interire.

Intentio.
Diuisio.



ERVAT Arist. id quod est pollicitus, referens primo opiniones aliorum. Diuiditur contextus in duas partes, in prima referuntur capita opinionum, in altera reijcitur ea Platonis vna ratione; Quod pertinet ad primam partem, ait veteres de hoc consentire quod mundus sit genitus, dissentire vero quia nonnulli aiunt illum non interiturum vt Plato; Alij interiturum, & hoc euenire vel in distinctis numero, vt Democritus & Leucippus, vel in eodem numero, cum mutua reciprocatione. (Putare gigni, & seruari æternũ, &c.) In hac secunda parte formatur ratio prima aduersus opinionem Platonis primo relatam, & hæc est, id est approbandum quod vel in omnibus vel in pluribus seruari inspicimus.

Quod aliquid gignatur, & non pereat in nullo seruari inspicimus, quare hoc reprobandum est, non approbandum.

ANNOTATIONES.



1. Consideratio.
Dubitatio.

RISTOTILES retulit consensionem & dissensionem opinionum veterum Philosophorum de mundi ortu & interitu.

Quod pertinet ad consensionem ea videtur dubia, cum dicat omnes putasse genitum: nam in primo meteorum legitur a veteribus Cœlum nuncupatum fuisse Aether, ab æterno cursu; & in primo cap. huius libri dicitur, veteres putasse Cœlum locum Deorum, æternum æterno aptantes: Similiter de Chaldeis dicitur, quod putarunt mundum ingenitum.

Solutio. Soluitur dubitatio per id quod dicitur ab Arist. in primo meteorum, quod opiniones hominum cursu temporum infinities pereunt & innouantur ex vetustioribus quorum memoria deleta est, & solum inditia quædam seruata, nonnulli putarunt ingenitum: At illi quorum opiniones tempore Aristotelis circunferebantur, & frequenter ab eo referuntur, putarunt genitum.

2. Consideratio. Considero secundo, quod Arist. ait ea esse approbanda, quæ vel in omnibus, vel in pluribus seruari inspicimus, cuius enunciationis veritas duplici nititur fundamento.

Primum est, quia omnis nostra humana cognitio ortum ducit a sensu, & dũ sensus opem non subministrat, non valemus Philosophari.


Alterum est, quia natura semper eadem est, & consimiliter operatur, nisi ex accidenti impediatur; hinc est æqua mater, & vel semper, vel frequenter consimilis refulget; ex accidenti autem nil perire dicitur: quia omne mortale necessario perit, vt apparet ex nono Metaphysicæ.

3. Consideratio. Considero tertio, quod Auerro. referens opinionem Anaxagoræ statuentis Chaum, & dicentis mundum ex eo gigni, conspicue secum pugnat, nam hoc *Controuersia in Auer.* in loco, & in octauo Phys. Contex. 2. ait illum putasse genitum & interiturum adeo, vt omnino nil ex eo supersit. In primo autem Phys. 32. ei tribuit putasse nunquam finem habiturum. Zimara laborauit pro diluenda controuersia, sed re vera eam magis implicauit, ait primo, forte nomen Anaxagoræ fuisse mutatum, quod non est dicendum, quia semper de eodem Anaxagora est sermo. Addit secundo, quod forte indicauit permansurum semper specie, variari numero, & vtrunque est falsum: quia censuit seruari semper, non sola specie, sed numero: quia separationi ex Chao non potest imponi finis, & vt ait Simplicius, nullus Philosophorum putauit mundum ita interiturum vt alius non re-*Simplicius.* ficiatur.

Solutio. Propterea ex Eudemo veriorem solutionem eliciendam puto, qui referente Simpli-

Simplicio in octauo Phys. 14. accusauit Anaxagoram quia patefecit ortum mundi, & prætermisit declarare quomodo seruaretur, vel deficeret, ex quo elicio Anaxagoram de interitu nil certi protulisse. Hinc Auer: nonnunquam sequens rationem quod genitum sit, mortale ei tribuit quod putarit interiturum, vt hoc in loco. Nonnunquam id considerans, quod putarit mixtionem in Chao esse infinitorum, & quod separationi eorum non potest imponi finis, vt in primo Physicorum, dixit permansurum, & fore semper.

Considero quarto, opiniones loquentium de mundi ortu & interitu (quarum cognitus est satis vtilis) in ordinem hunc in modum redigendas puto. 4. *Consideratio.*



Quod mundus ita pereat vt nil interitum eius sequatur nemo Philosophorum dixit, vt ait Simplicius.

Opinio vera nostris Theologis supero lumine patefacta est, quod mundus sit genitus, nō per naturā sed a Deo per creationem, & quod interire debeat, ita tamen, vt potius motus quā eius essentia pereat & ita intereat vt interitus sit eius expurgatio & perfectio.

Contextus CIII.

PRæterea quod nō hēt principiū vt sic se habeat sed fieri nequit vt secus se habeat prius per omne æuum, fieri nō pōt vt permutetur: nam adiret causa aliqua, quæ si prius fuisset, potuisset secus se habere id quod secus se habere nequit; si aūt prius ex his quæ secus se habebant cōstitutus est mundus, si semper ita se habebant, nec poterant secus se habere, profecto factus non fuisset, si autem est factus, necesse est & illa potuisse secus se habere, & non semper sic se habere. Quare & coniuncta dissoluuntur & dissoluta erant prius coniuncta, & hoc infinities, vel ita se habet vel potuit ita se habere, si autem hoc, profecto non erit incorruptibilis, neque si secus aliquando se habuit, nec si fieri potest vt secus se habeat.

HAEC

Ratio 2.



AEC est ostensio secunda aduersus opinionem Platonis, quæ ex materia & eius conditione elicitur, & ita formatur. Cum mundus constet ex vniuersa materia, & omne quod gignitur materiam præcurrentem exposcat, quæro de materia ex qua mundus est productus, vel potuit secus se habere, quam ante mundi constitutionem se habebat, vel non; si non potuit secus se habere, & variari, non valuisset mundus ex ea gigni; cum autem ex ea statuatur a Platone genitus, est necesse vt valuerit secus se habere, quare eius conditio erit vt variari valeat, ob quam conditionem & prius infinities fuit mundus ex ea genitus, & in eam resolutus; similiter, tempore futuro infinities idipsum fiet, vt Empedocles & Heraclitus existimarunt.

ANNOTATIONES.

1. Consideratio.



ONSIDERO primo, quod cum per materiam res fiunt, per formam sint, iure optimo Aristo. loquens de mundi ortu & interitu, ex materiæ conditione rationẽ elicit, & ex verbis Platonis occasionẽ deprompsit qui in Timeo loquens de mundi ortu, ait: Quicquid erat quod sub cernendi sensum cadere posset, assumpsit, nõ tranquillum & quietum, sed temere agitatũ & fluens, idque ex inordinata iactatione redegit in ordinem.

Ex quo patet, quod Plato mundum censuit constare ex vniuersa materia, & eam concessit posse secus se habere, ex quo Arist. infert, quod cum sit genitus, etiam interibit; nam genitum & mortale inuicem reciprocantur.

2. Consideratio. Considero secundo, ex ratione qua vtitur Arist. conspicue elici materiam Cœli distingui a materia mortalium: nam cum Aristo. ita argumentabor. Materia Cœli vel potest secus se habere ac modo se habeat, vel non, si potest, Cœlum esset mortale, quod negat Arist. si non potest, igitur distinguitur a materia mortalium, cuius conditio est, vt secus se habere valeat.

Nec obest euasio Aegidij, dicentis quod Cœlum seruatur æternum munere formæ eius, explentis vniuersum appetitum materiæ; quæ euasio est inanis, tum quia per formam non variatur conditio materiæ, tum insuper, quia similiter pro Platone solueretur ratio Arist. dicendo mundum non interiturum ob formæ mundi præstantiam explentis vniuersum appetitum materiæ eius.

3. Consideratio. Considero tertio, quod forte cõsimilis ratio poterit formari aduersus Arist. de mundo Elementari & eius ordine: nam vel potest secus se habere, vel non, *Dubitatio.* quod non possit, est falsum: quia eius materia mutationi est obnoxia, si potest secus se habere, igitur mundus Elementaris & ordinatum ex Elementis multoties est constitutum & dissoluetur, & confirmatur: quia ex sententia Platonis mundus vniuersus ex alio non constat, quam ex quattuor Elementis, quare eadem est ratio de mundo Elementari apud Aristo. quæ est de mundo toto apud Platonem.

Solutio. Respondeo, ordinatum ex quattuor Elementis ex sententia Arist. dum consideratur secundum totum, non potest secus se habere, quia seruatur a Cœlo a primo motore, a propensione quattuor Elementorum, & a materia ob cuius conditionem interitus vnius, est generatio alterius; at secundum partes potest secus se habere & ita partes eius infinities variantur.

Hoc ex sententia Platonis dicere non valemus, quia ipse secundum totum di*4. Consideratio.* cebat posse secus se habere, & quattuor Elementa prius caruisse hoc ordine.

Considero quarto, putasse nonnullos ex ratione Arist. contra Platonem pos-

se

fe elici etiam fecundum naturam dari posse resurrectionem mortuorum, hunc in modum.

Constituentia, gratia exempli; Alcibiadem, vel poterant prius secus se habere, vel non, si non poterant, non fuisset ex eis constitutus Alcibiades, si poterāt, igitur ex eis dissolutis componetur iterum, & sic infinities; & præsertim, quia mens hominis immortalis post dissolutionem seruatur.

At hi errant, & nimia sua pietate se impios patefaciunt, nam cupientes eleuare resurrectionē, eam deprimunt quatenus illam nituntur ostendere per naturam posse fieri, cum tamen per absolutam solam Dei potentiam supra naturam eleuatam fieri possit: hinc numeratur inter articulos fidei, qui sunt essentia rerū sperandarum argumento non apparentium.

Ratio eorum facile soluitur: nam inquiunt, vel materia Alcibiadis potest secus se habere, vel non: dico, quod potest, sed ita, vt eandem numero formam recipere non valeat, quia iam potentia ad eam perijt, solum poterit recipere aliā saltem numero distinctam, & quamuis mens Alcibiadis sit superstes, nil prodest, quia ea exposcit nedum materiam primam, sed etiam proximam ex Elemētis conflatam, quæ variata est, similiter de mundo loquendo, si periret & reficeretur, variaretur numero, vt etiam variantur partes Elementorum, & solum reficerentur & rediret idem specie. *Solutio.*

Credo itaque resurrectionem mortuorū, at dico id fore opus omnipotentis Dei, non naturæ.

Contextus CIIII. CV. & CVI.

AVxilium autem quod sibimet ferre nituntur quidam, dicentium mundum factum quidem, incorruptibilem tamen esse, verum non est, inquiunt enim perinde se habere de mundi generatione, ac de designationibus, non quia mundus aliquando sit genitus, sed docendi gratia, vt inspicientes quasi designationem eius magis intelligant.

At hoc non est idem ei quod dicimus; nam in efficiendis designationibus si omnes supponantur esse simul, idem euenit; in horum vero ostensionibus non idem: nam id fieri nequit, assumpta enim prius & posterius subcontraria sunt, nam inquiunt ex prius inordinatis fieri mox ordinatum; quod autem idem simul & inordinatum & ordinatum sit, fieri nequit, sed necesse est mediare generationem & tempus in designationibus autem nil tempore seiunctum est. Quod itaque fieri nequeat vt idem simul æternum sit & genitum, manifestum est.



VPLICI ratione reiecta opinione Platonis, quia nōnulli sequentium Platonem nitebantur rationes ei aduersas diluere.

Ideo intentio Aristot. modo est eorum solutiones reijcere. *Intentio.*

Diuiditur Context. in duas partes, in prima refertur eorum solutio, in altera reijcitur. Quod pertinet ad partem primam, indicat Aristo. nonnullos putasse ex opinione Platonis mundum non in aliquo temporis principio fuisse genitum, sed fuisse semper, loquuntum tamen fuisse Platonem de eius generatione clarioris doctrinæ gratia, vt pateret ordo originis partium eius ex quibus est cōstitutus, quod exemplo Geometrarum *Diuisio.*

rum manifestabat, qui declaraturi Geometricas figuras, veluti quadratum, lineas mente conceptas ducunt, ex eisque in pagina figuras constituunt, quasi tūc genitas, cum tamen earum conditio semper fuerit talis, veluti etiam legitur in primo Posteriorum, quod Geometræ non decipiuntur dum lineam ducentes inquiunt esse rectam & vnius pedis, cum tamen non sit talis: quia nō de illa formant Ostensionem, sed de mente concepta denotata per illam. (At hoc non est idem ei quod dicimus, &c.)

In hac Secunda parte ea euasio manifestatur inanis, quia ea quæ sunt opposita, non possunt simul tempore eidem conuenire, sed egent tempore medio secernente.

Ea quæ Plato tribuit materiæ mundi, sunt opposita & inuicem pugnantia, ideo non possunt simul tempore ei conuenire. Minor patet per verba Platonis, dicētis mundi opificem assumpsisse materiam mundi non tranquillam & quietam, sed temere agitatam & fluctuantem, eamque ex inordinata iactatione redegisse in ordinem; at inordinatum & temere agitatum, pugnat cum ordinato, & tranquille ac secundum naturam moto.

De Geometris ducentibus in pagina lineas, non sic se habet, illi enim mente eas concipiunt & consimiliter mente conceptis eas ducunt, adeo, vt per simile patefaciunt simile, non autem aiunt lineis illis prius opposita conuenisse.

ANNOTATIONES.

1 Consideratio. 

ONSIDERO primo de omni oppositionis genere, hoc verum esse, quod opposita nequeunt simul tempore eidem cōuenire, sed mutuo se ex eodem subiecto expellere, non alia ratione, nisi quia sunt opposita.

Ea quæ Plato pro mundi ortu tribuebat materiæ, ab Arist. dicuntur subcontraria; nam proprie contraria nō sunt sed potius opposita per priuationem & habitum, veluti ordinatum & inordinatū, vel oppositione simili contrarietate vt fluctuans & temere agitatum opponitur tranquille moto; proprie autem contrarij sunt motus secundum naturam, & contra naturam; ante mundi ortum non poterant Elementa vere contra naturam & violentia moueri, quia non erant adepta naturam propriam, nec apta secundnm eam moueri.

Sic Aristo. in 3. libro de Cœlo disputans contra Platonem, nititur ostendere Elementa ante mundi ortum non valuisse inordinate moueri & agitari.

2. Consideratio. Considero secundo, quod viri sapientia celebres non consenserunt de ortu mundi ex sententia Platonis, nam de interitu conspicue ait Plato in Timeo, *Sententia Platonis de mundi ortu.* quod Dei voluntate seruabitur æternus; at de ortu summopere dissentiunt: nam Proclus, Plotinus, Iamblicus, Syrianus, Numenius, Zenocrates, Speusippus, & celebriores Academici aiunt Platonem putasse mundum fuisse semper, loquutum *Opinio 1.* tamen fuisse de eius ortu triplici de causa; vel clarioris explicationis gratia, vt clarius pateret ex quibus principijs & quo ordine esset constitutus, qua de re modo Arist. est loquutus. Vel vt pateret quid mundo competat per materiam, & quid munere opificis: nam priuationes & deprauationes ex materia prodeūt vel tertio, vt præsertim ait Simplicius, quia mundus non proprie est, cum non sit sui conditione permanens, sed potius continenter fit, cum continenter ex suo opifice pendeat, adeo, vt dempta ea conseruatione, omnino dissolueretur.

Opinio altera. Ex aduerso Arist. Alexand. Seuerus, Atticus, Plutarchus, aiunt Platonem absolute putasse mundum definito aliquo temporis principio fuisse genitum. Nec desunt qui asserant Platonem ex Moyse in Genesi suam sententiam deprompsisse: hinc vt in Genesi legitur, in Principio creasse Deum Cœlum & terram,

ita

ita legitur in Timeo, in principio Deum creasse Ignem & Terram, dixit autem (Ignem) quia Cœlum conflatum ex eminentia Elementorum & præsertim igneum existimabat.

Nec desunt fundamenta & rationes pro confirmatione vtriusque partis; Et primo pro parte dicentium cum Aristot. Platonem putasse mundum re vera fuisse genitum, præsertim afferuntur: ait Arist. opposita non sunt apta eodem tempore eidem competere, tributa a Platone materiæ mundi ante & post sunt opposita, quare non simul sed tempore distincto ei competunt, oportet itaque distincto tempore sensilia corpora primo sine ordine fuisse mota, mox ordine proprio. *Fundamēta vnius partis.*

Insuper Alexand. referente Simplicio hoc in loco, & distinctius Philopono, disputatione sexta contra Proclum, cap. 27. per verba Platonis eandem sententiam ita confirmabat; Plato in Timeo proponens difficultatem de mundi ortu non proponit considerandum si consistat in fieri, & num continenter fiat, sed absolute, num genitus sit, vel gigni non valeat, & de mundo affirmat quod genitus sit, non autem quod continenter gignatur, ingenitum autem esse, tempus præteritum denotat, non præsens.

Insuper addit Plato, semper ne erat mundus nullo ortus initio, vel genitus est ab aliquo, principio cum inchoasset?

Præterea, si ita mundus diceretur genitus, quia continenter fieret; simili modo deberet dici mortalis: nam vt ita fit, etiam ita perit, & quemadmodum Plato absolute teneretur statuere illum ingenitum, opposita enim in eadem significatione accipi debent.

Confirmatur: quia si mundum non putasset vere genitum, & non putasset vere mortalem, non laborare debuisset pro inuenienda causa conseruationis æternæ eius.

Demum, si Plato putasset mundum non vere genitum, non debuisset pro indaganda veritate adeo formidare, & Deos Deasque in auxilium vocare, vt fecit in Timeo de re hac loquuturus, constat enim mundum ex Deo pendere, & a Deo seruari, vt alibi tanquam conspicuum affirmat.

Ex aduerso alij & præsertim Simplicius pugnant pro parte aduersa, & primo per verba Platonis, qui resoluens propositam difficultatem, ait: Mundus est genitus, cum sub visum & tactū cadat, corpusque sit; ea autem quæ sunt huiusmodi, sunt sensilia & imaginabilia, sensu fientia & genita, &c. nam de his quibus non competit vt constanter sint, vtrumque dici potest & genitum & fieri. *Fundamenta aduersæ opinionis.*

Præterea, argumentatur Simplicius, quia Plato ita declarauit mundum genitum vt prædefiniuit, at ipse non prædefiniuit verum ortum in tempore factum, sed ex vna parte fiens, ens autem nunquam, quod sensilibus & corporibus competere dixit, ex altera ens, quod vere sit, non fiat.

Tertio, quod fit in tempore, exposcit tempus præcurrens, at Plato tempus ait cum mundo genitum, & tempus dixit imaginem æui, quod denotat esse semper & tempus vna cum mundo fit semper.

Confirmatur: quia Plato ipsius mundi cōstituit causam efficientem, non initium aliquod temporis.

Demum, Plato ex eo colligit mundum genitum; quia est corpus & sub sensum cadit, ex quo non valemus elicere quod vere sit genitus, sed solum quod fiat: nam etiam materia præcurrens dicebatur sensile corpus.

Pro resolutione huius controuersiæ quæ inter viros sapientia celebres versatur, tres profero Conclusiones. *Resolutio.*

Prima est, quod mundus ex Deo pendeat, & ex principijs constet Plato semper se certum patefecit. *Conclusio 1.*

Secunda, num mundus fuerit semper, vel definito aliquo temporis principio cœperit, vtique se ancipitem patefacit, & nil decernit; & inde ortum duxit varietas opinionum. *Conclusio 2.*

Tertia per Platonis fundamenta mundus potius iudicari debet quod semper fuerit, *Conclusio 3.*

fuerit, quam contra ea tamen non penitus cogere, sed solum probabiliter suadere existimauit. Vt pateant hæ Conclusiones, considerandus est modus Philosophandi Platonis, ipse in attinentibus ad pietatem & gloriam Dei, semper se certissimum patefecit. De indifferentibus & complicatis cum materia, quæ ancipitis sunt conditionis, se ancipitem indicauit, & cum suo Socrate dixit, vnum scio, quod nihil scio. Huiusmodi est hoc de quo est sermo. Ex his refulget veritas duarum primarum Conclusionum, quæ confirmatur verbis Platonis, eiusque ratione; quod pertinet ad verba, legitur in sexto eius libro de legibus, scire oportet hominum generationem vel nullũ vnquam habuisse principium, nec terminum habituram, vel inestimabili ante nos temporis interuallo cæpisse.

Insuper, in 10. de legibus legitur. Si quouis modo cuncta simul steterint vt plurimi talium audent dicere, quem motum in ipsis primo fieri asserimus? conspicue de principio se ancipitem patefacit, & nil certi audet affirmare; hinc modo profert indicantia habuisse principium modo indicantia oppositum.

Hinc quoque ortum duxit varietas opinionum de eius sententia quam varietatem se nouisse patefacit Arist. in hoc Contex.

Galenus. Propterea Galenus qui maxime adhæsit Platoni, in libro suo de Demonstratione, referente Auerroe dixit Problema de mundi æternitate neutrum esse; Er Aristo. cuius mos fuit exempla frequenter afferre ex vulgata aliorum sententia in primo Topicorum affirmauit id esse problema Dialecticum. Quod vero pertinet ad rationem qua Plato vtitur, ea solum vim habet pro ostẽsione, quod ex opifice pendeat, ex principijs sit conflatus, nunquam vere sit, sed fiat, non autem quod in definito aliquo temporis principio cęperit.

Hinc ait primo distinguendum quid sit quod semper est, carens generatione, quid quod gignitur, neque est vnquam, illud mente apprehendi potest cũ semper sit idem, hoc opinione per sensum rationis expertem, cum gignatur & intereat, nec vere vnquam sit.

Insuper ait: mundus cernitur, tangitur & corpus habet, omnia autem huiusmodi sub sensum cadunt, hæc vero talia esse constat vt gignantur & genita sint, hoc est vt nunc gignuntur ita in præterito genita sunt, & nunquam fuerũt; Conspicue Plato indicat se loqui de illo ortu, per quem materiata ex principijs

Arist. pendentia & quodam modo fluentia gigni dicuntur. At nititur Arist. huiusmodi solutiones reijcere, quia Plato materiæ mundi pugnãtia tribuit, quæ nequeũt simul ei competere, sed egent intermedio tempore distinguente.

Solutio. Respondeo, ea inordinata fluctuatio materiæ mundi præcurrens debet intelligi per negationem & priuationem, non modo contrario: Explicat Plato quid mundus habeat per materiam, & quid per opificem & formam, ea potentia & priuatio materiæ mundi est prior suo ordine, nõ tempore, sed origine tantum, quem originis ordinem, semper in mundo composito considerare valemus etiam si ab æterno supponatur compositus.

Conclusio 3. Tertia Conclusio erat, quod Plato potius ad fuisse semper quam ad initium temporis inclinare videtur; hinc cele riores Academici hoc ei tribuunt, quod patet: quia animas mundi & sphærarum affirmat fuisse semper; similiter materiam mundi: at si materia & forma fuere semper, consonum est rationis etiam compositum fuisse semper.

Præterea, id ex eo patet: quia tempus cum mundo genitum dixit esse imaginem æternitatis denotantis esse semper.

Insuper id elicitur ex ea, quam Plato dixit esse rationem productionis, huiusmodi est bonitas, Deus mundum producit quia bonus, at semper fuit bonus. Nec propterea Plato iudicauit hæc esse talia vt cogerent, sed solum quod probabiliter suaderent. Ex hac resolutione elicio primo inaniter laborare eos qui omni emergente controuersia absolute nituntur Platonem cum Aristo. conciliare; principia enim eorum, intentio & genus Philosophandi varia sunt.

Insuper colligo minus recte interpretes cõstanter tribuere Platoni vel vnam vel alteram contradictionis partem, cum ipse semper se ancipitem indicauerit.

Con-

Contextus CVII.

INuicem autem necti & dissolui nil aliud est facere, quam astruere ipsum æternum quidem, sed mutantem formam, veluti si quis ex puero factum virum, & ex viro puerum, quandoque interire, quandoque esse putet; Palam enim quod ex mutua Elementorum conspiratione non contingenter quiuis ordo consurgit, sed idem etiam ex sententia eorum qui hunc sermonem enunciant, qui dispositionis vtriusque eorum causam esse inquiunt contrarium.

Quare, si corpus vniuersum quod continuum est, quandoque sic, quandoque secus disponitur & conformatur, & totius consistentia mundus est & Cælum, profecto non mundus fiet & interibit, sed eius dispositiones.



EVERSA opinione Platonis, intentio Arist. modo est euertere illam Empedoclis, & modo aliquo Anaxagoræ & Stoicorum putantium mundum gigni & succeßione per quandam mutuam reciprocationem seruari æternum. **Intentio.**

Diuiditur Contex. in tres partes, in prima Philosophus de opinione Empedoclis suam proferr sententiã, secundo eam illustrat exemplo reciprocationis pueri & viri, tertio prolatam sententiam explicat & patefacit. Rediens ad primum, sententia quæ profertur hæc est, qui cum Empedocle dicunt, mundum per mutuam reciprocationem constitui & dissolui, nil aliud re vera dicunt, nisi quod eius essentia seruetur æterna, & solum varientur accidentia & dispositiones, & propterea cum absolute dicant, mundum gigni & interire, nesciunt quid dicant; hæc sententia in secunda parte illustratur exemplo, veluti se haberet, si imaginaremur puerum euadere virum, mox virum redire in puerum; nam solum variarentur accidentia & temperamenta, essentia tamen prodiens ex principijs speciei eadem esset, & idem diceretur homo, non autem re vera iterum genitus & corruptus. (Palam enim quod ex mutua Elementorum conspiratione, &c.) **Diuisio.**

In hac tertia parte prolata sententia explicatur, & formatur hæc ratio; dum rei materia & principalis forma seruatur eadem, res illa nec gigni, nec interire dicitur, sed solum forte aderit permutario dispositionum eius, in mutua reciprocatione mundorum litis & amicitiæ excogitatorum ab Empedocle sic se habet, quare &cæt. Maior patet exemplo pueri & viri; minor patet per prolata ab Empedocle, qui materiam statuebat quattuor Elementa, eaque iudicabat immunia ab interitu forma autem est ordo quem seruari eundem affirmabat.

*

ANNOTATIONES.

1. Considera tio.



ONSIDERO primo, quod sententia Aristotelis de opinione Empedoclis præsertim nititur tribus fundamentis ab eo concessis, primum est, quod sola materia sit natura & essentia rerum, forma vero sit accidens, vt patet ex secundo Physicorum.

Alterum est, quod prima mundi materia sint quattuor Elementa, quæ nec gignantur, nec pereant, vt refertur in tertio de Cœlo, & in secundo de ortu & interitu.

Tertium est, quod ordo, qui est forma principalior semper seruetur idem: manet itaque semper eadem essentia & forma principalior, quamuis varientur accidentia nonnulla & dispositiones.

2. Considera tio. Considero secundo, quod prolatum de opinione Empedoclis in parte etiam verum est de opinione Heracliti & Stoicorum; Empedocles constituebat reciprocationem inter mundum litis & mũdum amicitię; hi vero inter mundum & ignem, quem materiam esse censuerunt mundi, eiusque vniuersam essentiã: reciprocationes dicebant fieri definitis temporum mensuris, quatenus compositorum definitum est æuum.

3. Considera tio. Dubitatio. Considero tertio exemplum, quo vtitur Arist. de puero & viro non carere difficultate, quia in eo apparet conspicua varietas nedum accidentium, sed etiam substantiæ, cum corporis, tum eius formæ, quæ ex corpore pendet, hinc in quinto Phys. sub dubio derelinquitur, an sanitas eiusdem sit eadem sero quæ fuit mane: soluitur, concedendo quod adsit aliqua permutatio substantiæ, at non talis vt absolute dicatur homo ille interire vel gigni, sed solum mutari mutatione dispositionum seruatis principijs speciei.

4. Considera tio. Dubitatio. Solutio. Considero quarto, quod Arist. ait, corpus vniuersum mundi esse continuum, quod tamen non est verum, quia continuum est consimilium partium, qualis non est mundus: Soluitur dicendo, esse continuum tempore, quia seruatur semper eius essentia; Secundo esse continuum mole, hoc est redactum in vnum & maxime iunctum, tertio, ratione vnius communis formæ, quæ est ordo eius, quarto ex sententia veterum, quia est vnius essentiæ, quæ sola materia est & prę sertim, quia modo non consideratur varietas; sed similitudo mundi.

5. Considera tio. Dubitatio. Solutio. Considero quinto, quod Aristot. pro confirmatione, quod mundi seruetur idem ordo partium in reciproca permutatione, accipit, quod Empedocles eius permutationis statuebat causas contrarias, nimirum litem & amicitiam, at per hoc potius videtur fieri oppositum, quia contraria sunt causæ contrariorum.

Respondeo, id non debere accipi pro causa consimilitudinis, sed pro patefacienda opinione Empedoclis, qui quamuis vtriusque dispositionis causam statuat contraria, tamen Elementa in vtrisque mundis consimiliter disponuntur, vt ei tribuit in secundo de ortu & interitu Contex. 44. contrarietas autem litis & amicitiæ statuebantur causæ contrarietatis, congregationis & secretionis.

6. Considera tio. Considero sexto conspicuam apparere controuersiam in relatis ab Aristo. de opinione Empedoclis; nonnunquam enim ait Elementa in mundorum constitutione non semper eodem modo disponi, sed frequenter secus, veluti in secundo Phys. 44. referens carnem Empedoclis ait, sæpe alias aliter, sed tunc sic forte cucurrit: nonnunquam vero ait in eundem ordinem redigi, vt in hoc contextu.

Nec satisfacit Solutio Auerr. dicentis, eodem modo disponi in omni mundo litis, similiter in omni mundo amicitiæ, at in mundo litis & eo amicitiæ secus

ens disponi, hoc conspicue pugnat cum relatis in secundo de ortu interitu 44. quo loci legitur, quod consimiliter ordinantur in mundo litis, vt in sphæro prius erant ordinata.

De hac controuersia late verba feci in digressione de controuersijs opinionum veterum Philosophorum, nunc autem tria dico; primum est, quod ex sententia Aristotelis eodem modo ordinantur ob eorum propensionem, & quia ordo eorum est forma mundi. *Solutio.*

Addo secundo, quod Aristotiles tribuit Empedocli, quod non sibi constet, sed pugnantia hac de re proferat, vt legitur in secundo de ortu & interitu 44.

. Dico tertio, quod cum Empedocles putauerit mundum casu quodam recte constare, dum recte constat seruatur, dum vero contra, dissoluitur & reficitur, vt de Animalium ortu refertur in secundo Physicorum, quæ dicuntur seruari dum casu recte constant, dum vero contra se habent, perierunt pereuntque.

Septimo considero ex Aristo. elici definitionem mundi, quæ est; mundus est consistentia totius, & in Context. 97. dicitur totum ab extrema circumlatione contentum: distinctius tamen in libro de mundo ad Alexand. definitur, quod sit cunctorum ordinata compages a Deo & per Deum seruata; per metaphoram autem dicitur sensilis imago insensilis Dei. Missas facio alias definitiones a me relatas in libro de rerum definitionibus. *7. Consideratio.*

Vltimo loco considero, quod cum veteres putarint materiam esse vniuersam essentiam rerum, & materia, consensione Philosophorum, sit ab ortu & interitu immunis, etiam coacti fuerunt Philosophi putare, res nec gigni nec interire, sed solum variari earum accidentia; hinc Lucr. sequens Epicurum in secundo lib. cecinit: *8. Consideratio.*

Hæc sic interimit mors res, vt materiei
Corpora conficiat, sed cætum dissipat ollis
Inde alijs aliud coniungit & efficit omnes
Res, vt conuertant formas, mutentq; figuras.

Et Ouidius in libro Metamorphoseos;

Nec perit in toto quicquam, mihi credite, mundo
Sed variat, faciemq; nouat nasciq; vocatur
Incipere esse aliud, quam quod fuit ante
Moriq; desinere illud idem.

Sic id quod est, potest dici vnum & immobile.

Contextus CVIII.

Quod autem vniuersum, cum sit genitum, pereat & non redeat, cum sit vnum fieri non potest; nam ante quam fieret, semper existebat consistentia illum præcurrens, quæ nisi fuisset facta, minime potuisset permutari.

At si mundi essent infiniti, id magis contingeret, attamen hoc quoque num fieri possit vel ne, ex dicendis patebit.



Intentio.

Diuisio.



PINIONVM duob. capitibus, reiectis de tertio in hoc contex. sermo est de eo nēpe, quod vniuersum sit genitū & ita pereat, vt interitum eius non sequatur generatio alterius mundi, & quia hoc potest considerari dupliciter, vel supposito, quod mundus sit vnus, vel supposito, quod sint infiniti, ideo contex. in duas partes secatur, in prima id sit supposito quod sit vnus, & reijcitur, in altera quod sint infiniti, & alibi considerandum asseritur. Quod pertinet ad primam partem, supposito mundo vno & genito, si petit, fieri non potest, quin eius interitui alius non succedat, quod ostenditur, quia si est genitus, ex præcurrente materia genitus est, quæ nunquam seruatur sine forma; quæro de ea consistentia & composito, vel fuit genitum vel nō, si non, tunc permutari non valuisset: nam ingenita nequeunt variari & mutationi cum interitu subijci; si dicatur genita, & ex ea poterat aliquid fieri etiam post mundi interitum poterit fieri aliquid, potentia autem, ne sit inanis, debet ad actum redigi, & ex vniuersa materia nil nisi mundus gigni potest. (At si mundi essent infiniti id magis contingeret &c.) Loquitur in hac secunda parte de altero membro inquiens, suppositis mundis infinitis magis contingere poterit, quod interitui vnius alter non succedat, quod num contingere valeat, ex alibi dicendis patebit.

ANNOTATIONES.

1. Considera tio. Dubitatio.



ONSIDERO primo, quod iure optimo qui statuunt mundos infinitos probabilius dicere valent, interitui vnius non succedere ortum alterius; at quæritur, vnde hoc eueniat. Respondebat Alexand. id ex eo euenire, quia resolutio non erit in materiam seorsum absolute, sed in alios mundos, per varias eius partes transeuntem: his addo, quod ex horum sententia adhuc seruatur mundus æternus per aliorum generationem, vt species mortalium seruantur æternæ.

Præterea ex horum sententia nullus mundus constat ex tota materia absolute, ex qua mundus secundum substantiam idem refici debeat.

2. Consideratio. Considero secundo, quod vt ait Simplicius, nullus Philosophorum fuit eius opinionis, neque ob id putandum rationem Aristotelis vim habere aduersus sententiam iure approbatam a nostris Theologis, quia mundi ortum non præcessit materia, sed ex nihilo factus fuit, nec proprie interibit, sed finis eius erit ex purgatio & perfectio.

3. Considera tio. Dubitatio. Considero tertio, quod Arist. ait, id magis posse dici ex sententia ponentium mundos plures veluti Democriti & Leucippi; at hoc est dubium, quia hi labuntur in plura absurda, quatenus concedunt infinitum; ponunt mundos plures & alia plura cum vero pugnantia proferunt.

Solutio. Respondeo, aliquid esse absurdius contingit dupliciter, vel absolute, vel per relationem ad aliquid, Arist. modo id considerat per relationem ad materiam, ex qua genitus est mundus, quæ tota sine forma absolute non valet inutiliter & contra suam conditionem reperiri.

Euersio tamen opinionis Democriti patet ex euersione infiniti, multitudinis mundorum, Atomorum & ex eo, quod declarabitur in tertio libro, nimirum, quod ex eis nil gigni possit.

4. Consideratio. Considero quarto, quod ea verba (attamen hoc quoque num fieri possit vel ne, ex dicendis patebit) ad duo possunt referri, vel ad opinionem statuentium mundos plures cum Democrito, vel ad principalem, de qua est sermo & rationem

tionem

tionem qua eſt euerſa; & hoc videtur probabilius,quia Ariſt.nullibi conſiderat an valeat interitui vnius mundi Democriti, alius non ſuccedere, ſed conſiderabit ſtatim num ingenitum valeat interire & genitum ſeruari ſemper, quod negauit Ariſt.de materia, ex qua genitus dicebatur mundus, & confirmatur hoc per ſequentia verba per quæ affert rationem cur hoc ſit conſiderandum, inquiens, ſunt enim quidam &c.

Contextus CIX.

SVnt enim quidam, quibus contingere videtur, & ingenitum interire & genitum poſſe ſeruari ſemper, veluti in Timeo legitur; ibi enim dicitur, Cælum gigni quidem, non tamen eſſe interiturum, ſed fore ſemper futuro tempore, aduerſus quo Phyſice ſolum de Cælo dictum eſt, vniuerſe autem de omnibus conſiderantibus erit & de hoc manifeſtum.



ENTENTIA fuit Platonis in Timeo,quod ante mundi ortum reperiebatur ſenſile corpus ordinis expers & ingenitum, ex quo mox gigneretur mundus nunquam interiturus,ex quo elicitur ex eius opinione ingenitum interire, nimirum corpus illud antecedens, & genitum ſeruari æternum, quod ei aduerſatur, quod ſumebatur pro euerſione in præcedente contex.

Ideo intentio Ariſt.modo eſt,patefacere mutuam reciprocationem geniti & mortalis,ingeniti & immortalis, quod conducit & pro approbando eo aſſumpto, & pro euertenda opinione Platonis. *Intentio.*

Diuiditur Cont.in duas partes in prima refertur ſententia reijcienda,in altera dirigimur ad euerſionem faciendam vniuerſe & in genere, cum ſit facta in ſpecie,nimirum de Cœlo Rediens ad primam,inquit, nonnullos nimirum Platonem in Timeo,dixiſſe,ingenitum poſſe interire & genitum ſeruari æternum ad cuius opinionis euerſionem nos dirigens ait,eam Phyſice loquendo de Cœlo in præcedentibus fuiſſe reiectam,modo vero vniuerſe de omnibus reijciendam eſſe,nam ex euerſione vniuerſali, de cunctis vera elicitur euerſio ſingularium contentorum ſub eis;vniuerſale enim etiam per vnicum ſingulare aduerſum redditur falſum. *Diuiſio.*

ANNOTATIONES.



VOD primo conſidero, cum conſtet ex opinione Platonis genitum ſeruari æternum, nimirum Cœlum, non conſtat ex aduerſo quomodo ingenitum pereat,& cui hoc competat;Alex.hoc referebat ad eam conſiſtētiam inordinate agitatam ex qua dicebat mundum genitum: reijcitur hoc a Simplicio dicente,quod ea inordinata moles ſub ſenſum dicebat cadere, de quibus ait Plato,quod fiunt & non ſunt; ratio hæc videtur inanis, quia ſenſile actu compoſitum & ordinatum dicitur genitum,non autem carens ordine,officium enim agentis eſt componere & in ordinem redigere. *Conſideratio prima.* *Dubitatio.* *Simplicius.*

Propterea dicebat Simplicius id additum fuiſſe ab Ariſt. non tanquam a Platone dictum,ſed vniuerſalis diſputationis gratia.

Dicebatur etiam ab Alex. id dictum fuisse virtute, quia ea duo eiusdem sunt rationis: at prior sol. videtur verior, quia Arist. conspicue affirmat in Timeo dici vtrunq; & confirmatur, quia Arist. in præcedentibus disputans cõtra Platonem de ea consistentia, ex qua mundus dicebatur genitus, in Contex. 103. dicebat id quod caret principio, per quod secus se habeat prius per omne æuum non potest permutari, indicans quod Plato talẽ eum esse existimabat, vt reuera cogebatur putare, si censuit mundum in principio temporis ortum vt ei tribuit Arist.

2. Considerat io. Considero secundo, quod Arist. ait, se de hoc loquutum fuisse Physice, de Cœlo loquuturum autem vniuerse & de omnibus, ait se id declarasse Physice, quod est verum & ex parte subiecti nimirum mundi, quod est corpus Physicum, & ex parte rationis, quæ sumpta fuit primo ex inductione per omnia sub sensum cadentia, secundo ex conditione subiecti quod permutari debet, quæ consider. dicitur de proprijs & per propria, cui opponitur ratio per communia & vniuersalis, hinc in proemio de anima definitiones per communia non dicebantur Physicæ, sed Dialecticæ.

3 Considera tio. Considero tertio, quod Arist. videtur ordinem peruertere; communia enim antecedunt proprijs, & sine communium notitia non noscuntur propria, hinc etiam dicuntur primo nota nobis.

Dubitat. Solutio. Respondeo ordinem proprie considerandum in genere subiecto & speciebus eius, non in rationibus, quarum ordo per varias oportunitates variari potest.

Addo secundo, quod vel consideramus res secundum ordinem abstractionis, vel facta abstractione, in ordine abstractionis, quo frequenter vtuntur Physici, primo occurrunt minus communia sub sensum cadentia, inde eleuamur ad cõmuniora: facta autem abstractione contra progredimur, vt in sermone de primo cognito patesceт.

4. Considera tio. Quarto loco cõsidero, quod etiam Arist. videtur concedere, ingenita interire & genita seruari semper, nam dum aliquid gignitur, priuatio eius formæ & potentia ad eam præcessere in materia tempore infinito, quæ tamen in aduentu formæ desinunt esse.

Similiter dum forma aliqua perit, priuatio eius incipit esse in materia & reperietur semper cum per naturam ea, quæ pereunt, nequeant eadem numero refici: sic itaq; ex sententia Platonis in materia præcurrente sine ordine m ota reperiebatur potentia ad formam mundi & eius priuatio. Soluitur dubitatio, quia potentia materiæ & priuatio vel referuntur ad genera & species rerum, vel ad singularia definita & signata, si ad prima, semper fuerunt & erunt in materia, & nunquam cœperunt vel desinent: Si autem proxime referuntur ad singularia, sic incipiunt & desinunt esse in materia, nam tunc in materia dicitur reperiri priuatio formæ Alcibiadis, & propria potentia ad eam dum adsunt in ea dispositiones pro ea necessariæ, quæ vt incipiunt esse, ita desinunt.

Contextus CX.

Primum autem distinguendum est, quomodo generabilia & ingenerabilia dicimus, & corruptibilia ac incorruptibilia, nam cum multipliciter dicantur, etsi ad rationem nil referat, necesse est intellectum confuse se habere, si quis eo, quod multipliciter diuiditur tanquam indiuisibili vtatur; latet enim secundum quam naturam ei conuenit, quod dictum est.

DISPV-


ISPVTATVRVS Arist. de mutua reciprocatione geniti & mortalis, ingeniti & immortalis, seruat regulas ab eo traditas in libro de interpretatione, distinguendo voces plura significantes in ea quæ significantur, nã vt legitur in libro Elenchorum æquiuocatio & multiplex significatio est potissima causa deceptionum.

Simul etiam imitatur Platonem, cum quo est disputaturus, qui in Timeo loquuturus de mundi generatione, primo declarat, quid denotet nomine generationis, Plato id fecit confuse & diminute, Arist. id est facturus exacte & perfecte. *Inten.*

Diuiditur contextus in duas partes, in prima profertur intentio, in altera affertur ratio intentionis; intentio est patefacere primo, quid nomine generabilis, ingenerabilis, corruptibilis & incorruptibilis denotemus, cum hæ voces multipliciter vsurpentur: ratio est, vt conspicue de his differamus, vitemus æquiuocationes & ambiguitatem ab animo longe repellamus. *Diuisio.*

ANNOTATIONES.


ONSIDERO primo, quod Arist. ait, patefaciendas esse varietates significationum etiamsi ad rationem nil referat; consimile protulit in libro de interpretatione inquiens, interrogationem multiplicem primo esse distinguendam etiamsi aliquando nil referat, quasi dicat, si id est faciendum quando nil refert, longe magis est faciendum quando refert: dicitur autem aliquando nil referre, vel quando in eadem significatione profertur in vtraque propositione, adeo vt quamuis vox ex se sit æquiuoca, eam tamen vtimur vt vniuoca. *1. Consideratio.*

Insuper nil refert, quando patet in qua significatione ea voce vtamur, tertio nil refert, quando id, de quo est sermo, in omni eius significatione verum est, vt si dicerem, omnis canis est substantia.

Contextus CXI.

Dicitur autem ingenitum vno modo, si nunc sit aliquid quod prius non erat, sine ortu & permutatione, vt nonnulli asserunt se habere de ipso tangere, & moueri; non enim generationem esse inquiunt contactum neque motum: alio autem modo, si quippiam fieri, aut factum esse contingat & non sit; similiter enim & hoc ingenerabile dicitur, quoniam potest gigni.

Tertio, si quippiam nullo modo gigni possit, adeo vt interdum sit, interdum non sit, impossibile autem dicitur dupliciter, aut quia non est verum dicere quod ortum sit, aut quia non facile, nec cito, vel recte.



ARI-

Intentio.



RIST. feruat id quod eſt pollicitus, & orditur ab ingenito, eiuſque affert tres ſignificationes cum diſtinctione tertiæ; ac ita in tres partes diuiditur Contextus.

Diuiſio. Primo dicitur ingenitum id, quod prius non erat mox eſt, ſine modo & principijs propriæ generationis, vt ſe habet de tactu corporum & motu, quæ cum prius non fuerint, mox ſunt ſine ortu.

Secundo dicitur ingenitum id, quod quamuis ſit aptum proprie gigni, tamen non eſt genitum, quod rectius ingenitum quam ingenerabile dicitur.

Tertio dicitur ingenerabile id, quod gigni non poteſt, adeo vt aliquando ſit, aliquando non ſit. Et quoniam impoſſibile vſurpatur dupliciter, vel vt abſolute potentiam remouet, vt impoſſibile eſt gigni mundos plures, vel quia non facile, nec cito, nec recte gigni poſſit, denotando difficultatem.

ANNOTATIONES.

1. Conſideratio.



ONSIDERO primo, quod pro ſignificationibus earum quattuor vocum quattuor inſpicere valemus, primo actum, vel priuationem eius, ſic aliquid dicitur genitum cum actu ex non eſſe fuerit translatum ad eſſe, vel non genitum quando vel ſemper fuerit vel nunquã vt chimera, vel non adhuc ſit.

Secundo valemus conſiderare modum, quo ei competit eſſe vel non eſſe; nam quæ ſine propria ſui generatione ſunt, vel non ſunt ingenita & incorruptibilia dicuntur, huiuſmodi ſunt relationes quæ ſequuntur motum alterius, vt tactus, vel generationes, nam generationis non eſt generatio, & talis eſt motus; ſic legitur in 8 Phyſ. Contex. 46 quod multa ſunt & non ſunt ſine ortu & interitu.

Tertio inſpicere valemus potentiam & impotentiam abſolute, ſic Deus ingenerabilis & incorruptibilis dicitur.

Quarto facilitatem vel difficultatem, nam difficile comparatum cum facili dicitur impoſſibile, ad quem modum etiam redigitur tarde & non recte generabile. Ex quo patent quattuor oppoſitorum ſignificationes ab Ariſtotile denotatæ.

2. Conſideratio. Dubitatio. Solutio. Conſidero ſecundo quod quæri poteſt, ad quem horum modorum rediguntur creata? dicendum puto ea redigi ad modum primũ, quo conſideratur actus; nam aliquid cum non fuerit & transfertur quouis modo ad eſſe, dicitur genitum: transferri autem poteſt ad eſſe vel per naturam, vel ſupra naturam, vel infra vt quæ violentia & arte fiunt.

3. Conſideratio. Quæ ſunt ſine ortu. Tertio conſidero, in dubium verti poſſe quæ ſint illa, quæ ſunt & non ſunt ſine ortu & interitu; breuibus dico, ſola compoſita ea eſſe, quæ proprie gignuntur & intereunt, vt dicitur in primo Phyſicorum, nam ea ſunt quæ conſtant ex principijs generationis, cætera dicuntur vel termini generationis, vt formæ, vel ſequuntur motum & generationem alterius, vt relationes, vel ſunt generationes quædam vt motus quorum Ariſtoteles principalia retulit, nimirum tactum & motum.

4. Conſideratio. Dubitatio. Conſidero quarto, quod Ariſt. videtur diminutus; nam prætermiſit eam generationis ſignificationem, quam retulit Plato loquuturus de mundi generatione in Timeo, quam tamen prætertim referre tenebatur, cum ſit diſputaturus ſecum & eius ſententiam euerſurus; nam Plato genitum conſiderauit vt contra diſtinctum ab eo, quod abſolute & ſine vlla varietate eſt: ſic genitum ſub ſenſum cadit, ingenitum ſupra ſenſum eſt eleuatum & pertinet ad mentem.

Solutio. Reſpondeo per duo fundamenta, primum eſt, quod hæc eſt ſignificatio geni-

ti

ti & ingeniti minus propria & ob id prætermissa ab Aristotile, at hoc non est satis, propterea addo secūdo, quod Plato eam generationis significationem protulit adeo perplexe & obscure, vt viri sapientes non consentiant quid absolute Plato genitum iudicauerit; hinc de eius opinione relata ad mundi generationē varij varia dixerunt, & multi putarunt, quod denotauerit translationem ex contrario in contrarium, ex inordinate agitato inordinatum.

Considero quinto in dubium verti, quæ nam sit illa oppositio geniti & ingeniti, mortalis & immortalis, similiter geniti & mortalis, & ingeniti ac immortalis; & dimissa relatione eorum, quæ a Simplicio & ab alijs dicuntur, breuibus quattuor dico, primum est, quod cum sint voces plura significantes, vt aliqua oppositione vere sint opposita, debent accipi in eadem significatione. *5. Considera tio.* *Dubitatio* *Conclusio 1.*

Dico secundo, quod dum proferuntur cum affirmatione & negatione, vt generabile siue genitum, & non generabile siue non genitum, opponuntur per contradictionem. *Conclusio 2.*

Addo tertio, nonnulla non vere & proprie opponi aliquo oppositionis genere, sed solum conditionis distantiam & varietatem præ se ferre, veluti generabile sumptum pro conditione mortalium, & ingenerabile sumptum pro conditione diuinorum; similiter corruptibile & incorruptibile. *Conclusio 3.*

Addo quarto, quod ingenerabile & incorruptibile solum dicuntur distingui ratione & relatione, non autem opponi; sic ambo competunt Deo: generabile autem & corruptibile opponuntur, vt generatio opponitur corruptioni, quæ quomodo opponantur, declaratur in quinto Phys. Cont. 51. *Conclusio 4.*

Cont. CXII.

SImiliter & genitum vno quidem modo dicitur, si prius non est mox est, siue per ortum siue sine eo, alio autem si fieri potest, siue sumatur possibile pro vero, siue pro facili, alio adhuc si generatio est ex non ente in ens, siue iam sit & receperit esse per generationem, siue adhuc non sit, at esse possit.



SIGNIFICATIONIBVS ingeniti relatis, referuntur illæ geniti, quæ sunt tres, prima est, quod id dicitur ortū, quod cum prius non fuerit, mox est siue per generationem, vt composita, siue sine ea, vt termini eius & relationes, & respondet secundæ significationi ingeniti.

Secundo genitum dicitur, siue potius generabile, de eo, quod quamuis non sit, tamen esse valeat, quod possibile vsurpatur dupliciter, vel pro vero, hoc est, pro eo quod absolute esse possit, vel pro facili, quia facillime valeat esse, & respondet tertiæ significationi ingeniti.

Tertio dicitur genitum de eo, quod per generationem vel iam sit, vel saltem esse valeat, & respondet significationi primæ ingeniti.

ANNO-

ANNOTATIONES.



QVOD Arist. est orsus a significationibus ingeniti, tanquam eius quod de mundo est ostensurus considero; & referens significationes confundit sæpe ingenitum cũ ingenerabili, & genitum cum generabili, quia eiusdem sunt rationis & ex notitia vnius refulget aliud.

1. Considera tio.

2. Considera tio. Insuper considero, quod quamuis significationes geniti respondeant significationibus ingeniti, magis proprie tamen respondent significationibus corruptibilis, vt sibi magis proprie oppositi, & ex notitia significationum vnius refulgent significationes alterius; oppositorum enim eadem est ratio, & ea iuxta se posita magis refulgent.

3. Considera tio. Considero tertio, quod ob multiplicem vocum significationem non est absurdum inspiciendo varia quod idem dicatur genitum & ingenitum, corruptibile & incorruptibile, vt patet de relationibus quæ pro actu dicuntur generabiles, pro modo ingenerabiles, similiter etiam de eo quod semper est vt de Deo, & de eo quod nunquam est, nec potest esse, eædem voces dicuntur, modo tamẽ vario, nam dicuntur vtraque ingenerabilia & incorruptibilia.

Contextus CXIII. & CXIV.

CORruptibile quoque & incorruptibile similiter dicuntur; nam corruptibile dicitur si prius aliquid est, postea non est, vel contingit non esse siue corruptum aliquando & permutatum sit, siue non, insuper & id, quod per interitum potest non esse, corruptibile esse dicimus; propterea & aliter id, quod facile interit, quod nuncupari potest facile corruptibile.

Et de incorruptibili eadem est ratio; vel enim quod sine interitu aliquando est, aliquando non est, incorruptibile dicitur, vt tactus, qui sine interitu, prius sunt, postea non sunt, vel quod est quidem, & impossibile est aut non esse, aut aliquando non fore, nunc autem est, tu enim es & tactus nunc, at tamen corruptibile, hoc est, quia tempus erit, quo non erit verum dicere quod sit, neque hæc tangi; maxime autem proprie dicitur, quod est quidem, impossibile autem ita perire; vt cum modo sit, postea non sit, vel contingat non esse: aut & id, quod nondum corruptum est, cum tamen sit & contingat postea non esse. Dicitur etiam incorruptibile, quod non facile perit.



DECLARANTVR significationes corruptibilis & incorruptibilis inspiciendo ea quattuor in præcedentibus relata, nimirum, actum, modum, potentiam & facilitatem siue difficultatem.

Primo referuntur tres significationes corruptibilis, quarum prima sumitur ex actu; quo ea corruptibilia vel corrupta dicuntur, quæ cũ prius fuerint, mox non sunt, vel possunt non esse siue per proprium interitum, siue eo, vt motus ignis ascendentis interire dicitur. Altera significatio respicit modum, & est dum aliquid proprio sumpto interitu transit ad non esse, vt Plato interibit.

Tertia

Tertia sumitur ex facilitate, dum aliquid facile interire potest; significatio sumpta ex absoluta potestate includitur in tribus iam relatis significationibus, nam omnes supponunt, quod vel sine transmutatione, vel cum transmutatione, vel facile, vel difficulter interire valeat. (Et de incorruptibili eadem est ratio &cæt.)

Referuntur in hac altera parte significationes incorruptibilis, quarum prima sumitur ex modo, res enim quæ est, dum sine transmutatione transit in non esse, dicitur incorruptibilis, veluti relatio.

Alter modus sumitur ex absoluta remotione potentiæ, adeo vt cum sit, non valeat non esse & non fore, qui modus explicatur per oppositum; nam Plato & tactus modo sunt, tamen non dicuntur hæc & similia incorruptibilia absolute, sed solum pro tunc, quia dabitur tempus, in quo non erunt; at vere & maxime proprie incorruptibilia sunt ea, quæ cum non sint, non valent vllo tempore non esse.

Tertius modus sumitur ex actu, nimirum pro non corrupto, quamuis corrumpi valeat.

Additur modus quartus sumptus ex difficultate, nam difficile corruptibilia incorruptibilia dicuntur, vt scopuli & ingentes lapides.

ANNOTATIONES.



QVOD secunda incorruptibilis significatio obscure proferatur primo considero, hinc variæ eius ab Alexādro, Simplicio & D. Thom. traduntur expositiones; imo Alexander, quem sequitur Auerr. id quod legitur passim in codicibus, & impossibile est aut non esse &c. legendum putant, possibile; ego non refero varietatem expositionum, quia prolixum esset & nullam afferret vtilitatem, propterea illam solam retuli expositionem quam veriorem iudicaui. *1. Consideratio.*

Considero secundo, quod in dubiū verti potest, quid sit dicendum de illis, quæ nec sunt, nec esse possunt, vt vacuum, infinitum & similia num debeant dici incorruptibilia & ingenerabilia; Aristo. de proprie incorruptibili dixit, quod sit & non valeat non esse, ea autem non sunt nec constat sub qua significatione contineantur. *2. Consideratio.* *Dubitatio.*

Respondeo, illæ voces proprie illis competunt, quæ vel sunt vel esse possunt, non autem illis quæ nullo pacto sunt, nisi per negationem, quæ est latior affirmatione, veluti vacuum dicitur incorruptibile per negationem, quia corruptio non habet in eo locum; similiter ingenitum & ingenerabile magis proprie dicitur de eo, quod sine generatione semper fuit, vt Deus, minus tamen improprie de vacuo & similibus diceremus, quod sint ingenerabilia, quam incorruptibilia; rectius autem de illis dicimus, quod nec generabilia, nec corruptibilia sint, quæ sunt negationes: de omnibus enim vera est affirmatio vel negatio. *Solutio.*

Contextus CXV. & CXVI.

SI autem hæc ita se habent, considerandum, quomodo dicimus possibile & impossibile, nam incorruptibile maxime proprie dictum, eo quod non possit interire, nec aliquando esse dicitur, aliquando non esse.

Insuper ingenitum dicitur impossibile, & quod non possit ita gigni, vt prius non fuerit, mox sit vt Diametrum commensurabilem.

Sit

Sit autem, quia potest moueri per stadia centum, vel eleuare pondus, adeo vt semper ad plurimum inspiciamus, vt talenta eleuare centum, vel centum decurrere stadia quamuis & partem possit, quæ includitur; nam per super abundantiam & finem excessus facultatem definire tenemur. Necesse itaque est, vt potens hoc tanquam superabundantiam, possit etiam ea quæ intus, veluti si valet eleuare talenta centum, etiam poterit eleuare duo, & si stadia centum poterit decurrere, etiam poterit duo; nam virtus superabundantiæ est, & si impossibile est tantum per excessum dictum, etiam impossibile erit plus, veluti, non valens mille stadia decurrere, etiam non valebit mille & vnum.

Regula.



EST regula definitionem alicuius non esse notam quousque non fuerint nota illa, ex quibus constat; circumscripsit Aristo. genitum, ingenitum, corruptibile & incorruptibile, potentiam & impotentiam, quæ sunt voces egentes declaratione, ideo intentio Arist. est in earum explicatione versari.

Intentio. *Diuisio.*

Diuiditur Contextus in tres partes, in prima manifestatur intentio & ratio eius, in secũda declaratur per quid mensuretur potentia; in tertia per quid impotentia. Rediens ad primam, intentio est declarare quid sit & per quid definiatur potentia & impotentia.

Ratio est, quia assumpta sunt in circumscriptionibus declaratarum vocum, & præsertim incorruptibilis & ingeniti, quæ sunt duo declaranda de mundo.)Sit autem quia potest moueri &c.)

In hac secunda parte loquendo de potentia profertur hæc conclusio, quod circumscribatur per maximum quod potest, ratio est, quia hoc includit cuncta quæ potest, nam potens totum, potest & partes eius. (Et si impossibile est tantum, &cæt.)

In hac tertia parte declaratur impotentia, & conclusio est, quod circumscribitur per minimum inter ea, quæ non potest, quod minimum dicitur excessus, tum quia vires superat, tum quia excedit in paruitate; minimum enim est excessus quidam.

ANNOTATIONES.



1. Consideratio. CONSIDERO primo, ex contex. quattuor elici conclusiones, prima est, potentia mensuratur per maximum quod potest, secunda, impotentia mensuratur per minimum quod non potest; Tertia, potens maius potest & minus: Quarta non potens minus non potest & maius.

Conclusio 1 *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.*

Cur potentia circumscribatur per maximum. Quæritur primo, cur potentia circunscribatur per maximum quod potest.

Solutio. Respondeo, id iure fieri, primo, quia mensura debet esse aliquid primum, vnum & definitum, maximum est huiusmodi, contenta sub eo carent huiusmodi conditionibus.

Secundo, quia potentia denotat perfectionem, maximum est huiusmodi; nam summam includit perfectionem & denotat finem.

Tertio, quia hoc includit omnia quæ potest.

Quarto, quia per id circumscribenda potentia quælibet, per quod distinguitur

tur ab aliis, at prodistinctione inspicimus maximum; nam per contenta potentiæ quamuis sint variæ non distinguuntur.

Quinto, quia potentia ponit non remouet, ideo per id quod ponit est circumscribenda, quod etiam seruatur in mensura distantiæ inspiciendo maximum, vt Senarum Vrbs ab vrbe Roma distat per centum milliaria.

Considero secundo, quod iure etiam impotentia dicitur mensurari per minimum quod non potest; ratio prima est, quia impotentia præ sefert priuationem & negationem, ideo per negationem debet circumscribi. *2. Considera tio.*

Secundo, quia denotat imperfectionem, ideo per minimum, quod præ sefert imperfectionem, circumscribenda est.

Tertio, quia hoc est vnum, certum & definitum, reliqua indefinita;

Quarto, quia id minimum excludit cuncta quæ non potest.

Quinto, quia per id distinguuntur impotentiæ inter se.

Considero tertio in dubium verti posse regulam illam, potens maius potest & minus, nam motor octauæ sphæræ valet mouere velocitate viginti quattuor horarum, cum tamen non valeat mouere minori velocitate; Sic lapis potest per aerem definita velocitate descendere, cum tamen id facere non valeat minori velocitate. Potest Cæsar proijcere lapidem, at non granum arenæ, homo valet generare hominem, at non formicam. Soluunt nonnulli dicentes, sententiam Arist. non esse veram de omni potentia, sed de variabili & operante ad libitum. *3. Considera tio.*

At contra Arist. in contex. 109. vniuerse proposuit declarandum quid sit ingenerabile & generabile, quare etiam vniuerse intelligendæ sunt potentiæ sumptę in earum declaratione. Insuper rectè traditæ circumscriptiones debent esse veræ de omni descripto; confirmatur, quia Arist. est loquuturus de potentia naturali, cuius conditio est operari pro viribus; ideo dicamus, regulam esse veram de quauis potentia, nam potens maius potest & minus nisi seorsum, saltem vt includitur in eo maximo, & nisi secundum distinctam formam, saltem eminenter. Insuper regulæ semper debent intelligi secundum se & cum reduplicatione, adeo vt potentia quatenus potentia, potens maius, potest & minus, at non ex accidenti, vt additur ei necessitas modi operandi. Instantia de grano arenæ soluitur quia id euenit ex accidenti, quatenus non recipit vim facultatis motientis?

Considero quarto, ex verbis Aristotile elici, in qua significatione in progressu suæ disputationis debeat vti vocibus ingeniti & incorruptibilis, nam dum absolute loquimur, vti tenemur vocibus in potiori significatione, quæ autem sit potior significatio manifestatur ab Aristotile dicente, incorruptibile maxime proprie dictum esse, eo quod non possit interire, nec aliquando esse aliquando non esse; Similiter ingenitum id quod impossibile est, & quod non possit ita gigni vt prius non fuerit, mox sit, in qua significatione nitetur in progressu ostendere mundum ingenitum & ab interitu immunem. *4. Considera tio.*

Considero quinto, quod cum ingenerabile & incorruptibile præsertim & proprie dicantur de his, quæ semper sunt, tamen secundario & saltem per negationem etiam dicuntur de his, quæ esse nequeunt, & præsertim ingenerabile & ingenitum, quod patefecit Aristo. exemplo commensurationis diametri, nam diameter necessario non est commensurabilis lateri quadrati, vt ostendunt Geometræ. *5. Considera tio.*

Contextus CXVII.

Nil autem nos turbet vltimum eorum quæ potest, determinatur enim per finem excessus id, quod proprie posse dicitur, forsan enim aliquis

instabit, quod non necesse sit id, quod dictum est, videns enim stadium non vtique ea quæ intus videbit: sed potius contra; nam potens videre punctum, vel exiguum audire sonum, etiam maiora sentire poterit; at hoc minime ad rationem refert, determinetur enim vel in facultate, vel in re excessus. Patet autem id quod dicitur, nam visus ille excedit qui minoris est, velocitas autem, quæ est maioris.

Intentio.



IRCVNSCRIPTA potentia per maximum quod potest, & impotentia per minimum quod non potest, intentio Arist. modo est pro exactiore explicatione instantias afferre easque dissoluere. Instantiæ sumuntur ex attinentibus ad sensus, nam sentiens maius non ob id sentit minus, vt e longinquo videns montem non ob id exiguos lapides eius videre valet.

Audio mugitum tauri, non sonum farfallæ, percipit Medicus pulsum frequentem non exiguum: sed potius contra valens videre punctum, hoc est, exiguam partem corporis, valet videre maiora, & sic de reliquis sensibus. (At hoc minime ad rationem refert &c.) Soluitur instantia, quia nil obest descriptioni, nam potentia semper circunscribitur per maximum quod potest, id autem maximum est duplex, vnum rei circa quam versatur potentia, alterum ipsius potentiæ & facultatis, in attinentibus ad sensus id maximum attenditur circa potentiam & facultatem. Ratio huius varietatis est, quia potentia est duplex, vna efficiens, altera patiens, siue passionem supponens; efficiens circunscribitur per maximum rei, patiens vero per maximum facultatis: sensus autem sunt facultates patientes, debent enim moueri ab obiecto vt id iudicent.

ANNOTATIONES.

1. Considera tio.



NIMADVERTO primo, quod hanc varietatem facultatum efficientium & patientium, ac insuper circumscriptionis earum, etiam nouit & explicauit Plato; hinc in 10. de Legibus ait, sensus & vires contrario inter se modo se habēt ad facilitatem & difficultatem &c.

2. Conside- ratio. Dubitatio. Solutio.

Considero secundo, quod potentia semper circumscribitur per maximum facultatis, at non semper rei circa quam versatur, ideo inspiciendo maximum facultatis; ambæ potentiæ vna communi circumscriptione circumscribuntur: maximum autem facultatis est difficilius, pro quo vis potentior requiritur, vt potentior virtus requiritur pro sentiendis minoribus.

3. Considera tio.

Considero tertio, quod adhuc aliquis aduersus solutionem instare posset, nam valens directe videre minorem lucem, non ob id directe valet videre maiorem, vt eam solis, & valens recte iudicare tepida, non ob id valet recte iudicare calorem feruentis ignis.

Respondeo id contingere ex accidenti, quatenus vehemens sensile destruit facultatem sentiendi. Dum nos consideramus solam actionem, sensilium & passionem sensuum, semper seruatur quod sensus a vehementiori magis mouentur, at quia præter passionem vt iudicemus requiritur actio facultatis iudicantis, quæ a vehementi turbatur, inde ex accidenti euenit vt deterius iudicet.

Digres-

Digressio an Potentia circunscribatur per maximum quod potest, impotentia per minimum quod non potest.

Viri arguti & illi qui vulgo calculatores dicuntur multa & inexplicabilia dicunt aduersus circunscriptiones ab Arist. traditas potentiæ & impotentiæ, ego autem lucide & distincte vtiliora referam, & pro elucidatione difficultatis seruabo hunc ordinẽ, primo dubia referam, secundo afferam opinionem communiorem aduersariorum, tertio explicabo sententiam propriam & dubia soluam. Ordiens a primo, quod potentia non circunscribatur per maximum, quod potest, ostenditur, quia daretur motus tardissimus, qui non conceditur ob temporis diuisionem in infinitum, hinc quouis excogitato tardo motu, valemus excogitare tardiorem, deducitur consequutio, quia vis mouens maximum mouebit tardissime, alioquin non esset maximum sed aliud maius posset mouere tardius.

Præterea potentia generandi ipsius ignis non potest circumscribi per maximum, quoniam si adesset combustibile cresceret in infinitum, vt dicitur in secundo de anima; propterea ei nullum competit definitum maximum.

Præterea suppono primo ab æquali non prodire actionem; omnis enim actio exposcit proportionem maioris inæqualitatis ex 7. Physicorum: suppono secundo, indiuisibile non reddere maius id cui additur, ex sexto Physic. Tertio, omne agens superans resistentiam patientis valet id mouere. H. suppositis ita argumentor, potentia, efficiens, mouens maximum quod potest, vel æquatur resistentiæ eius, vel superat, si æquatur, per primum assumptum non mouet, si superat uel superat per indiuisibile, & hoc non, quia non reddit maius per secundum assumptum; Si per diuisibile diuidatur & dematur portio, adhuc id quod superest superabit & valebit mouere, quare id primum sumptum pro maximo non erat maximum quod possit.

Præterea quæro, id maximum quod potest, & minimum quod non potest vel sunt sibi inuicem æqualia, vel inæqualia, non æqualia cum vnum mouere possit non alterum, si inæqualia vel maius exceder per indiuisibile, & hoc non, quia nõ reddit maius: si per diuisibile diuidatur & medietas addatur maximo, vel poterit id mouere vel ne, si poterit, id primum non erat maximum, si non poterit, aliud non erat minimum.

Præterea dematur ex minimo pondere pilus, vel granum arenæ, vel addatur maximo irrisione dignum videtur: si dicatur quod possibile moueri reddatur impossibile vel viceuersa. His & similibus rationibus viri arguti negligunt regulas ab Aristotiles traditas, & has approbandas putant quarum prima est, potentiam efficientem definiri debere per minimum quod non potest, altera est, impotentiam similiter per minimum quod non potest; addunt, quod hoc minimum quod potest æquatur per resistentiam potentiæ efficienti, similiter tertio de potentia passiua inquiunt, definiri per maximum, a quo possit pati inter patua, vt vis videndi per granum, & per idem aiunt definiri impotentiam.

Quarto aiunt, potentiam ad esse vel non esse definiri per minimum, in quo non possint esse, quibus regulis putant conspicue vitari obiectiones omnes.

Nonnulli de concilio soliciti aiunt facile cum Arist. conciliari intelligendo sententiam Aristo. quod potentia circunscribatur maximo citra quod potest, quod maximum est, minimum quod non potest, ac ita redduntur concordes: Verum hi conspicue aduersantur verbis & exemplis quibus Arist. vtitur, non ait potentiam definiri per maximum quod potest, & vtens exemplis semper accipit id maximum quod potest, non autem id, citra quod potest, vt legenti verba redditur notum. Insuper positiuum recte per positiuum, & priuatiuum per priuatiuum circunscribitur, non autem eodem vtrunque. Demum aduersantur communi modo loquendi, non enim dicimus vires meæ tantæ sunt vt non pos-

sint eleuare vel facere aliquid, hoc enim non vires, sed imbecillitatem denotat. Propterea pro resolutione accipiendum primo est, indiuisibile esse duplex, vel sensu, vel ratione, corpus indiuisibile ratione non datur, sed sensu, quo minus sub sensũ non cadit, de hoc minimo & sensu indiuisibili loquitur Arist. loquens de accretione & inquiens, per veram accretionem quoduis sensile punctum debere reddi maius; & in hoc contex. ait, valens videre punctum, hoc est minimum secundum sensum, potest videre maiora.

Accipio secundo, ea maxima & minima posse considerari dupliciter, vel consideratione Physica iuncta cum sensu, forma & definita materia, vel Mathematica secernente quantum a definito subiecto & a sensu; puri Mathematici vtuntur recte hac secunda consideratione, Physici recte vtuntur prima, calculatores eas permiscent & errant; nam ex materia sæpe prodit varietas, hinc Arist. in 3. Metaphysicæ cont. 8. ait, quod Physica sphæra non tangit planum puncto, quamuis id dicant Mathematici. Ex his elicio, regulas ab Arist. traditas veras esse consideratione Physica, & esse consentaneas conditioni Physicæ potentiarum, calculatores vero recte loqui consideratione Mathematica. Per hactenus dicta facile diluuntur instantiæ allatæ & relatæ superius aduersus sententiam Arist. prima erat, quod daretur motus tardissimus, concedo, quod daretur secundum sensum quamuis non secundum rationem. Instantia secunda sumpta ex potentia generandi ignis, si aliquam vim includeret, consimiliter euerteret sententiam calculatorum, quia minimum quod non posset non daretur, at re vera est inanis, & ad rem non facit, non enim datur vnus particularis ignis, qui valeat sui conditione generare infinitum ignem, sed si id contingeret, fieret successione variarum partium, vt dum per flammam exiguam gignitur ingens flamma successione partium ignis denuo genitarum; proprie autem considerantur vires ignis, considerando gradus caloris eius & vires resistentię combustibilium. Addebatur tertio, vel id maximum & minimum sunt æqualia &c. respondeo, sunt inæqualia per indiuisibile secundum sensum, at non ratione; & propterea id non potest actu diuidi sed solum ratione & abstractione Mathematica. Quarto afferebatur instantia de grano arenæ vel addito vel dempto, respondeo, si id non fuerit sensile, non cõstituit differentiam & varietatem, si uero sensu percipiatur varietatem constituit, & præsertim quia ex multis modicis sæpe consurgit id quod satis est. At iure aliquis instabit, quia Arist. in octauo Physic. cont. 69 ait, quod in continuo idem est finis vnius & principium alterius, quod cum sit medium, est ex conditione sequentis & ad illud attinet, per hoc autem denotat, non debere assignari distincte maximum antecedentis & minimum sequentis, sed solum minimum sequentis citra quod possit, & vltra quod non possit, vt faciunt calculatores: respondeo, Arist. ibi loquitur de fluentibus, vt de motu & de ortu & interitu, hic de permanentibus, per quæ distincte mensurantur potentię & impotentiæ. Insuper idem est ratione, non sensu, vt dictum est, hic in cont. 23. eiusdem octaui libri sequens sensum constituit primum in motu, quod tamen, si rationem sequimur, assignari non debeat nisi per negationem præsentis dicendo, nunc non est & statim posterius erit & prius fuit.

Quo Regulæ veræ sint.

Diluuntur instantiæ.

Instantia.

Contextus CXVIII.

His definitis dicendum est id quod sequitur, si itaq; quædam esse & non esse poßunt, necesse est dari definitum aliquod tẽpus maximũ ipsius esse, & ipsius non eße; dico autẽ quo res esse possit & quo non possit secundũ quamlibet prædicationẽ puta hominẽ, aut album, aut tricubitum, aut aliud quodcunque tale, nam si non dabitur quantum aliquod, sed semper quouis assumpto plus, & non est cuius minus, infinito tempore idem poterit esse & alio infinito non esse, quod est absurdum.

OSTEN-



OSTENSVRVS Arist. contra Platonem mutuam reciprocationem geniti & corruptibilis, ingeniti & incorruptibilis, hactenus nos parauit explicans voces ad rem facientes: modo autem vtens explicatis, incipit formare rationem & in præsenti Contex. tria facit, primo proponit conclusionem ostendendam, secundo patefacit de quo ea sit vera, tertio rationem format ducentem ad absurdum. Quod pertinet ad primam partem, ait Philosophus, declaratis vocibus de eo esse agendum, cuius gratia declaratæ sunt, & conclusio demonstranda est. Si dantur vt re vera dantur ea, quæ & esse & non esse possunt, necesse est dari definitum aliquod maximum tempus quo esse possint & rursus aliud quo esse non possint. *Intentio.* *Diuisio.*

Explicans in secunda parte de quibus sit vera & debeat intelligi conclusio ait, debere intelligi de rebus cuiuslibet prædicamenti, veluti substantiæ qualitatis, & quantitatis, vel cuiuslibet consimilis: (Nam si non dabitur &c.)

Format rationem ducendo ad absurdum; nam dicas quod non detur eorum definitum tempus maximum quo possint, & minimum quo non possint, sed potentia quouis assumpto tempore possit per maius esse, & impotentia quouis paruo adhuc non possit per minus, tunc sequitur, quod idem infinito aliquo tēpore poterit esse & rursus alio infinito non esse, quod esse absurdum ex dicendis patebit.

ANNOTATIONES.



ANIMADVERTO primo, quod Arist. ex descriptionibus potentiæ & impotentiæ elicit, debere dari maximum, quo possit, & minimum quo non possit, quia per hoc circumscribebantur, & debent dari distincta si non secundum rationem, saltem secundum sensum, vt explicatum est. *1. Consideratio.*

At oritur dubitatio, quia regulæ traditæ sunt de potentijs agendi & patiendi; potentia autem ad esse & nō esse non apparet ad quam earum redigatur, num inquā sit potentia agens vel patiens. Ludouicus Boccafertea Philosophus insignis & olim præceptor meus dicebat, redigi ad potentiam agendi, id autem ostendebat, quia potētia ad esse respicit formam cum positione, ad non esse formam cum priuatione. *Dubitatio.* *Lud. Boccaf.*

Solutio hæc mihi est dubia, quia potentia ad esse respicit formam, quæ non adest, & ob id agere non potest, sed vt adsit debet præcurrere passio subiecti quod permutatur ab alio; similiter potentia ad non esse debet ab alio permutari, illa pro esse, hæc pro non esse. *Euersio.*

Respondendum puto, has potentias ad varia referri posse, & ob variam relationem partim agentes esse, partim patientes, neque hoc est absurdum, cum omni actioni respondeat passio, & vice versa, præsertim tamen potentia ad esse & seruari denotat actionem, quia denotat vires quibus resistit corrumpenti; resistentia autem ad actionem redigitur & indicat facultatem qua se valet seruare & vitare passionem: potentia autem ad non esse cum denotet imbecillitatem aptum pati, vinci & superari ab alio, magis denotat passionem. *Solutio.*

Considero secundo, quod cum Aristo. dicat, dari definitum tempus, quo res possit esse & non esse, & addat id esse verum de omni prædicamento, profecto de solis permanentibus non de motu id debet intelligi; nam de illis est verum, quibus competit proprium æuum, hoc autem motui non competit, sed vt aliquandiu vel semper seruetur, habet a motore & mobili, vt alibi latius patefeci; *2. Consideratio.*

hinc Arist. de solis permanentibus dedit exemplum referendo tria principalia prædicamenta substantiam, quantitatem & qualitatem, nam cætera vel sunt relationes, vel iuncta cum relatione: & vera est Arist. sententia de omni prædicamento, at non de omni contento sub eo nisi quatenus competere potest.

3 Considera-tio. Considero tertio, quod iure Arist. loquens de illis, quæ & esse & nō esse possunt, ea retulit ad prædicamenta; nam cōtenta sub prædicamento, quod vniuocum esse debet, mortalia sunt & proprie per definitum tempus esse & non esse possunt, æterno autem solum posse semper esse dicuntur, æterno autem & mortali nil est commune vniuocum, ideo æterna solum per similitudinem sunt in prædicamento.

Cont. CXIX. & CXX.

PRincipium autem ex eo petatur, quod impossibile & falsum non idem denotant.

Insuper impossibile & possibile, falsum & verum hoc quidem ex suppositione, veluti impossibile est triangulum duos rectos habere si hæc, & dimetiens commensurabile si hæc; Dantur etiam absolute cum impossibilia, tum possibilia, cum vera tum falsa.

Nec idem est aliquid falsum esse absolute, & impossibile absolute, te enim non stantem dicere stare, falsum profecto est, at non impossibile: Simili modo citharam pulsantem non autem canentem dicere canere falsum est, non autem impossibile; simul autem quempiam stare & sedere & dimetiens esse commensurabile nedum falsum, sed etiam impossibile est. Neque etiam idem est supponere falsum, & impossibile, nam impossibile per id infertur quod impossibile sit. Sedendi quidem & standi potest quispiam simul habere potētiam, quia dum habet illam habet & alterā, at non ita vt simul sedeat & stet, sed tempore distincto. Si itaque aliquid tempore infinito pluriū habet facultatem, non est in alio tempore, sed hoc quod simul. Quare si aliquid, cum sit tempore infinito, fuerit corruptibile potentiam habet vt non sit; si autem infinito tempore est, ponamus quod sit id quod potest; nimirum non esse, simul actu erit, & non erit: Positionem falsi sequi profecto potest falsum, at si id non fuerit impossibile, id quod sequitur non potest esse impossibile. Omne igitur quod semper est, absolute est incorruptibile.



DECLARATIS attinctibus ad notitiam vocum suo instituto inseruientium, inferebat Arist. in præcedente Contex. quod nisi daretur definitum tempus, quo res possent esse & nō esse, sequeretur hoc absurdum, quod idem posset infinito aliquo tempore esse, & alio infinito nō esse, modo asit intentio Philosophi est patefacere, quomodo hoc sit absurdum, & simul eadem ratione euertere sententiam Platonis asserentis mundū esse mortalem, & seruari æternum.

Diuisio. Diuiditur Contex. in sex partes, quatenus Primo quinque vt conspicua assumuntur, mox sexto loco ex eis formatur ostensio ducens ad absurdum.

Pri-

Primum quod assumitur est, impossibile est falsum non idem denotare: nam falsum est latius, omne enim impossibile est falsum non cōtra, impossibile enim remouet esse & facultatem, falsum autem solum aufert esse.

Alterum quod assumitur est, impossibile & possibile, falsum & verum duplicia esse, vel absolute, vel ex suppositione: nam per suppositionem siue conditionem falsa possunt reddi vera & impossibilia, possibilia, & vice versa veluti cū triangulus sit præditus angulis tribus æqualibus duobus angulis rectis, si supponeremus trianguli duos angulos esse rectos, non amplius id verum esset.

Ex his elicitur, quod falsum absolute, & impossibile absolute, non idem sunt, sed falsum absolute est latius, vt exemplis declaratur.

Tertio accipitur quod non idem est supponere falsum & supponere impossibile, nam ex falso possibili non potest inferri falsum impossibile, vt ex minus falso magis falsum, quia tunc id magis, careret origine sui.

Quarto assumitur, quod eidem subiecto possunt competere potentiæ ad opposita, at non ita vt ea opposita simul recipere valeat, sed tempore distincto, nā opposita in eodem subiecto mutuo se repellunt. (Si itaque aliquid infinito tempore plurium habet facultatem, &c.)

Assumitur quinto, quod si aliquid infinito tempore potest plura, id non potest contingere tempore distincto, quia non dantur tempora infinita inuicem distincta, vt dantur distinctæ partes. (Quare si quid cum sit tempore infinito est corruptibile, &c.)

In hac sexta parte ex assumptis hæc aduersus Platonem formatur ostensio, per Platonem mundus semper erit, quia Dei voluntate & facultate seruabitur, & per eundem est sui conditione mortalis & præditus potestate vt non sit, supponamus eam facultatem redigi ad actum, id quod supponitur quamuis sit falsum, tamen non est impossibile per approbata a Platone, quare idem simul actu infinito tempore erit & non erit, hæc autem est contradictio non apta esse vera de eodem.

Collígamus itaque, omne quod semper est absolute esse incorruptibile & nō esse ex se corruptibile, ab alio autem seruari æternum, vt de mundo dixit Plato.

ANNOTATIONES.



ONSIDERO primo, quod cum dicatur eidem subiecto competere potētiam ad opposita, id subiectum potest esse duplex, vel proximum, vel remotum, vt potentiæ ad calorem & frigus possunt referri ad materiā primam & ad ignem, sæpe dum referuntur ad subiectū proximum, altera earum est violenta, vt ignis est potestate frigidus. *1. Consideratio.*

Insuper ea opposita ad quæ referuntur potentiæ vel carent medio, adeo vt altero eorum subiectum nudari non valeat, vel sunt prædita medio, saltem per negationem; Si fuerint primi generis, tunc vt actus ita potentiæ non valent simul eidem competere, veluti non valet numerus simul esse potestate par & potestate impar, & hoc oritur non ex conditione potentiæ, sed subiecti, quod non valet altero oppositorum nudari: at dum opposita sunt prædita medio, vel secundum formam vt album & nigrum, vel per negationem vt virtus & vitium tunc potest subiectum simul includere potentiam ad opposita, vt viride ad album & nigrum, & puer ad virtutem & vitium.

Considero secundo, quod cum dicitur aliquid includere potentiam ad semper esse, oportet vt semper sit, nam potentia supponit subiectum, ideo iure si supponamus quod nō sit, sequitur vt simul sit & non sit, & præsertim, quia duo tempora infinita distincta in quibus potentiæ valent ad actum redigi non dantur, *2. Consideratio.*

tur,

tur, ideo est necesse, vt illæ potentiæ ad idem tempus infinitum referantur.

3. Considera tio. Considero tertio, quod cum sententia quam profert, tum ratio qua Arist. vtitur, dubitatione non careant, ordiar a sententia quæ est, eidem non potest competere simul potentia vt semper sit & semper non sit, æternum ex vna parte, est æternum ex altera, mortale ex se nõ potest ab alio seruari æternum, omne quod semper est, absolute est incorruptibile.

Aduersus hæc variæ afferuntur instantiæ, quarum prima ex motu sumitur, cui opponitur quies, qui cum possit desinere, tamẽ a motore seruatur æternus: insuper animæ creatæ cæperunt esse, cum tamen sint æternæ; præterea solus Deus est quod ex se est, cæteris non repugnat non esse, cum tamen nonnulla seruentur æterna, adeo vt ex se sint contingentia & ab alio ex quo pendent reddantur necessaria.

Insuper potentiæ & priuationes particularium formarum semper in materia præfuerunt & tamen in ortu earum formarum desinent esse.

Diluuntur instantiæ. Has & similes alias obiectiones per principia Peripatetica ita diluendas puto, prima sumpta ex motu diluitur, quia vt dixi in præcedentibus, motui proprium & internum æuum non competit, sed vt tam diu seruetur habet a motore & mobili, ex quibus pendet; pro eius esse & mora motus non dicitur præditus interna potentia vt sit, vel non sit semper, sed solum dicendum est, quod ei neutrum repugnat.

Sumebatur secũda instantia ex anima, quæ seruatur semper cum tñ non semper fuerit, sed definito aliquo principio tẽporis fuerit creata: quæ soluitur, hanc veritatem Arist. non fuisse notam, cum eum latuerit creatio. Ea quæ per Physicam generationem incipiunt esse, etiam desinunt, ratio est, quia prodeunt & pendent ex materia, quæ vt legitur 9. Metaphysicæ Contex. 17. est fundamentum potentiæ & origo contradictionis ipsius esse & non esse, creatis hoc non competit, quia ex materia non prodeunt, hinc elicitur quod ex sententia Theologorum id quod producitur potest esse immortale, non autem per concessa & nota Philosopho vires naturæ consideranti.

Instabatur tertio, quod præter Deum cuncta sui absoluta essentia sunt contingentia, quibus non repugnat nõ esse, cum ex Deo pendeant; & dempto quod pendeant pereunt, hinc legitur nono Metaphysicæ quod nisi essent substantiæ abiunctæ nihil esset; respondeo non considerari modo, quo pacto res ex Deo pendeant, sed propriam earum conditionem ex internis principiis prodeuntẽ: Si autem etiam de modo loqui volumus quo cuncta pendent ex Deo, dicendũ est, Theologos, Academicos & Peripateticos de hoc consentire, cuncta pendere ex Deo, dissentire autem de modo, recte noscunt Theologi, Deum extrinsecus libere penitus operari, & solum necessario per suppositionem, quia ab æterno ita agendum prædefiniuit; Peripatetici autem aiunt Deum esse ipsum necesse esse, mundum autem sequi Deum quadam naturæ necessitate, vt vmbra sequitur corpus, & radii sequuntur solem: id autem quod absoluta necessitate naturæ ex absolute necessario pendet, absolute necessarium iudicari meretur. De potentijs autem & priuationibus materiæ, iam in præcedentibus sum loquutus quæ non repeto.

Alia instantia. At adhuc obiiciuntur nonnulli, quia vt generabile se habet ad generationẽ, ita corruptibile ad corruptionem, at non ita gigni possent quæ non gignentur, quare multa poterunt interire, quæ non interibunt; *Solutio.* pro solutione dico, primo rationes sumptas ex analogica oppositione vim habere in attinentibus ad oppositionem non ad esse absolute: respondeo secundo, ea non esse penitus similia, quia corruptibile actu intrinsecus includit principia necessaria pro interitu, non sic generabile suæ generationis, sed solum principia remota & facultatem, quæ pro ortu non est satis; & non est absurdum nonnulla ad indiuidua attinentia reddi inania non autem attinentia ad species.

4. Considera tio. Considero quarto, quod vt dubia apparuerunt attinentia ad conclusionem, ita attinentia ad rationem, non minus dubia esse videntur.

Argu-

Argumentabatur Aristo. quia si id quod semper est præditum esset facultate vt semper non esset, si supponeretur quod non esset, sequeretur quod simul in finito tempore esset & non esset, nam id. vt apparuit, non potest referri ad distincta infinita tempora, & vt includunt potentiam ad esse semper nisi redigatur ad actum est necesse vt sit semper, similiter de opposita potentia loquendo; quare supposito possibili simul, idem erit & non erit. *Instātiæ aduersus rationem.*

Hec ea sunt, per quæ potest ea ratio probabiliter defendi, verum vt ingenue fatear quod sentio, puto dicendum rationem illam iure dici per communia & Dialecticam, absolute autem non cogere, sed solum formatam vt excitarentur, & pararentur ingenia pro ostensione Physica & magis cogente: nam cum Aristot. dicat, supponamus quod non sit &c. dico quod esse & nō esse mutuo se expellunt, ideo supponere id quod semper est tunc non esse, est supponere penitus impossibile, non autem falsum solum, veluti cum Plato in quem inuehitur Aristo. dicat mundum mortalem seruari æternum voluntate Dei, facile vitaret vim huius rationis, diceret enim, si supponimus illum interire, remouebimus ab eo quod seruetur, ac ita non erit penitus, non autem simul erit & non erit, veluti si Deus animam immortalem vellet in nihilum redigere, ea non simul erit & non erit, sed absolute non erit: nec mundus ita dicebatur a Platone præditus potentia, vt semper sit & non semper sit, vt simul actu ei vtrumque competeret, sed vel vnum vel alterum, & si vnum non alterum.

Cont. CXXI. & CXXII.

Simili modo & ingenitum, nam si esset genitum, posset aliquo tempore non esse, nam corruptibile id est, quod prius est, nunc non est, aut potest postea non esse genitum vero, quod prius non erat: At nullum est tempus, in quo id quod semper est valeat non esse neque finitum neque infinitum, nam finito quoque tempore posset esse, si posset infinito. Non itaque contingere potest vt idem valeat esse semper & semper non esse.

At vero neque negatio de eo vera esse potest, veluti non semper esse, quare fieri non potest, vt aliquid sit semper & sit corruptibile, similiter nec genitum contingit id esse; nam duorum terminorum si posterior non potest esse sine primo, si ille esse non potest, neque posterior poterit esse, quare si id quod semper est non valet aliquando non esse fieri nequit vt genitum sit.

Quoniam negatio eius quod semper esse potest ea est, quod non semper esse potest, quod aūt semper potest non esse cōtrarium est, cuius negatio est nō semper potest non esse, necesse est negationem amborum eidem competere, & medium eius quod semper est & semper non est, esse id quod potest esse & non esse, nam vtriusque & negatio quandoque existet, si non semper sit. Quare id quod non semper non est, erit quandoque, & quandoque non erit, & quod non semper potest esse, quandoque est, ita vt & non sit. Idem igitur poterit esse & non esse, quod est medium amborum.

ARIST.



RIST. disputans aduersus Platonem patefecit semper ens incorruptibile esse, nunc vero pro latiore & exactiore suæ sententiæ explicatione intentio eius est ostendere, semper ens etiam esse ingenitum, adeo vt incorruptibile & ingenitum inuicem reciprocentur, veluti etiam corruptibile & genitum. *Intentio.*

Diuisio. Diuiditur autem vniuersus hic Contextus in quattuor partes quæ in earum explicatione patebunt.

In prima proponitur hæc conclusio, vt semper ens est incorruptibile, consimili ratione idipsum est ingenitum; ratio ita formatur. *Ratio.*

Quod non potest aliquando non esse non est genitum, semper ens non potest aliquando non esse; Quare non est genitum. Maior patet, quia genitum prius non fuit; minor etiam patet ostensione præcedente, quia simul esset & non esset. (At nullum est tempus &c.)

In hac secunda parte de eo quod semper est colligitur, non esse verum contrarium, quod est semper non ens, neque etiam hoc aliquando non ens, quia nullum datur tempus neque infinitum neque finitum, in quo semper ens non sit. (At vero neque negationem &c.

Ostenso quod de eo quod semper est non est verum contrarium, infertur in hac tertia parte, quod longe minus est vera negatio, quæ est non semper ens, ex quo elicitur, non posse aliquid esse semper & esse corruptibile, similiter non potest id esse genitum, vt etiam in principio Contextus dictum fuit, & ostenditur regula ex se conspicua quæ est, duorum quorum posterius non est sine priori, cui non competit prius non potest competere posterius, vt non potest esse homo nisi sit animal: supposita hac regula hæc formatur ratio, omne genitum debet aliquando non esse, semper ens non potest aliquando non esse, igitur semper ens est ingenitum. (Quoniam negatio eius quod semper esse potest. &cæt. *Regula.*


Hæc est pars quarta in qua intentio Aristotelis est ostendere, non semper ens & non semper non ens, quæ mediantur inter esse semper & non esse semper vera esse de eodem; hæc autem sunt genetabilia & corruptibilia, quæ cum inuicem reciprocentur, sequitur nec ingenitum esse corruptibile, nec incorruptibile esse genitum; patet itaque semper ens esse ingenitum & incorruptibile, & omne genitum esse corruptibile & vice versa.

ANNOTATIONES.



Cõsideratio. ONSIDERO hoc loco declarari in lib. de interpretatione in modalibus negationem & affirmationem attendi penes modum, adeo vt semper ens, & semper non ens ambæ sint affirmatiuæ, quarum secunda dicitur affirmatiua ex verbo negato, quarum negationes sunt, non semper ens non semper non ens, primæ inuicem dicuntur opponi oppositione contraria, quia contrariarum seruant conditionem, aliæ duæ dicuntur sub contrariæ & mediæ, & opponuntur primis oppositione contradictoria, vt patet ex hac distributione.

Semper



Regula contrariarum est, vt de eodem non valeant esse ambæ veræ, ambæ autem falsę esse possunt; dum de eodem ambæ sunt falsæ, sub contrariæ de illo sunt ambæ veræ, dum de aliquo vna contrariarum est vera, de illo nec contraria nec contradictoria vera est.

Ex his regulis elicio primo de eo quod semper est, non esse veram contrariā, quæ est, semper non ens, non enim valent esse de eodem veræ.

Elicio secundo de eo non esse veram negationem, quia est eius contradictio, & ob id semper ens nec generabile, nec corruptibile dici potest.

Elicio tertio cum de generabili, & corruptibili ambæ contrariæ sint falsæ, quod de eo ambæ subcontrariæ necessario veræ sint, quæ etiam mediæ nuncupantur.

Ex his refulget vniuersa Aristotelis sententia.

At dicet aliquis; Arist. in libro de interpretatione numerans modos, quibus enunciationes redduntur modales, numerat possibile, impossibile, necessarium & contingens de ipso semper mentionem non facit, respondeo Arist. tunc capita & modos principales considerasse, qui sequuntur conditiones præcipuas rerum: at præter ea capita dantur modi innumeri minus principales de quibus eædem regulæ veræ sunt. *Dubitatio. Solutio.*

Cont. CXXIII. & CXXIV.

R*atio autem vniuersalis hæc est, sint A. & B. huius conditionis, vt nulli eodem possint competere, de omni tamen veræ sint vel A. vel C. & vel B. vel D. necesse est de quo nec A. nec B. vera est de eo esse vera C & D. Sit itaque E. medium inter A. & B. id cui neutrum contrariorum competit, medium est, cui necesse est vt ambo insint C & D. Quod patet, quia de quolibet dicitur vel A. vel C. quare cum ipsi E. non competat A. necesse est vt competat C; & simuli ratione ostenditur, quod ei competat D.*

Illud itaque quod semper est, nec generabile est, nec corruptibile, nec semper non ens, quare si genitum est vel corruptibile minime est æternum, simul enim posset semper esse & non semper esse, quod fieri non posse ostensum est prius.

ARI-



RISTOTILES de eo quod semper est & de generabili & corruptibili varia diuisim protulit, ideo intentio eius modo est ea in pauca redigere, nectere & in ordine distribuere.

Intentio. *Diuisio.* Diuiditur contextus in duas partes, in prima formatur vniuersa ratio; In altera colligitur concl. vis rationis prodit ex regulis contrariorum, subcontrariorum & contradicentium, & est conspicua per ea quæ in præcedentibus retuli, propterea illa non repeto.

Conclusio etiam est conspicua & est, id quod semper est, nec gigni nec interire potest, ac ita de eo nec contradictio vera est, neque contraria quæ dicebatur, semper nõ ens; hinc per contrapositionem infertur, siquid est generabile, vel corruptibile, id non est æternum, vt perperam Plato existimabat de mundo. Repetitur etiam ratio conclusionis; quia tunc idem simul tempore esset & non esset.

ANNOTATIONES.



1. Considera tio. ONSIDERO primo, quod hæc ratio dicitur vniuersalis, quia formatur per regulas Logicas quæ sunt vniuersales, & traditur per terminos communes non contractos, sed aptos ad libitum vnicuique applicari, hinc dicitur vniuersalis, vt contradistinguitur a ratione Physica per materiam contracta & mox formanda.

2. Considera tio. Considero secundo, quod, vt in præcedentibus dicetur, non sequi ex sententia Platonis, quod idem simul esset & non esset. Ita modo dico per eius principia solui hanc vniuersalem rationem, quia mundus semper est non sui natura, sed ex suppositione, quia seruatur a Deo, sui autem natura est solubilis & sic esse semper ex suppositione, & non esse semper sui natura & conditione, non pugnãt inter se, vt patet, veluti per nota nostris Theologis posset Deus sua immensa virtute, quoduis mortale seruare æternum; dicta ab Arist. vera sunt, dum referuntur ad vires naturæ, at non dum referuntur ad immensam virtutem Dei & modum operandi eius absolute liberum: Theologorum sententiæ proximior est opinio Platonis quam ea Arist.

3 Considera tio. *Dubitatio.* *Solutio.* Considero tertio, quod semper ens & semper non ens dicuntur contraria, quod in dubium verti potest, quia ambæ sunt affirmationes, & carent signo vniuersali, quod exposcunt enunciationes contrariæ: respondeo, ea includere contrarietatem requisitam pro modalibus, nam maxime distant, nec de eodem possunt esse vera, sed simul falsa, veluti de re generabili. Insuper sunt tanquam vniuersalia maxime distantia, quorum media sunt generabilia & corruptibilia & includunt vim vniuersalis, quoniam denotant omnia quæ semper sunt, vel semper non sunt.

Duæ instantiæ. At duæ occurrunt instantiæ, prima est, quia similiter possibile est esse, possibile est non esse essent contrariæ, cum tamen ambæ de eodem veræ sint: Insuper dubitabat Alexand. quia contraria debent sub eodem genere contineri, semper ens & semper non ens non ita se habent.

Solutio. Soluitur prima dubitatio, quia de possibili secus se habet, nam semper ens & semper non ens includunt vniuersitatem per signum semper, & maxime distãt, possibile vero nec vniuersitatem præsefert nec maxime distat, sed mediate dicitur & seruat conditionem particularium sub contrariarum.

Solutio. Altera instantia soluebatur ab Alexand. sumpta ex eo, quia contraria sub eodem genere continentur, quia id verum est de proprie sumptis contrarijs, non de illis quæ solum similitudine aliqua dicuntur contraria; insuper id est verum,

vt

vt dicebat Alexand. de rebus incomplexis & earum contrarietate, non de illa enunciationum.

Quarto loco conſidero, quod ex Ariſto. elicitur hæc regula, id de quo neutrum extremorum eſt verum dicitur eſſe medium, *4. Conſideratio.* quod duplici ratione videtur cum vero pugnare, primo, quia tunc omnia contraria eſſent prædita medio, *Dubitatio.* quia ſemper aliquid reperitur de quo neutrum extremorum verum eſt, cuius oppoſitum legitur in poſtprædicamentis. Inſuper punctum nec album nec nigrum eſt, cum tamen non ſtatuatur medium inter ea: Soluitur dubitatio, quia *Solutio.* medium eſt duplex, vel ſecundum formam, vel per negationem extremorum, *Duplex medium.* ſecundum formam dantur contraria carentia medio vt par & impar, per negationem vero extremorum cuncta contraria ſunt prædita medio, & de hoc medio modo eſt ſermo; ſic punctum eſt medium inter album & nigrum, nam oppoſitionum ſola contradictio ea eſt, quæ excludit omne medium, hinc definitur, quod ſit oppoſitio cuius non eſt medium ſecundum ſe, vt legitur in primo Poſteriorum, nam de quolibet dicitur eſſe vel non eſſe.

Quinto loco diluenda occurrit hæc dubitatio, quia Ariſto. eſt, generabile & corruptibile mediare inter ſemper eſſe & ſemper non eſſe, & de eo neutrum *5. Conſideratio.* extremorum verum eſſe, ſed ambæ eorum negationes, at contra conſidero id *Dubitatio.* generabile quod nunquam generabitur, nam multa reperiuntur talia, id eſt generabile, cum tamen ſemper non ſit, quare nec medium eſt, nec de generabili veræ ſunt ambæ negationes contrariorum.

Pro ſolutione dico primo, quod omne generabile generabitur niſi idē numero, ſaltem idem ſpecie; Addo ſecundo, generabile eſſe duplex, vel optatum a natura ex ſe, vel ex accidenti, ſpecies & indiuidua eius indefinite ſumpta ex ſe optantur, indiuidua vero contracta & definite ſumpta ſolum ex accidenti, nam etiam ſine eis ſeruaretur ſpecies, generabile quod nunquam generabitur eſt ex eorum numero quæ ex accidenti appetuntur, dum autem traduntur regulæ ea ſunt conſideranda quæ ſunt ſecundum ſe.

Dico tertio quod Ariſt. id generabile conſiderauit cui iunctus eſt actus, hinc iunxit generabile cum genito, & declarauit quid dicatur genitum, nam id generabile quod nunquam generabitur & ſemper non erit, ſolum denotat quandam non repugnantiam vt ſit, & relationem ad illud, cuius ſemina & proxima principia aliquando ſunt & aliquando nō ſunt, remota vero & communia ſunt ſemper, vt dixi in præcedentibus de potentijs materiæ & priuationibus.

Ariſtoriles itaque per ſemper non entia denotauit ea, quæ ſecundum ſe talia ſunt & eſſe non poſſunt, per generabilia uero ea, quæ ex ſe ſunt talia, cum quibus nectitur actus generationis, ideo iunxit generabile cum genito, & loquebatur de mundo aduerſus Platonem, qui illum ſtatuebat vt generabilem ita genitum, non ex accidenti, ſed ſecundum ſe, cum vnum ſit numero & ſpecie. Et hoc lùcidius patebit per proxime dicenda dum Ariſt. manifeſtabit quid denotet per voces quibus vtitur.

Contextus. CXXV.

QVare ſi quid eſt ingenitum & eſt, id eſt neceſſe vt ſit æternum, ſimile modo ſi incorruptibile eſt exiſtit autem, nuncupo autem ingenitum & incorruptibile ea, quæ proprie dicuntur; ingenitum quidem, quod nunc eſt & prius non erat verum dicere quod non eſſet, incorruptibile vero id, quod nunc eſt, & prius non eſt verum dicere quod non eſſet incorruptibile vero id quod nunc eſt, poſterius non eſt verum dicere quod non ſit: at ſi hæc mutuo ſe ſequuntur & ingenitum incorruptibile eſt, & incorruptibile ingenitum, neceſſe eſt vt æternum ſequatur vtrunque, adeo vt ſiquid

ingenitum fuerit id erit æternum, & siquid fuerit incorruptibile id similiter æternum erit.

Intentio.



ANIFESTAVIT Aristo. semper ens, semper non ens esse contraria nec posse de eodem esse vera, inter quæ contraria mediare dixit non semper ens & non semper non ens, quæ de eodem generabili & corruptibili simul vera esse possunt, modo uero intentio eius est ostendere, omne ingenitum esse æternum similiter omnem corruptibile æternum esse, adeo vt omne ingenitũ in sit incorruptibile, & vtraque sint æterna.

Diuisio. Diuiditur cont. in tres partes, in prima profertur conclusio in secunda explicantur voces; in tertia conclusio proposita explicatur.

Conclusio est, omne ingenitum est æternum, omne incorruptibile est æternum, & in græco profertur cum interrogatione dicendo, nonne igitur si ingenitum est &c. & ita loquitur, vt patefaciat hoc pendere ex declaratis & ex eis esse notum & ait ingenitum esse æternum, supposito quod sit, vt excludat inane, Chimeram & similia, quæ cum non sint genita, non tamen dicuntur æterna, & eadem suppositione vtitur loquendo de incorruptibili, nam chimera quamuis interire non valeat, tamen quia non est, non dicitur æterna. (nuncupo autem ingenitum & incorruptibile &c.) In hac secunda parte declarantur voces, ratio est, quia in præcedentibus declaratum est quod multipliciter vsurpantur, & ait se uti voce ingeniti & incorruptibilis in propria significatione, quæ etiam est communis & solum relata ad tempus, non autem contracta per modum, quo sit vel non sit, adeo vt ingenitum etiam excludat transitum ad esse sine propria generatione, quales competit tactui & motui.

Similiter incorruptibile etiam excludit transitum ad non esse sine proprio interitu. (At si hæc mutuo se sequuntur &c.)

In hac tertia parte explicatur concl. nam si ingenitum & incorruptibile inuicem reciprocantur & denotant esse semper, est necesse vt æternum sequatur vtrunque, adeo vt idem sit ingenitum incorruptibile, semper ens & æternum, vt idem est genitum, corruptibile & non semper ens, nec semper non ens.

ANNOTATIONES.



1. *Consideratio.* ONSIDERO primo, quod cum ingenitum, incorruptibile & semper ens reciprocentur, in eis tamen cõsideratur ordo aliquis, non quidem temporis, sed originis & naturæ, nam semper ens præcedit, tum quia affirmatio negationi & habitus priuationi antecedit, tum insuper, quia primo consideratur absolute natura & conditio rei, mox cętera subsequuntur, veluti, quia ex sententia Arist. conditio mundi est, vt semper sit, ideo sequitur, vt sit ingenitus; & cum sit ingenitus vt sit immunis ab interitu. Id ipsum est dicendum de non semper ente, nam quia eius conditio est, vt sit per definitum tempus, ideo ortui subijcitur, quem ortum sequitur interitus.

2. *Consideratio.* Considero secundo, quod cum Arist. dicat ingenitum & incorruptibile reciprocari, & æternum sequi vtrunque, explicat quid denotet nomine ingeniti & incorruptibilis & ait se denotare propriè talia, quæ cum sint, non ita se habent, vt de eis possimus dicere quod aliquando vel non fuerint, vel non futura sint, ex quo elicimus ex sententia Arist. nil posse esse æternum ex vna parte, quin sit æternum ex altera; & propterea quamuis noueri humanam mentem ab interitu

ritu esse immunem, non tamen nouit originem & creationem eius, nec valemus cum eo dicere, sententiam eius debere intelligi de proprie genitis, quia ipse semetipsum declarauit & asseruit, id solum dici ingenitum, quod semper fuit, adeo vt omne quod quouis modo cęperit esse, nomine geniti denotetur. *Arist. de hu mana mente absolutā veritatem noscere non valuit.*

Hinc inter semper ens & semper non ens vnicū constituit medium, quod est generabile & corruptibile, aliquando ens & generabile & corruptibile, aliquando ens & aliquando non ens.

Hæc est sententia Arist. solum naturæ vires considerantis, at nos lumine fidei illustrati, eleuati supra naturam noscentes immensam Dei virtutem & modum operandi eius absolute liberum & nullo egere, noscimus ex nihilo creasse mundum, & per creationem initium tradere humanis mentibus, & ob id inter semper esse & semper non esse, nedum mediare ea, quæ incipiunt esse & desinunt, sed etiam ea, quæ incipiunt esse cum tamen futura sint semper.

Considero tertio quod cont. vario modo exponitur, nonnulli putant Arist. proponere unam difficultatem eamque dissoluere dum ait, an si hæc mutuo se sequuntur &c. Alij, vt Ludouic. Boccaf. aiunt proponi duas difficultates, easque dissolui in sequenti contex. mihi tamen magis satisfacit tradita expositio quod Aristot. absolute proferat sententiam suam, sine distincta dubitatione & solutione. *3. Consideratio.*

Contex. cxxvj. cxxvij. & cxxviij.

IDipsum notum etiam est eorum definitione, necesse enim est si quid est generabile etiam corruptibile esse, nam vel erit genitum, vel ingenitum: at quia ingenitum supponit incorruptibile, etiam si quid fuerit genitum, necessario erit corruptibile; vel enim corruptibile erit, vel incorruptibile, si fuerit incorruptibile, ingenitum supponatur, si autem non se vicissim consequuntur incorruptibile & ingenitum, non est necesse neq; ingenitum neq; incorruptibile æternum esse.

Quod autem necessario se consequantur ex his patet, nam genitum & corruptibile mutuo se sequuntur, vt patet ex prius dictis, medium enim inter semper esse & semper non esse id esse dicitur, cui neutrum competit, hoc autem est genitum & corruptibile, vtrunque enim definito quodam tempore potest esse & non esse. Dico autem vtrunque & esse quanto aliquo tempore, & non esse.

Si igitur aliquid est genitum vel corruptibile, necesse est hoc intermedium esse, sit enim A. semper ens, B. vero semper non ens, C. genitum, D. corruptibile, necesse est. C mediare inter A. & B. horum enim nullius temporis terminus est, in quo vel A. non erit vel B. erat, at genito necesse est vel actu vel potestate conuenire. A. vero & B. neutro modo, quanto igitur quodam & terminato tempore C. erit & rursum non erit, similiter modo se habet de D. corruptibili, quare vtrunque genitum erit & corruptibile, se enim mutuo sequuntur generabile & corruptibile.

Intentio vniuersæ disputationis.



NTENTIO principalis Aristotelis in vniuerso huius disputationis progressu est aduersus Platonem statuentem mundum genitum & incorruptibilem patefacere, quod cum mundus sit incorruptibilis, etiam debet iudicari ingenitus, & propterea ostendit ingenitum & incorruptibile reciprocari, & æternum sequi vtrumque, & similiter genitum & corruptibile mediare & mutuo se sequi.

Intentio præsentis Cont. In præsenti autem Contex. intentio eius est, eam et confirmare; & præsertim quod genitum & corruptibile inuicem reciprocentur.

Diuisio. Diuiditur Contextus in tres partes, in prima ostenditur reciprocatio geniti & corruptibilis per notitiam vocum & comparationem cum ingenito & incorruptibili; in secunda id ipsum ostenditur per id, quia media sint, in tertia per communes terminos manifestatur quomodo media sint.

Ratio. Quod pertinet ad partem primam formatur hæc ratio; omne incorruptibile est semper nullum genitum est semper, igitur nullum genitum est incorruptibile. Insuper omne ingenitum est semper, nullum corruptibile est semper, igitur nullum corruptibile est ingenitum; ex quo elicitur, genitum omne esse corruptibile, & quia hæc ratio supponit reciprocationem ingeniti & incorruptibilis, & consequutionem æterni, ideo Arist. in secunda parte hoc confirmat & id facit patefaciendo quod genitum & corruptibile mediant inter semper esse & semper non esse, & cum de medio neutrum extremorum dicatur de genito & corruptibili, nec semper esse nec semper non esse dici poterit, & ob id omne genitum cum non sit, semper est corruptibile; & omne corruptibile cum non sit, semper est genitum. Quomodo autem media sint per communes litteras, explicatur & notum est.

ANNOTATIONES.

1. Consideratio.



RISTO. primo considero, quod ait patere relatas reciprocationes ex definitionibus, & iure, nam definitiones sūt media, per quę ostēduntur affectiones de re definita, traditæ aūt definitiones erant explicationes vocum geniti ingeniti corruptibilis & incorruptibilis.

2. Consideratio. Regula 1. Altera. Considero secundo, quod formatur hæc regula, quę reciprocantur cum aliquo tertio reciprocantur inter se, ingenitum & incorruptibile reciprocantur cū æterno, quare & inter se.

Insuper datur hæc alia regula: dum reperiuntur duæ diuisiones de cunctis veræ, & duo membra earum reciprocantur adinuicem, necesse est, vt reliqua duo etiam reciprocentur: at omne quod est, vel est genitū, vel ingenitum, vel corruptibile vel incorruptibile; & omne genitum est corruptibile, igitur etiam omne ingenitum est incorruptibile, & vice versa.

3. Consideratio. Circulus. Considero tertio, quod Arist. vtitur circulo reiecto in primo Poster. nam in Contex. 126. ex mutua reciprocatione ingeniti & incorruptibilis, infert conuersionem geniti & corruptibilis, mox contra ex conuersione geniti & corruptibilis infert conuersionem illorum.

Solutio. Soluitur hæc dubitatio, primo dicendo, quod hæ non sunt exactæ ostensiones, sed elucidationes per mutuam relationem & vocum explicationem, vt appareat eorum consensio.

Addo secundo id, quod dicebatur ab Alexand. referente Simplicio in 2. libro de Cœlo Cont. 39. & approbatur ab Auer. in eodem secundo de Cœlo Cōtex. 51. & modo aliquo hoc in loco Cont. 27. & est quod dum vtimur circulo,

ita

ita tamen vt vtramque partem distinctis & proprijs rationibus comprobemus, id non est absurdum, quia vim recipit ostensio per superaddita & propria media, sic Arist. seorsum de vtrisque reciprocationibus multa dixit.

Quarto considero, quod Arist. videtur formare consequutionem quandam apprime dubiam, nam ex eo quod genitum & corruptibile media sunt inter ingenitum & incorruptibile infert, quod inuicem reciprocentur & de eodem sint vera, quod tamen non videtur approbandum; nam rubeum & viride mediant inter album & nigrum, cum tamen nec vicissim reciprocentur, nec de eodem dicantur: de hac difficultate varij varia dicunt, ait Auerr. id non esse verum de omnibus medijs, sed de generabili & corruptibili quod patet inductione certiore ex parte nostri omni demonstratione; & reciprocatio ex eo pendet, quia nil æternum ex vna parte, quin sit æternum ex altera. Simplicius ex sententia Alexandri & propria varia dicit, & consentiunt omnes, hoc non esse verum de omnibus medijs, sed de his ob propriam quandam eorum conditionem. *4. Consideratio.* *Dubitatio.* *Solutio.* *Auer.* *Simplicius.*

At dimissa relatione eorum quæ dicuntur ab alijs, dico breuibus, medium esse duplex, vel ex natura rerum, vel ex parte temporis, genetabile & corruptibile sunt media ex parte temporis, vt patet ex earum definitione, quia earum est definitum tempus, & mediant inter semper esse, & semper non esse, ea autē quæ aliquando sunt, & aliquando non sunt dicuntur generabilia & corruptibilia; hinc Arist. dicebat ex definitionibus hæc elici posse, quibus quid voces denotent manifestatur. *Propria solutia.*

Considero quinto, quod Arist. ait genitum & corruptibile definito quodam tempore posse esse & non esse, dico autem vtrumque & esse quanto aliquo tēpore & non esse: Verum cum hoc dicat, quod genitum definito aliquo tempore sit, satis constat, latet autem quod definito tempore non sit, nam ante ortum infinito tempore non fuit & post interitum non erit, similiter tempore infinito: hæc dubitatio non est leuis. *5. Consideratio.* *Dubitatio.*

Respondebat Alexander, quod tempus ipsius non esse absolute terminatum & definitum non est, sed solum secundum aliquid quatenus terminum recipit in principio ipsius & fine eius; hinc de eo non valemus dicere, quod infinito tempore non fuerit, quia aliquando fuit. *Alex.*

At hæc solutio est dubia, quia etiam reuolutiones Cœli præteritæ terminum recipiunt ab hodierna, cum tamen absolute dicantur infinitæ, similiter & futuræ; Præterea si id tempus inspiceremus, in quo generabile non est, possemus dicere dari generabile quod nunquam esset, ac ita non daretur tempus definitum ipsius non esse eius, veluti ipsius non esse rei generabilis, quæ non generaretur. *Euersio.*

Insuper addebant pro solutione primo Alexander mox Simplicius, quod generabilia & corruptibilia sunt duplicia, vel simplicia, vel mixta, simplicia inuicem contraria inuicem permutantur, & cum intereunt partes, non infinito tēpore non sunt, sed necessario calida cum peteant reficiantur, & non infinito tēpore non sunt: Sic seruantur quattuor Elementa eadem; de mixtis dicebat Alexander, id non esse necessarium, quia mixtum dum interit in varia resolui potest, adeo vt illud nunquam redeat.

At dicebat Simplicius etiam de mixtis id contingere, quia superest materia æterna, in qua per successionem formæ eædem nisi numero, vt Elementorum, saltem specie reficiuntur.

At hoc leuissimum puto, quia neque mixta neque Elementa eadem numero reficiuntur, nam Elementa variantur per partes, quæ eædem numero refici nequeunt, vt etiam mixta, at si speciem consideramus, ea semper est, nec datur definitum tempus, in quo vel sit, vel non sit, ideo hoc ad rem non facit. *Euersio.*

Propterea longe secus dubitationem diluēdam puto: Patefecit Philosophus potentiam mēsurari per maximum quod pōt, impotentiā per minimum quod nō pōt, conseruatio rei pertinet ad potētiam, ac ita rerum est definitum & proprium æuum; Interitus vero ad impotentiam, ac ita datur tempus minimum, in quo esse non potest, veluti diceremus, Platonem posse viuere cētum annos, *Solutio propria.*

O 3 non

non posse autem viuere centum & vnum, ac ita definitum est tempus ipsius esse & non esse; tempus autem infinitum, antecedens, vel sequens considerari non debet, quia tunc generabile & corruptibile nihil est & pro nihilo derelinquitur.


6. Consideratio. Sexto loco considero, quod Arist. in Contex. 128. dixit semper entis & semper non entis non dari tempus aliquod in quo id non sit, & hoc sit, de genito secus se habet, necesse est enim quod vel actu, vel potentia detur definitum tempus, in quo sit & rursus non sit.

Dubitatio. Dubitatur cur id addat, vel actu vel potentia, nonne actu & absolute ei semper respondet tempus definitum, quod sit mensura eius?

Solutio. Respondeo iure illud addi, quia id tempus & ea mensura ad actum dicitur redacta dum definit esse potestate vero antequam perierit & æuum absoluerit, & semper Arist. id definitum tempus refert ad genitum & id quod est, quia ex eo patet definitum tempus impotentiæ & non essendi, vt nuper patefeci. Simplicius longe secus hoc exponit, quem missum facio. Posset etiam id actu referri ad ea, quæ genita sunt, potentia vero ad nondum genita.

Contextus CXXIX.

Sit itaque in quo E. ingenitum, in quo F. genitum, in quo G. incorruptibile, in quo H. corruptibile. Quod F. & H. se inuicem sequantur ostensum est, quando itaque ita sunt dispòsita, vt hæc veluti F. & H. mutuo se sequantur E. vero & F. nulli eidem competant, quodlibet tamen sit alterum horum, similiter autem & G. H. necesse est & ipsa E. G. mutuo se sequi. Dicatur quod E. non sequatur G. id sequetur F. quodlibet enim est vel E. vel F. At vero & H. sequitur ipsum F quare G. sequetur H. at supponebatur impossibile id esse. Eadem quoq; est ratio, quod G. sequatur E. Sed ita se habet ingenitum in quo E. ad genitum in quo F. vt & incorruptibile in quo G. ad corruptibile in quo H.



Varia dixit Arist. de mutua reciprocatione geniti & corruptibilis, similiter ingeniti & incorruptibilis, quæ modo per communem regulam Logicam ita confirmat: Cum fuerint duo termini oppositi ita se habentes vt ambo simul eidem non competant, sed de quolibet verus sit alter eorum, & similiter duo alij si terminus vnius oppositionis, reciprocatur cum termino alterius, necesse est, vt etiam reliqui duo termini inuicem reciprocentur.

At ingenitum & genitum, incorruptibile & corruptibile, sunt duę oppositiones

nes eo modo se habentes, & generabile reciprocatur cum corruptibili, quare & ingenerabile cum incorruptibili, quod autem hoc sequatur, ostenditur ab Aristotile ducendo ad absurdum, vt conspicuum est.

ANNOTATIONES.



ONSIDERO primo, quod cum dentur duæ reciprocationes ad rem facientes, ea quæ attinet ad genitũ & corruptibile est nobis notior altera, cum nobis mortalia sint notiora æternis & priora, quamuis absolute contra se habeat, ideo iure Aristo. hanc conuersionem sumit pro antecedente inferendo alteram. *1. Consideratio.*

Considero secundo, regulam illam in dubium reuocari posse per regulam contrariorum & subcontrariorum, quæ subcontraria opponuntur per contradictionem contrarijs, adeo vt alterum oppositorum de quolibet verum sit, mox subcontrariæ de eodem subiecto possunt esse simul veræ cum tamen membra duo reliqua contraria nunquam sint simul vera, veluti si dixero, omne ens ingenitum, non omne genitum, nullum ens ingenitum nonnullum ingenitum, subcontrariæ sunt simul veræ non autem cõtrariæ, sed ambæ falsæ sunt, quod etiam parere potest exemplis varijs. *2. Consideratio. Dubitatio.*

Respondeo, quod aliud est dicere ambo esse vera & inuicem reciprocari, subcontraria possunt esse ambo vera, at non ob id reciprocantur, nam quoddã esse ingenitum, quoddam non ingenitum simul sunt vera ob varietatem partium subiecti, in quibus nulla reciprocatio locum habet, adeo vt secus se habeat de oppositionibus terminorum, & de vero & falso oppositionum enunciationis. *Solutio.*

Considero tertio, quod regula, qua vtitur Arist. est similis regulæ, quæ dicitur a commutata proportione, dum dicimus vt primum ad secundum, ita tertium ad quartum, quare a commutata proportione vt primum ad tertium, ita secundum ad quartum, nam dicam vt genitum ad ingenitum, ita corruptibile ad incorruptibile, quare vt genitum se habet ad corruptibile, ita ingenitum ad incorruptibile, sed genitum reciprocatur cum corruptibili, quare & ingenitum cum incorruptibile. *3. Consideratio.*

Contextus CXXX.

DIcere autem quod nil prohibeat genitum aliquid esse incorruptibile, & ingenitum corrumpi, cum semel insit in hoc generatio, in hoc autem interitus, est destruere datorum aliquid, nam vel infinito vel quanto quodam terminato tempore cuncta possunt vel efficere, vel pati, vel esse, vel non esse, & infinito etiam tempore, quia infinitum quoque modo aliquo definitum est, cum sit id quo non est plus; quod vero vna ex parte infinitum est, nec infinitum nec terminatum est.

VER-

Continuatio. 
ERSATVS est prolixe Aristo. in ostensione mutuæ reciprocationis geniti & ingeniti, corruptibilis & incorruptibilis, & quia id præsertim fecit pro euersione opinionis Platonis, ideo intētio eius modo est, ea quę declarauit tanquam elaborata tela in prolata & approbata a Platone dirigere. *Intentio.* Concedebat Plato genita posse seruari æterna, veluti mundum, & ingenita interire, veluti ea, quæ prius inordinato motu agitabātur, adeo vt generatio ordinati mundi sit interitus antecedentis agitationis inordinatæ Elementorum; *Ratio.* Ratio autem ita formatur, omnis potentia & impotētia mensuratur per maximum aliquod definitum & minimum, quod solum vna ex parte semper est, vel nō est per nullum horum mensuratur, quare ad nullam potentiam vel impotentiam pertinet & penitus est excludendum. Maior patet ex definitione & mensura potentiæ & impotentiæ; minor etiam patet, quia vna ex parte infinitum, nec finitum nec infinitum dici potest, nec potest assignari mensura certa eius.

ANNOTATIONES.

1. Consideratio. 
VOD libenter Aristo. inuehitur in Platonem primo considero tunc enim temporis maxime florebat fama & splendor eius, inuidia autem alta petit, & qui sublimiora superat, etiam minus sublimia vincere dicitur, quia vis mensuratur per maximum quod potest.

2. Consideratio. Alex. Considero secundo, quod Arist. ait, per opinionem Platonis euerti datorum aliquid; at quæ sunt ea, quę euertuntur? dicebat Alexander esse mutuas reciprocationes eorum terminorum, at hoc non satisfacit, quia illæ reciprocationes sunt ostensæ, non datæ, propterea *Simplicius.* melius est cum Simplicio dicere, quod sint descriptiones potentiæ & impotentiæ, & mensuræ per maximum & minimum, vt statim declarat Aristo. manifestans singulorum quattuor definitam esse temporis mensuram, & soluet instātiam de mensura semper entis & semper non entis, siue ingeniti & incorruptibilis.

3. Consideratio. Dubitatio. Considero tertio, quod Arist. & cum vero & secum pugnare videtur, primo cum vero inquiens, tempus infinitum modo quodam definitum esse, at sic oppositum diceretur de opposito; mox pugnat secum inquiens, infinitum id esse, quo nil plus est, quam descriptionem reijcit in tertio Physicorum, ita enim mūdi moles infinita esset, & eo loci ait, infinitum debere circumscribi quod sit id, in quo semper est aliquid vltra accipere, per quam descriptionem manifestatur quod non sit aliquid definitum.

Solutio. Respondeo infinitum esse definitum & terminatum intelligi posse dupliciter, vel suo principio & fine, vel sua natura & conditione, non est definitum primo modo, sed secundo, nam definitum est ad esse semper & ad id quod ei nil addi vlla ex parte possit, quorum neutrum cōpetit infinito vna ex parte solum, quod nec finitum, nec infinitum absolute dici potest.

Addebatur quod Aristo. secum pugnat in circumscriptione infiniti, respondeo dum dicimus infinito nil plus esse, vel nil maius, hoc esse verissimum & approbatum ab omnibus, at nō esse satis Arist. id accipit quod ab omnibus est approbatum dimittens alterum, quod sibi non inseruiebat.

4. Consideratio. Considero quarto, quod etiam infinitum vna ex parte videtur esse definitū, nam eius conditio est, vt præditum sit principio sine fine, veluti futuræ Cœli reuolutiones, vel contra vt præteritæ, ita eius vna definitio dari potest, quæ cum eo reciprocetur, sic re vera anima creata a Deo prædita est principio temporis

cum

cum tamen careat fine; profecto hæ Arist. sunt rationes probabiles, at non exactæ ostensiones.

Ideo probabiliter dico id vna ex parte infinitũ non esse aliquid definitũ, quia nec finitũ est nec infinitum, nec termino circumscriptũ, necnon circumscriptũ, nec semper ens, nec semper non ens, nec præditum est definito tẽpore pro suo esse, neque pro suo non esse. Cum aũt naturæ rerum certæ definitæ & terminare sint etiam definito æuo definitisque mensuris definiri debent, & cum sit natura vna non apparet ratio varietatis, quod vna ex parte sit finita, non ex altera, nã vel subijcitur tempori vel non, si subijcitur debet ab eo omni ex parte terminari, si vero non subijcitur nulla ex parte terminabitur.

Contextus CXXXI.

PRæterea cur magis in hoc signo quod prius semper erat corruptum est, vel quod infinito tempore non erat genitũ est? Si enim nulla est ratio cur magis in hoc, quam in alio, & signa sunt infinita, erit quippiam vt patet generabile & corruptibile tempore infinito, quare potest non esse tempore infinito, simul enim facultatem habebit ipsius non esse & esse, hoc quidem prius si corruptibile est, hoc autem posterius si generabile; Quare si posuerimus ea esse quæ possunt, simul opposita erunt.



OPINIONE Platonis reiecta ratione prima, quia non daretur definita mensura rei vna ex parte æternæ, reijcitur modo ratione secunda ducente ad hoc absurdũ, quod idem simul esset & non esset. Ratio autem ita formatur. Id de quo nulla est ratio quod incipiat vel de sinat esse in aliquo infinitorum signorum temporis, potius quam alio, potest in quouis eorum esse & non esse, infinita ex vna parte sunt huiusmodi, quare in quo uis signo temporis quæ infinita sunt, esse & non esse possunt: possibili autem posito, nullum sequitur absurdum, at hoc quod sequitur est absurdum, ideo tale id iudicari debet ex quo sequitur, id autem erat, quod in quouis infinitorum signorum temporis posset esse & non esse; Et præsertim, quia natura consimiliter operatur, & si adsit dissimilitudo operis eius, debet adesse ratio dissimilitudinis. *Ratio.*

ANNOTATIONES.



CONSIDERO primo, quod quãuis generatio & interitus exposcant tempus, quia non fiunt sine præcurrente alteratione, tamen genitum esse & corruptum esse, qui sunt termini præcurrentis alterationis considerantur in signis & terminis temporis, quæ infinita sunt & sui conditione indifferentia. *1. Consideratio.*

Considero secundo, quod ratio Arist. videtur valde leuis, nam similiter ego argumentabor, cum Plato prius infinito tempore non fuerit, & modo gignatur, nulla apparet ratio, cur potius modo quam signo alio temporis quæ infinita sunt, sit genitus, & transeundo ab indiuiduis ad species prodeuntes ex coitu animalium distinctæ speciei, de quibus Aristo. in libris de animalibus ait esse formatum adagium illud, semper noui aliquid affert Africa, illæ species *2. Consideratio.* *Dubitatio.*

prius

prius tempore infinito non fuerunt & valuerunt esse; si ratio Arist. vim haberet, similiter supposito possibili sequeretur, quod simul essent & non esset.

Solutio. Ego profectò rationem hanc Arist. nunquam iudicaui cogere, probabiliter tamen pro ea seruanda dicerem, de his assignari posse rationem varietatis, quia signata singularia ex accidenti optantur, & datur ratio cur tunc potius quam alio signo temporis genita sint, ratio autem sumitur ex proximo agente & patiente: Similiter orta ex distinctis speciebus ex accidenti optantur, & ratio quod tunc incipiant, sumitur ex fortuito concubitu eorum animalium; neq; horum conclusio est, vt prius infinito tempore non fuit, mox alio infinito sint, nam potentia ad esse & impotentia definitur per id maximum quo seruari possunt, & per id minimum quo non possunt, vt in præcedentibus patefeci.

Præterea secus se habet de vniuerso mundi ortu, secus de partibus eius, nam de partibus loquendo, si non gignitur vel interit vna, gignitur vel interit alia similis, at de mundo secus se habet.

Cont. CXXXII.

INsuper similiter & hoc in omni signo erit, quare infinito tempore vt non sit & sit potentiam habebit: At ostensum est id fieri non posse.



HAEC ratio est apprime iuncta antecedenti, adeo, vt Alexand. putauerit non distingui ab ea, sed id ipsum distinctius enunciari: melius tamen puto cum Simplicio dicendum, quod ab ea differt, quia per eam deducebatur ad hoc absurdum, quod idem in aliqua parte temporis simul esset, & non esset, modo vero ad hoc, quod in vniuerso tempore simul esset & non esset, quia similiter in omni signo temporis se habet.

At rectè nostri Theologi rationem varietatis noscũt depromptam ex diuina ratione & prouidentia, nam tunc mundus cæpit esse quando Deus eminenti prouidentia prædefiniuit esse creandum; & de solo Deo loquendo satis est pro ratione voluntas.

Contextus CXXXIII.

PRæterea si Potentia prior est actu, dabitur tempus vniuersum in quo ingenerabile erat non ens & fieri poterat tempore infinito, nam simul quidem non erat & includebat potentiam essendi (et) vt tunc non sit, & posterius tempore infinito.



DEDVCIT Arist. alio pacto ad idem absurdum, præaccipiens potentiam in eodem esse priorem actu, quo assumpto formatur ratio; si datur aliquid vna ex parte infinitum, id prius tempore infinito non erat, & præditum erat potestate, qua poterat esse, quæ si supponatur ad actum redigi, simul non erit & erit.

Potentia & actus possunt dupliciter considerari, vel absolute vel in eodem, dum considerantur absolute, antecedit actus, & ex actu pendent cuncta, & per actum potentia ad actum redigitur: at dum considerantur in eodẽ transeunte ex potentia ad actum, potentia antecedit, veluti in mundo ex senten-

tia

tia Platonis genito, prior est potentia actu, & cum tempore infinito prius non fuerit, semper in eius inordinata materia reperiebatur potentia ad formam mundi.

Contextus CXXXIV.


Praeterea aliter quoque redditur notum fieri non posse vt corruptibile aliquando non pereat, alioquin semper simul actu erit corruptibile & incorruptibile, quare simul poterit semper esse, & non semper; Perit itaque aliquando id quod est corruptibile, & si est generabile genitum est, potest enim genitum esse & non semper esse.



FFIRMAVIT constanter Plato, aduersus quem disputat Arist. &c. genitum omne esse sui conditione mortale, quod etiam de mundo dixit, addebat tamen illum Dei voluntate seruari æternum; propterea in Timeo in persona Genitoris mundi hæc protulit.

Dei Deorum, quorum ego opifex & Pater sum, hæc attendite, quæ a me facta sunt me ita volente non dissoluentur, nam omne quod iunctum est solui potest, at mali est, quod pulchre compositum est, recteque se habet velle dissoluere, propterea, quia geniti estis, omnino immortales & indissolubiles non estis, nec tamen vnquam dissoluemini, nec mortis fatum subibitis; voluntas enim mea maius præstantiusque est vinculum pro vitæ custodia quam nexus ille quibus fuistis tunc cum gignebamini colligati &c. His verbis affirmat Plato mundum genitum, suique conditione solubilem, seruari tamen æternum voluntate opificis eius, aduersus quam sententiam modo inuehitur Arist. manifestans fieri non posse quin corruptibile corrumpatur, & ita argumentatur; Si corruptibile nunquam periret sed æterno tempore seruaretur, tunc semper simul erit corruptibile & incorruptibile actu, & poterit semper esse & non semper esse, at hæc inuicem pugnant nec possunt eidem competere, quare absurdum est dicere corruptibile nunquam perire. *Sententia Genitoris mundi.*

ANNOTATIONES.



EQVVNTVR absurda quæ considero primo, hæc esse; primum est, quod idem simul erit corruptibile & incorruptibile, quæ cum sint duæ conditiones oppositæ inuicemq; pugnantes non possunt simul eidem competere, & ad hoc deduxit Aristot. Alterum est, quod idem æterno tempore actu sit, & simul sit corruptibile, sic exponebatur ab Alex. quod est absurdum, tum quia ea potentia esset inanis, tum insuper quia si supponeretur quod redigeretur ad actum, idem simul esset & non esset. *1. Consideratio.* *Quæ absurda.*

Considero secundo, quod Arist. ducens ad absurdum ait, semper simul erit actu corruptibile & incorruptibile, quæritur cur addat actu. *2. Consideratio.*

Respondeo iure addi quia opposita possunt simul eidem subiecto competere potestate, at non actu vt Plato potestate simul præditus est sedendi & standi, at non simul actu stare & sedere potest. *Dubitatio. Solutio.*

Sed dubitatur, quia corruptibile & incorruptibile videntur potentiam deno- *Dubitatio.*

tate

tare, quare potèrunt simul eidem actu competere: Respondeo eas non esse potentias ad opposita, sed esse potentiam & impotentiam, quæ inuicem pugnant & mutuo se repellunt.

Solutio.

3 Considera-tio. Considero tertio quod ratio Arist. non est insolubilis, quia tunc sunt duo vere opposita dum considerantur eodem modo & per relationem ad idem; at mū dus dicebatur a Platone mortalis sui natura, immortalis voluntate Dei, quæ non pugnant, veluti aliquid potest esse ex se possibile, impossibile vero ex suppositione, vt Plato ex se potest sedere, at supposito quod semper detineatur suspensus, non potest sedere.

4. Considera-tio. Quarto considero, quod Arist. ait in calce contextus, corrumpitur itaque aliquando id quod est corruptibile, & si generabile est, ortum est, potest enim genitum esse & non semper esse. Iure de corruptibili ait, quod aliquando corrumpitur, quia non potest corruptibile non corrumpi; de generabili vero non ait quod generabitur, quia potest indiuiduum generabile non gigni, at si reperitur, cum esse non possit nisi per generationem, de eo dicimus genitum esse, potest enim generabile genitum esse, non autem potest semper esse.

Cont. cxxxv. xxxvj. & xxxvij.

Licet autem ita quoque speculari, quod si aliquid genitum est, fieri nequeat vt seruetur æternum, vel cum sit ingenitum & prius semper fuerit corrumpatur: nil enim casu incorruptibile, vel ingenitum esse potest.

Nam quod casu & forte fortuna est, nec semper, nec frequenter est, seu factum est: quod autem tempore infinito est, vel absolute, vel in quodam tempore, seu semper seu frequenter existit.

Necesse itaque est ea quæ natura huiusmodi sunt, aliquando esse aliquando non esse; horum autem eadem est potentia contradictionis, & materia est causa ipsius esse & non esse, quare necessarium erit simul actu eidem conuenire opposita.



QVOD genitum & corruptibile, similiter ingenitum & incorruptibile reciprocentur, alia ratione ostenditur, quæ sic formatur, si daretur genitum quod seruaretur æternum, vel ingenitum prius semper existens, quod interiret, vel id eueniret casu & fore fortuna, vel natura: non casu, quia quæ fiunt casu sunt extra semper & frequenter, vt dicitur in secundo Phys. at ingenita fuere semper, similiter genita quæ seruantur æterna futura sunt semper, non itaq; casu ita se habent.

Quod autem neq; natura id eueniat ostenditur, quia contradictionis inter esse & non esse eadem fundamentum est potentia, & id fundamentum & causa est materia, ideo materiata & esse & non esse possunt, quare si quid eorum diceretur fuisse semper, vel semper fore, tunc idem simul posset & non posset esse semper, posset ex supposita aliorum opinione, non posset autem ob conditionem materiæ, quæ natura est, ob quam res possunt esse & non esse.

CON-

ANNOTATIONES.



ONSIDERO primo ex ratione Arist. luce clarius eli ci posse materiam Cœli & mortalium non esse eandē; nam si eadem diceretur vteret ratione Aristo. quia per materiam res possunt esse & non esse, quare si Cœlo eadem materia competeret, per eam Cœlum posset non esse, & cum sit ęternum non posset non esse, quare simul posset non esse & non posset non esse, nec satisfacit fuga dicentium per Cœli formam expleri potentiam & appetitum materiæ, quia materia nudari non potest sua natura & conditione, & præsertim, quia similiter posset a Platone solui ratio hæc, nam ipse dicebat mundum voluntate Dei seruari æternum. *1. Consideratio.*

Considero secundo, quod Arist. ait genitum seruari æternum, vel ingenitum interire aut euenit casu, vel per naturam; hæc distinctio non est vera de omnibus, primo non est vera de Deo, non enim Deus vel natura vel casu est bonus, iustus & omnipotens, sed solum de pendentibus ex causa aliqua, insuper etiam non est vera de omnibus ex causa pendentibus, veluti de his quæ prodeunt ex hominis ratione, non enim vel natura vel casu homo speculatur & prudens est, sed vniuerse vera est de illis, quæ ex materia generantur & ex ea constant, nam de his loquitur Arist. *2. Consideratio.*

Considero tertio, quod Arist. videtur nos decipere per fallaciam æquiuocationis, nam ait quæ fiunt casu, fiunt extra semper & frequenter, huiusmodi autem non est id quod ex vna parte est semper; æquiuocatio est conspicua, quia aliud est fieri semper vel frequenter, quod refertur ad varia quæ fiunt, aliud quod idem seruetur semper: nam monstra quamuis fiant raro, tamen dum gignuntur non minus seruari possunt, quam genita secundum naturam. *3. Consideratio. Dubitatio.*

Respondens dico, quamuis adsit inter ea aliqua varietas, tamen hoc est commune, vt facta casu nil firmi, nil certi nilque constantis includant, ea autem quę fuerunt vel futura sunt semper, quatenus talia sunt, includunt opposita. *Solutio.*

Quarto considero, quod dubia est sententia Arist. dicentis materiam esse originem contradictionis potentiarum quæ referuntur ad esse & non esse; nam humana ratio, hominisque libertas dicitur causa eius, vt patet ex nono Metaphysicæ & ex 8 Phys. cont. 8. Respondeo, potentiam ad opposita ad duplicem causam posse referri, nimirum ad materiam & causam efficientem, res quæ per naturam possunt esse & non esse, id eliciunt ex conditione materiæ & de his modo est sermo: Dum vero efficientes causas consideramus menti libertas competit & potestas efficiendi & non efficiendi opposita, de qua modo non est sermo. *4. Consideratio. Dubitatio. Solutio.*

Cont. cxxxviij. cxxxix. & cxl.

AT vero neque verum est dicere nunc, quoniam est anno priore, neque anno priore, quoniam nunc est: fieri itaque nequit, vt id quod aliquando non est, posterius æternum sit, habebit enim posterius & non essendi potestatem.

At non eius quod tunc non sit quando est, nam actu est, verum anno priore & elapso tempore, sit itaque actu id quod esse potest, erit itaque verum dicere nunc, quia est anno priore, at id est impossibile, nulla namque potentia respicit id fuisse, sed esse vel fore.

Simili modo, si prius semper fuit, posterius non est, habebit potentiam eius quod actu non est, quare si posuerimus id quod potest, verum erit nunc dicere, quia est anno elapso, & vniuerse tempore praeterito.



RGVENS Arist. eorum opinionem, qui dicebant dari ea quae solum vna ex parte essent aeterna, eos ducebat ad hoc absurdum, quod simul ea possent non esse ob materiam, non possent non esse, quatenus ea ex parte statuebantur aeterna, vel vice versa possent esse eo infinito tempore quo non sunt, ob materiam non possent esse ex eorum opinione qui aiunt, non esse tempore infinito. At pro aduersa parte respondebit aliquis, non sequi hoc absurdum, quia id quod modo est, potest non esse pro tempore antecedente infinito, in quo non fuit, &

Intentio. quod non est, potest esse pro tempore infinito, in quo fuit. Intentio Arist. in hoc cont. modo est euertere hanc solutionem, & formatur haec ratio, nulla potentia compe. ens subiecto respicit praeterita, sed solum praesentia vel futura, at per relatam solutionem potentia ad esse rei corruptae, quae prius infinito tempore fuit, & potentia ad non esse rei immortalis & genitae respicit praeterita, quare est reijcienda ex genere potentiarum, confirmatur euersio, quia si ponamus esse id, quod potest, de corrupto & prius tempore infinito praexistente erit verum dicere quod sit, quia prius infinito tempore fuit, & de genito incorruptibili erit verum dicere quod non sit, quia prius tempore infinito non fuit quod est absurdum; enunciatio enim de praesenti supponit pro praesenti, non pro praeterito, alioquin de Platone defuncto possemus dicere quod viueret, & de viuente quod non esset.

Dubitatio. Dubitatur, quia potentia omnis videtur respicere futurum, nulla praesens, quia actus & potentia pugnant & mutuo se expellunt; Arist. autem inquit, eam respicere nedum futurum, sed etiam praesens.

Solutio. Haec dubitatio soluitur ab Aristotele in libro de interpretatione dicente, potentiam esse duplicem, vnam ab actu seiunctam, alteram actui iunctam; nam de Platone ambulante dicimus quod potest ambulare & nisi posset ambulare non ambularet, ita motus est actus rei mobilis, vt mobilis, & anima est actus corporis potestate vitam habentis.

At instabatur, quia actus & potentia inuicem pugnant; respondeo potentia sumpta pro essentia subiecti & actus sumptus pro essentia formae non pugnant, sed ex eis secundum se fit vnum, vt dicitur in secundo de anima: pugnat autem potentia dum consideratur ex parte priuationis ei iunctae, qua consideratione dicimus, quod nil appetit id quod habet, quia eo non est priuatum, sed appetit conseruationem eius; nam possidet pro praesenti non autem pro futuro; sic amans dicitur appetere rem dilectam qua fruitur, vt ait Plato, quia appetit conseruationem respicientem futurum.

Contextus CXLI.


ET Physice quoque, non autem vniuersaliter speculantibus apparebit fieri non posse, vt vel id quod prius semper fuit intereat, uel cum prius non fuerit, seruetur aeternum; omnia enim quae ortui & interitui subijciuntur, alterari quoque possunt; alterantur autem a suis contrarijs, & ex quibus res Physicae constant, ab eisdem corrumpuntur.

VSVS



SVS est Arist. in præcedentibus rationibus quibusdam dialecticis & communibus pro patefacienda reciproca tione generabilis & corruptibilis, modo vero in calce libri rationes communes improprias & Dialecticas in Physicas vertere, & tanquam sigillo sermonem claudere sibi proponit. Hoc autem facturus primo profert intentionē suam, secundo per tres enūciationes seruat & patefacit id quod est pollicitus. Intentio est ratione Physica ostendere, nil ingenitum posse interire, & nil genitum posse seruari æternum. Quod pertinet ad partem secundam, primum quod accipitur pro ostensione est, cuncta quæ gigni & interire sunt apta, etiam sunt apta alterari, & iure, quia alteratio est via ad interitum & ortum, finis non reperitur sine ordinatis in illum. Alterum est, omnis alteratio fit per contraria, nam per calidum frigida, per humidum sicca alterātur, hæc autem quattuor sunt initia prima alterationis; & sunt communia cunctis mortalibus & cum eis reciprocantur, cuncta enim prædita his gignuntur & intereunt, & viceuersa. Terrium quod accipitur est, per eadem Physica corpora gigni & interire, nam eadem est via, eademque sunt principia generationis & interitus. Ex his hæc formatur ostensio: quæcunque sunt prædita via simul & principijs cum generationis tum interitus, simul quoque & generabilia & corruptibilia iudicari merentur, quæcunque vero eis carent etiam carent ortu & interitu; Sed cuncta quæ ginuntur vel pereunt sunt eis prædita, quæ vero vel non gignuntur, vel non pereunt eis carent, igitur cuncta quæ vel gignuntur vel pereunt, simul & generabilia & corruptibilia iudicari merentur, reliqua vero nec generabilia, nec corruptibilia. Ex qua ratione refulget reciprocatio & ratio reciprocationis cum generabilis & corruptibilis, tum oppositorum.

ANNOTATIONES.



ONSIDERO primo ostensionem hanc dici Physicā & non vniuersalem; antecedentes vero vniuersales; ratio vniuersalis distincta consideratione pertinet ad Dialecticum & Metaphysicum, & iure dicuntur vniuersales, cum sint deprompt
æ ex distinctione entis per actū & potentiā, ac insuper ex conditione cōtradictionis ex qua prodeunt duæ communes dignitates, de qualibet vera est affirmatio & negatio, & de nulla vtraq; simul; hæc cum sint vniuersalia etiam vera sunt de contentis sub vniuersalibus, & hinc oritur quod Dialectica & Metaphysica descendunt & vires suas extendunt per omnes inferiores & minus communes scientias. Ex aduerso ea ratio quæ modo formata est dicitur non communis sed propria, nō Dialectica vel Metaphysica, sed Physica, quia est per ea quæ sequuntur naturam, & sunt propria eius, qualia sunt principia generationis, interitus & alterationis, cuius veritas per inductionem elicitur ex particularibus ortib. & alterationibus, nec extenduntur ad ea quæ a materia vel per imaginationem vt Mathematica, vel per propriam essentiam vt diuina soluta sunt. *1. Considera tio.* *Ratio Physica, & ratio dialectica.*

Considero secundo, quod Aristo. ait alterationem ex contrarietate prodire, quod intelligi debet non de alteratione competente Cœlo per lumen, qualis apparet in luna sed de proprie sumpta mortalium, quæ ortum ducit ex quatuor primis qualitatibus, quibus solis materia nudari non potest, & sine quarum conspiratione nulla fit proprie sumpta alteratio per quā denuo noua qualitas producatur, nam colores, sapores & odores possunt quidem permisceri, & per mixtionem qualitates quasdam medias constituere, at ex integro qualitatem producere officium est calidi, frigidi, humidi & sicci, quæ ob id etiam qualitates efficientes patientes & alterantes nuncupantur. *2. Consideratio.*

3. Considera-tio. Dubitatio. Considero tertio quod posset aliquis putare, solui posse rationem ab Aristot. formatam primo, quia posset corpus alicubi locari a quo abesset contraria eius, vt se habet de portione terræ prope centrum locata; Secundo per experientiam quia reperiuntur preciosi lapilli, vt diamantes & metalla consimilia & depurata, vt aurum, quorum nulla longo temporum cursu apparet permutatio, & in thesauris sine læsione seruantur. Soluitur prima instantia ab Arist. in libro de longitudine & breuitate vitæ dicente vbi est materia ibi est contrarietas, nam terra tota per continuationem partium alteratur, hinc in visceribus terræ cum metalla tam alia multa producuntur.

Solutio. 2. Dubitat. Insuper soluitur in libro Meteorum, vbi ostenditur & flumina mutare cursum, & maria sedem suam & partes terræ adeo permutari, vt quæ modo sunt prope centrum, cursu temporum extrudantur & reperiuntur in superficie.

Solutio. De altera instantia dico, quod supposita falsa opinione Aristo. quod mundus sit æternus decies mille anni relati ad infinitum tempus nihil sunt, & propterea nisi per decies mille annos saltem per centies mille aliqua appareret varietas sub sensum cadens: at concessa veritate quod mundus sit creatus, ego non indicarem impossibile mixtum aliquod vsq; in finem mundi seruari immune ab interitu, quod tamen si mundus esset æternus cursu temporum diuolueretur; Et dũ in fine mundi mixta resoluentur & purgabuntur elementa, ille non erit interitus per naturam & contrarias qualitates, sed expurgatio & perfectio per Dei liberam voluntatem & immensam virtutem, aduersus quam inanes sunt humanæ rationes, ideo ei soli honor & gloria.

Finis Primi Libri.

FRAN-



FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS.

ENODATIO TRIVM QVAESTIONVM
ad primum hunc librum quodammodo ſpectantium nimirum.

An mundus ſit æternus,
An mundus ſit vnus,
Quæ ſit Cœli materia.

EXPICATIO PRIMÆ.

An mundus ſit æternus.



ABSOLVTA explicatione Contextuum primi libri de tribus supereſt differendum, nimirum an mundus ſit æternus, an vnus, & an materia Cœli & mortalium ſit eadem de quibus cum alibi fuſius differuerim, nitar modo breuius verba facere.

Quomodo quæritur an mundus ſit æternus.

Plato.

Ariſt.

Diuiſio.

Conſenſio veterum de materia mundi.

Ordiens a primo non dubito ego de abſoluta veritate, nam lumine fidei illuſtratus conſtanter affirmo in principio creaſſe Deum Cœlum & Terram, ſed Philoſophorum more conſidero, quo nos deducat humana ratio, quæ ſæpe fallax & obliqua eſt. & præſertim dũ ſenſus ei lumen non ſuppeditant, vt ſe habet de propoſita difficultate; hinc Plato in Timeo de ea verba facturus Deos Deasque in auxilium inuocauit, nec vnquam ſe de ea certum indicauit, & Ariſto. in primo Topicorum affirmauit problema de mundi æternitate ob eius difficultatem Dialecticum eſſe: de quo ego loquens, referam primo opinionum capita, ſecundo argumentabor pro parte generationis & interitus mundi, tertio pro parte æternitatis, quarto dubia ſoluam. Conſenſere Philoſophi omnes de materia mundi quatenus omnes eam putarunt æternam, cum enim incipere non valuerit niſi per creationem, & ea

Philosophis sit ignota, iure coacta fuerunt affirmare eam esse æternam, vt dicitur in primo Physicorum; vt de mundi ortu ex eius materia, varij varia dixerũt, quorum opiniones in quattuor prima capita rediguntur: Vel enim mundo ortum & interitum tribuerunt, vt Democritus, Empedocles, Epicurus & similes: vel nec ortum nec interitum, vt Arist. Chaldæi, Ocellus Pythagoreus, Proclus, Plotinus & alij multi: vel ei tribuerunt ortum sine interitu vt Arist. tribuit Platoni & Anaxagoræ; re vera tamen Plato semper se ancipitem & de re dubia dubium patefecit, vt in præcedentibus manifestaui, vel quarto dixerunt mundum non ortum sed interiturum, vt putarunt Mauri nonnulli & illi ex quorum lege fuit Auerroes, vt refertur ab eodem Auer. in hoc primo de Cœlo Cont. 102. Illi tamen quorum opiniones tempore Arist. vigebant & circumferebantur omnes de hoc consentiebant, quod mundus sit genitus, vt dicitur in hoc primo de Cœlo Cont. 101. nec non in procemio octaui Phys. & hæc pro prima parte.

Dissensio de ortu mundi.

Opiniones quattuor.

Progrediens ad secundam varij varijs rationibus nixi sunt ostendere mundi in principio aliquo temporis generationem; Philoponus in libro quem construxit aduersus Proclum multis est vsus, ego potiores referam.

Pro mundi ortu.

Ratio 1. Ratio prima sumitur ex mole vniuersi, qua vsus est Philoponus & quam Simplicius & Auerr. varijs in locis conati sunt soluere & ita formatur; mundus est finitæ molis, quare est finitæ virtutis, & propterea non est æternus sed mortalis & genitus; assumptum conceditur, consequutio deducitur per Aristo. in 8. Phys. Contex. 79. dicentem in mole finita non posse esse vim infinitam; & Auerr. in 3. cap. de substantia orbis ait; omnem virtutem in mole finita esse finitam, verum est de omni virtute cum actiua, tum passiua; & vt ostensionis robur exactius appareat, vtar ratione qua in octauo Phys. Contex. 79. vtitur Aristot. si corpus paruum seruatur per tempus aliquod finitum, maius seruabitur diutius, & adhuc maius per diutius, non tamen per infinitum tempus, sed semper seruata proportione accretionis molis & conseruationis, alioquin finiti & infiniti æqualis esset virtus, quod est absurdum, vt eo loci distinctius explicaui.

Ratio 2. Ratio altera ita formatur, cui competit materia & contrarium, competit ortus & interitus, mundo ea duo competunt, quare &c. maior patet, quia ea sunt principia ortus & interitus. Minor ostenditur, nam Arist. in hoc 1. lib. Contex. 92. ait, Cœlum esse formam in materia; forma mundi est ordo, cui opponitur inordinatio, & est oppositio, quæ est satis pro ortu & interitu, vt elicitur ex primo Phys. 46.

Ratio 3. Tertio ita argumentor, omne nouum ortui & interitui subijcitur, omne compositum est nouum, & mundus maxime omnium est compositus, quare ortui & interitui est obnoxius. Maior propositio est Auerrois in 12. Metaphysicæ 39. & in 3. dispu. contra Algaz. in sol. dub. 19. similem sententiam protulit Plato in Timeo inquiens, omne ligatum est solubile.

Ratio 4. Quarto vtar ratione Platonis in Timeo, quæ talis est, omne corpus cadens sub sensum gignitur & genitũ est, mundus est huiusmodi, quare &c. Maior ostenditur, quia id quod est, vel est sensibile, quod opinabile dicitur, vel est intelligibile; & queadmodum proprium intelligibilium est esse, nõ gigni, ita proprium opinabilium cadentium sub sensum est pendere ab intelligibili, esse vmbram veri entis, gigni & genitum esse.

Ratio 5. Quinta ratio sumitur ex inductione, nam cuncta quæ apud nos sunt variantur numero, seruantur specie, variantur partes, seruatur totum; nil inspicimus absolute æternum, quare id ipsum de Cœlo & eius partibus iudicandum videtur, & quamuis nulla in Cœlo appareat permutatio, nil refert, quia id ipsum iudicaremus de terra, si a nobis abesset vt Cœlum.

Signa quattuor a Theophrasto considerata.

At dimissis rationibus refero quattuor signa, quibus vtebatur Theophrastus, referente Philone Hebræo in libro de mundo non interituro.

Signum primum. Primum sumitur ex inæqualitate terræ, nam si mundus esset æternus cum grauia sint procliuia ad medium, iam diu montes cecidissent & esset terra vndique æqualis.

Alterum

Alterum ſumitur ex maris & terræ continua reſolutione, iam enim globus
ex eis conflatus a ſole & motu fuiſſet conſumptus; hinc Rhodus, Delus & *Signum 2.*
multæ inſulæ prius erant ſub mari merſæ, & modo aridæ inſpiciuntur. Tertium *Signum 3.*
ſumitur ex conditionibus partium, nam tale eſt totum quales apparent eius par-
tes; at mundi partes nobis ſe offerunt continuæ varietati obnoxiæ. Quartum *Signum 4.*
ſignum ſumitur ex his quæ in terræ ambitu & præſertim in attinentibus ad ge-
nus hominum inſpiciuntur: Nam ſi mundus eſſet æternus, æternum eſſet homi-
num genus, ac ita artes & ſcientiæ æternæ eſſent, quod tamen eſſe falſum pa-
tet, quia celebrantur artium & ſcientiarum primi inuentores; His addi poteſt *Signum 5.*
ſignum quintum depromptum ex facultatibus & viribus rerum, nam experien-
tia & hiſtorijs compertum eſt, cuncta minui & in deterius labi; ſic homines
olim dicebantur corpore, ætate & viribus maiores, ſimiliter etiam mundo tri-
buuntur ætates, quæ ſolis mortalibus competunt; & mundus tanquam homo
magnus iam ſenio videtur conſumptus.

Lucr. libro quinto ſequens Epicurum vtitur ſigno ſumpto ex hiſtorijs; cum *Lucr.*
enim extent hiſtoriæ aliquot millium annorum, ſi mundus eſſet æternus, cur
non etiam extarent hiſtoriæ præcedentium? Et ſi dicitur id euenire ob incendia,
inundationes & ſimiles vehementes permutationes, qui hoc dicerent inte-
ritum mundi confiterentur, nam ea quæ tam magnis permutationibus ſubij-
ciuntur, neceſſario ſunt ortui & interitui obnoxia.

Ariſt. in libro de motu animalium aduerſus opinionem ſuam rationem af- *Ariſto.*
fert dignam relatione, inquit enim mundus eſt ordo rerum motu Cœli ſerua-
tus, quare ſi permutatur motus Cœli, peribit ordo & mundus, ſed motus per-
mutari & perire poteſt, quare & mundus. Quod poſſit permutari oſtenditur,
nam Cęlum voluitur circa terram immobilem, quæ cum ſit corpus exiguum,
& exigua mundi portio ab alijs ſuperari poteſt & ex medio repelli: centro au-
tem expulſo, variari neceſſe eſt Cęlum & ordinem vniuerſi, quo variato varia-
tur mundus totus, cuius forma eſt ordo.

D. Tho. in ſecundo ſent. diſt. 1. ita argumentatur, ſi mundus eſſet æternus infi- *D. Tho.*
niti præfuiſſent homines, quorum animæ cum ſint ſuperſtites eſſent infinitæ
actu, quod eſſe non poteſt.

Alij viri docti ita argumentantur, ſi mũdus eſſet ęternus, quiuis motus orbiũ *Ratio alio-*
Cœli eſſet æternus, quo poſito cogimur fateri, quemlibet motorem eorum *rum.*
orbium eſſe infiniti roboris, quod eſt abſurdum, ita enim omnes æquarentur
Deo: deducitur conſequutio, primo, quia quilibet noſcit reuolutiones a ſe pro
ductas nec obliuiſcitur, infinitum autem vt infinitum non poteſt comprehen-
di niſi à virtute infinita.

Inſuper Ariſto. 12. Metaph. & octauo Phyſicorum, quia primus motor mo-
uet ſemper, infert eſſe virtutis infinitæ & cum motores ſint plures ait de omni-
bus conſimilem eſſe rationem. Hac ratione ſuaſi Henricus de Gandauo, &
Franciſcus Vicomercatus in 12. Metaphyſicæ aiunt ex ſententia Ariſt. omnes
Cœli motores eſſe infiniti roboris, quod maxime eſt abſurdum.

Vltimo loco ſe nobis offerunt rationes ducentes ad abſurdum, quibus & Al- *Ductio ad*
gazel & Philoponus vtebantur: Nam ſi mundus eſſet æternus, omnes Cęli re- *abſurdo.*
uolutiones eſſent æternæ & numero infinitæ, quo conceſſo, ſequitur primo
infiniti ad infinitum eſſe rationem, nam reuolutiones Lunæ ſunt gradus ex
duodecuplo plures reuolutionib. Solis, ſic de cęteris: ſecundo vnum infinitum
eſſet maius alio, vt numerus infinitus horarum maior numero infinito die-
rum: tertio infinito poſſet aliquid addi; quarto infinitum poſſet pertranſiri,
nam reuolutiones Cœli infinitæ & numerus infinitus annorum præteritorum
pertranſierunt. Hæc potiora eſſe videntur inter ea quæ pro ortu & interitu
mundi a Philoſophis excogitari valuerunt.

Pars tertia.

Abſoluto hactenus ſecundo Capite, ſequitur modo vt pro tertio ea refera- *Rationes*
mus, quæ præſertim nobis ſuadere poſſe videntur, mundum ab ortu & interi- *pro mundi*
tu eſſe immunem, cuius opinionis dicitur fuiſſe Chaldeos, & Græcos vetu- *æternitate.*
ſtiſſimos,

Ocellus.

stissimos, a quibus Cœlum dictum fuit Aether ab æterno cursu, Ocellus Pythagoreus in libro de vniuersi natura id ipsum affirmat & ostendit indicans Pythagoram quoque eiusdem fuisse opinionis; Ex Academicis potiores id approbarunt, vt Plotinus, Proclus, Iamblichus, Simplicius, & alij nonnulli. Rationes autem pro eorum opinione potiores ex octo tanquam fontibus hauriri posse videntur.

Primum caput ostensiorum deprõptum ex opifice.

Primus & ille quidem vberrimus fons est opifex & princeps mundi: nam mundi origo, vel ex natura ducitur, vel ex Deo, si ex natura, vt multi Philosophorum putarunt, quia ea semper est similis eodemque modo operatur, nisi adsit ratio varietatis, vt dicitur in octauo Phys. Contex. 15 est necesse fateri mũdum semper consimiliter se habuisse; At si author est Deus, vt re vera est, ipse est æternus, & ex æterno nil noui prodit, nam Patris æterni æterna est proles, vt parentis mortalis proles est mortalis, hinc legitur in 2. de Cœlo, Contex. 17. opus Dei esse æternitatem, & Plato in Timeo affirmat, prodeuntia ex Deo esse æterna.

Ratio productionis.

Vberior adhuc refulget hic fons dum consideratur ratio ob quam mundus ex Deo prodit, ea enim est ipsum bonum, cuius cõditio est fęcunditas; Deus itaque est mundi parens, quia bonus; & qualis est ratio, talis iudicanda est emanatio, semper fuit bonus, igitur semper fuit parens, semper fuit optimus, igitur ex eo proles manauit pro facultate optima, non autem optima esset, nisi esset æterna.

Insuper est actus purissimus cum quo nulla est permixta potentia, quare nunquam fuit potestate parens, sed semper actu.

Præterea, hoc patet ex eius voluntate, nam cum sit ipsum bonum, & nulla detineatur inuidia, necessario & semper vult bonum & non vult malum, ordinatum est bonum, inordinatum malum, vult itaque Deus mundum qui ordo est, non vult inordinatum, & illum vult semper, quia sic melius est; Confirmatur ex modo operandi Dei extrinsecus qui ex opinione Philosophorum est cum quadam necessitate naturæ, Deus semper sciuit, semper voluit, semperque potuit procreare mundum; igitur ab æterno illum produxit.

Id ipsum elicitur ex eius immobilitate: nam dum semper consimiliter se habeat, semper consimiliter operatur; Demum elicitur confirmatio ex exemplari: nam mundus ait Plato formatus est ad similitudinem sui exemplaris, exẽplar est æternum quare opus vt ei sit simile debet censeri æternũ, & præsertim quia eius æternitati aliquid respondere debet, huiusmodi autem nil aliud esse potest nisi tempus, de quo ait Plato in Timeo, quod vt æternitas tota simul semper est, ita tempus cum successione semper fuit, & erit; fęcunditati opificis respondet fons vberrimus materiæ, & ratio ita formatur, materia mundi est æterna, igitur & mundus, antecedens conceditur ab omnibus Philosophis, & id concedere coguntur, quia creationem non cognouerunt, materia autem per generationem non potest incipere esse, quia omne quod gignitur, fit ex materia. & ob id si materia gigneretur, esset ante quam fieret vt infertur in calce primi Physicorum. Consequutio deducitur primo quia materia non potest esse sine forma, & prima forma quam recipit est ea Elementorum, quæ non reperiuntur sine ordine, qui ordo est forma mundi.

Caput 2. rationũ ex materia sumptum.

Secundo deducitur quia materia & forma inuicem referuntur, relatorum autem si vnum est æternum, alterum quoque debet esse æternum.

Tertio si materia est æterna, quia eam comitatur generatio, etiam generatio erit æterna, generatio autem supponit ordinem simplicium corporum qui est forma mundi, nam Sol & homo generant hominem. Fons tertius est mundi forma & ratio ita formatur, mundi forma est æterna quare & mundus, nam ex forma necessario infertur formatum cum sit essentia eius.

Caput 3. ex forma.

Antecedens ostenditur, quia forma vel est Deus, vel anima mundi, vel ordo simplicium corporum, si est Deus proculdubio est æternus, & nisi proprie sit forma saltem est forma modo eminentissimo ex qua eminentissime infertur compositum, & id compositum dicitur, domicilium eius; æterno autem solum

aptatur

aptatur æternum & sedes æterni æterna est, vt dicitur in primo de Cœlo, Contextus 22.

Si autem forma sit anima mundi, Plato qui eam excogitauit etiam dixit esse æternam, si est ordo vt ordo originalis in Dei mente est æternus, ita sensilis eius imago.

Insuper ordo est bonum aliquod & pulchrum, Deus semper vult id quod bonum & pulchrum est.

Præterea cum forma sit rei essentia, quia essentia mundi hæc est, vt sit omne, totum & perfectum, non esset autem absolute talis nisi semper talis esset & vniuerso tempore.

Quarto elici possunt rationes ex fine, nam finis est duplex vnus productionis, alter rei productæ, finis productionis est forma ex qua nuper deprompta est ratio, finis mundi producti etiam est duplex, vnus cuius gratia, alter cui inseruire debet, finis cuius gratia est vt enarret gloriam Dei & melius est vt illam semper enarret, insuper finis est vt sit cunctorum domicilium, bonum autem est vt semper sit tale, nec vlla potest excogitari ratio cur aliquando sit, aliquando non sit rerum domicilium, insuper finis eius est vt sit participatio summi boni, participatio autem rei æternæ æterna esse debet, finis autem cui inseruire debet est duplex proximus & postremus, proximus est homo, postremus est Deus qui finis postremus cum sit æternus, etiam ordinata in illum iudicari debent æterna, non enim finis postremus cunctis pro eo requisitis dicitur præditus, nisi ea cuncta adsint quæ diriguntur in illum eique inseruere debent. *Cap. 5. ex fine.*

Quinto elici possunt rationes ex conditionibus & affectionibus proprijs mundi totius, nam conditio eius est vt sit sensilis imago insensilis Dei, imago rei æternæ æterna est vt sit omne, totum & perfectum, non autem vndique esset perfectum nisi esset æternum, vt cuncta includat & nil extra derelinquat, quare si interit vel gignitur, quia generantia & interimentia corpus corpora sunt, vel id habet a se, vel ab alio corpore, non ab alio, quia non datur, non a se, quia nil se generat, nec per naturam destruit sed pro facultate seruat, si dicimus quod se destruat per partes, quia pars vna destruit alteram, hoc non obstat, quia vnius partis interitus, est ortus alterius, & in ortum dirigere, solum partes variantur in orbem, & finis vnius, est principium alterius ac ita in infinitum, vt patet de mutua permutatione elementorum. Nec dicere possunt Philosophi mundum a Deo fuisse creatum quia creationem non cognoscunt, quod a Deo generatur, per intermedium aliquod corpus generatur, insuper si mundus a Deo destrueretur, vel illum destrueret Deus vt alium construeret ei similem, vel potiorem, vel deteriorem, vel vt alium nullum construeret, non vt similem construeret, quia id inaniter efficeret, non vt meliorem, quia hic quam optime se habet alioquin errasset in eo producendo, non deteriorem quia pro bono est laborandum, non pro malo, non demum vt alium non construeret, nam absoluta destructio malum est, solum est bona vt in ortum alterius dirigitur, hinc nullus Philosophorum existimauit mundum ita periturum, vt interitui eius alterius mundi generatio non succedat. *Cap. 5. ex affectionibus.*

Sexto eliciuntur rationes ex conditione partis mundi æthereæ & hæc formatur ostensio, Cœlum est æternum quare & mundus, consequutio deducitur, quia est pars principalissima, cœteras continens & seruans: Antecedens ostensum est ab Aristot. sub initio libri tum quia motui eius non competit contrarium, tum quia nulla vnquam in Cœlo apparuit essentiæ permutatio sed semper eius consimilitudo, tum quia est sedes Dei æterni, tum demum quia est corpus primum, nam omne quod fit exposcit corpus supra se per quod alteretur & fiat, vt affirmat Auerr. cont. 22. & ne detur progressus in infinitum est necesse deuenire ad primum, quod & ab ortu & ab interitu sit immune, huiusmodi autem est Cœlum. Hinc Arist. in contex. 100. enunciauit omne primum & supremum carere permutatione. *Sexta caput ex conditione Cœli.*

Septimo eliciuntur rationes ex parte mundi elementari, & ex conditione rerum *Septimum caput.*

rum quæ fiunt & intereunt, quarum communissima affectio est vt prædita sint contrario, mundo autē contrarium non competit, quia extra illum nil est; hinc Plato in Timeo ait, nullum corpus fuisse extra derelictum ne ab eo lædi posset.

Præterea quæ gignuntur & pereunt crescunt & minuuntur, quod mundo non competit. Tertio quæ gignuntur ab externo aliquo alterantur. Quarto multiplicantur numero sub eadem specie. Quinto cum viuant vt viuit mundus certarum varietate & ordine sunt prædita, quorum nullum, vt patet, competit mundo.

Præterea si mundus in principio aliquo temporis fuisset genitus, tunc singularum specierum deberet dari indiuiduum primum vt homo primus, equus primus, at hoc fieri non potest quia homo solum ab homine & equus solum ab equo gigni potest, & ita esset primus & non primus; hinc oritur dubitatio quid præcedat num ouum vel gallina, cum vtrunque supponat alterum, nec ratio solui potest nisi per creationem supra naturam eleuatam, ignotam Philosophis.

Octaui 4ii Caput.

Octauo potest elici ratio ex æternitate motus ostensa in octauo Physicorum, cum enim motus sit æternus, æternum est mobile, quod esse non potest nisi mundus æternus sit. Hæc omnia confirmari possunt communi quadam ratione qua vtebantur veteres nitentes ostendere, id quod est non gigni, nam mundus est id totum quod est, siue vniuerse id quod est, de quo formari potest ratio, si fit vel fit ex ente, vel ex non ente, non ex non ente, quia ex nihilo nil fit, non ex ente, quia tunc esset antequam fieret, quod dici non potest; dum itaq; humanam sequimur rationem facile labi possumus & inclinare in mendacia.

Gratias itaque agamus Deo, qui dignatus est mentem nostram illustrare sinceramque veritatem patefacere, cui soli constanter assentior, & hæc de tertia parte.

Pars 4. Soluuntur aduersæ rationes. Solutio prima.

Superest vt quarto ea referamus, quæ a Peripateticis pro solutione aduersarum rationum dici possunt. Ratio prima pro mundi ortu & interitu eliciebatur ex octauo Phys. cont. 79. quia nullum corpus finitum præditum est virtute infinita, pro cuius solutione varia dicuntur a Simplicio, Auer. & D. Thoma, quæ silentio prætereo & breuibus dico, quia mundus consurgit ex subordinatis partibus, considerandæ sunt partes eius: Pars elementaris est materiata & finita & ideo solum seruatur successione partium munere Cœli producentis & materiæ recipientis, quæ interire non potest, Cœlum est corpus finitum, at non includit virtutem materiatam, quæ semper moueat; nam huiusmodi virtus forma est ex materia pendens, quæ non mouet sine labore, sed motus Cœli producitur a motore separato cui labor non competit, Cœlum autem est corpus simplex contrario carens.

Dum dicitur quod virtus in corpore finito est finita, debet intelligi de composito ex materia & forma materiata, ad quam formam virtus pertinet, quæ nec semper agere, nec semper resistentiam superare valet; nam intentio Arist. in calce octaui Physic. est ostendere motores Cœli esse a corpore solutos, quia nulla virtus materiata neque finita neque infinita potest producere æternum motum, at de hoc latius in octauo Physicorum.

Verum adhuc instabatur, quia in corpore exiguo vis inest vt seruetur tempore exiguo, in maiore per maius & in finito per tempus finitum, non autem infinitum: Soluitur hoc esse verum de composito materiato corruptibili, non de simplici, cui nil contrarium est, vt etiam patet de prima materia cuius quæuis pars ita est æterna vt tota.

Secundo ostendebatur mundus mortalis, quia ei competit materia & contrarium; Soluitur, quia æternitas mundi pendet ex Cœlo, cui nec materia generationis, nec contrarium pro generatione requisitum competit, solum ei competit contrarium requisitum pro motu in orbem, quod per diametrum denotatur.

Instabatur, quia mundo competit ordo, cui inordinatum opponitur, respondeo

deo in re ordinatum & inordinatum potest quidem considerari permutario, at ea ex se non est satis pro ortu & interitu, sed prior requiritur, ordo mortalium potest variari, at seruatur æternus successione partium munere Cœli, quod est caput ordinis vniuersi ex se æternum.

Erat ratio tertia omne compositum est nouum, &c. Respondeo, per nouum duo posse denotari, vel pendens ex componente, ac ita est vniuerse verum, vel genitum & mortale, in qua significatione solum est verum de includente materiam, quæ est commune principium generationis. *Solutio tertiæ.*

Quarta ratio eliciebatur ex Timeo Platonis, quia sub sensum cadit, non vere est, sed fit, & est opinabile aliquid oppositum intelligibili, quod vere est. *Solutio quartæ.*

Quæ fuerit opinio Platonis de ortu & interitu mundi cumulate patefeci in digressione ad id pertinente, nunc autem pro solutione dico intentionem fuisse Platonis, conditionem sensilium patefacere, nam de illis tres fuere Philosophorum opiniones, nonnulli putarunt sensus semper esse veros, vt Democritus Epicurus & alij similes; Arist. censuit veros frequenter esse, posse tamen decipi: Plato semper censuit esse mendaces, cũ iudicēt cadentia sub sensum vere esse, cum tamen vere non sint, nam ea quæ vere sunt semper consimiliter se habent & mente apprehenduntur & ad scientiam pertinent, sensilia vero ad opinionem; & potius dicuntur continenter gigni & genita esse, quam absolute esse, hãc ancipitem sensilium conditionem constanter approbauit Plato, an vero absolute in principio aliquo temporis sensilis hæc imago nec genita fuerit, semper se ancipitem manifestauit vt alibi latius patefeci. *Opiniones tres de conditione sensilium.*

Quinta ratio sumebatur ex inductione, quæ facile soluitur, quia in Cœlo nulla vnquam essentiæ inspecta est varietas, dicere autem quod inest & non apparet est euertere conditionem inductionis, in qua ea sunt accipienda, quæ apparent. *Solutio quintæ.*

Signa a Thephrasto relata leuia sunt, nam primum sumptum ex inæqualitate terræ reijcitur, quia seruatur ea inæqualitas a sole, a motu Cœli & mutua actione & permutatione Elementorum. Alterum sumptum ex aqua quæ iam esset consumpta reijcitur, quia iam esset consumpta, nisi continenter reficeretur, & si nonnullæ partes terræ olim mersæ sub vndis modo sunt aridæ, etiam contra multæ aridæ inundantur.

Tertium signum sumptum ex partibus quæ variantur iam est euersum, quia de Cœlo apparet oppositum, munere cuius contenta sub eo seruantur æterna, quatenus semper vnius interitus est generatio alterius.

Quartum signum de promptum ex primis artium & scientiarum inuentoribus negligitur ab Arist. dicente, eos esse non inuentores sed restauratores & redintegratores oblitarum & deperditarum.

Addebatur quintum sumptum ex diminutione corporum ætatum & viriũ, quod similiter ab Arist. negligitur & omni tempore hæc fuisse & fore consimilia affirmat, nec mundi ætates concedit; non enim per naturæ opera nobis datum est hæc noscere, sed solum supera reuelatione & historijs Ecclesiasticis firmioribus & verioribus.

Signum sextum quod Lucretius ex historijs elicit, quæ non multorum millium annorum extant soluitur, quia potius mirari debemus quod tot annorum seruatæ sint ob hominum negligentiam bella, incendia, inundationes & similia, quæ tamen non sunt permutationes tales, vt indicent mundum interiturũ, cum solum pertineant ad exiguam & infimam eius partem ad instar puncti & centri se habentem.

Ratio Arist. in libro de motu animalium soluitur ab eo & per eius principia, quia in mundo cuncta conspirant pro centri conseruatione, nil autem pro eius euersione; cum enim Deus sit principium stans & immobile, immobilitatem eius sequitur immobilitas polorum centri & totius vniuersi, ideo legitur in 8. Phys. Contex. 52. quod manente primo principio est necesse manere vniuersum, quod ei continuum est.

Ratio

Soluitur ratio sumpta ex infinito. Ratio sumpta ex numero infinito animarum soluitur, quia Arist. lumine naturæ noscere valuit, vt etiam Plato animam hominis propriam esse immortalem, at non valuit cuncta noscere ad eam pertinentia; hinc de numero loquentes, vt infinitum vitarent, vel dixere humani generis vnam esse mentem vt Themistius Simplicius & Auerr. vel dixerunt animas definito quodam numero esse terminatas & numero absoluto redire ad noua formanda corpora, vt Academici, nos autem elicientes ex eis id, quod verum est, cætera tenemur corrigere per patefacta supero lumine.

Addebatur eorũ ratio, qui ex æterno Cœli motu putarunt elici motores omnes Cœli esse immensi roboris; at hi conspicue decipiuntur, vt alibi latius patefeci; nam solum elicitur, omnes esse a corpore & materia solutos, ac ita mouere sine labore & semper consimiliter, cum sint immobiles.

Addebatur quod noscerent reuolutiones a se productas, quæ infinitæ essent, respondeo, noscerent motum suum infinitum vt vnum & consimilem, non numerum reuolutionum, quia non datur cum sit innumerus & si apprehenderetur non esset infinitus, sic quilibet Cœli motor mora & conseruatione est infinitus non autem intensione roboris.

Ratio ducẽs ad absurda. Vltimo loco referebatur ratio Philoponi ducens ad varia absurda, si Cœli reuolutiones statuerentur infinitæ, quæ soluitur ab Auer. in disputationibus contra Algaz. & ego in digressione de motu æterno plura dixi, nunc breuibus dico, non sequi ea absurda, quia dum considerantur reuolutiones cum hac reduplicatione vt infinitæ, nec reuolutiones lunæ sunt plures reuolutionibus solis, nec horæ sunt plures annis, quia sic earum consimiliter nullus est numerus, similiter etiam eis vt infinitis nil potest addi, sed solum hoc eis competit dum considerantur ex parte, qua sunt finitæ, & pro tempore finito: neque dicendum est infinitum pertransisse, sed semper fuisse & semper fore.

Probabiliter itaque Peripatetici soluunt rationes & vitant absurda cum æternitate mũdi pugnantia: At nos in lucem sinceram eleuati constanter fateamur in principio creasse Deum Cœlum & Terram, & cum Propheta exclamemus, videbimus Cœlum nouum & Terram nouam; & hæc pro primi quæsiti enodatione dicta sufficiant.



EXPLI-

EXPLICATIO SECVNDÆ QVAESTIONIS.



An Mundus sit vnus.



VICVNQVE Deum, vt homines licet speculari ex optant, libenter in mundi contemplatione versari tenentur, cum sit imago sensilis eius. Inter attinentia autem ad mundum hoc dignum est accurata considerati one, num vnus numero sit, vel multiplex, qua de re cū Arist. in hoc libro differuerit, ego pro exactiore dicto- *Intentio.* rum ab eo explicatione, de quinque verba faciam, referam primo opiniones & rationes pro parte putantium *Diuisio.* mundos esse plures, secundo ostendam esse vnum, tertio perpēdam an possint esse plures, quarto inquiram vnde prodeat eius vnitas, quinto diluam rationes aduersas.

Quamuis mundi nomen vsurpetur multipliciter, modo de eo solo sermo est, qui definiri potest, quod sit ordinata series cunctorum corporum, natura *Definitio* constantium a Deo & per Deum seruata. *mundi.*

Hic mundus vel vnus numero est, vt Plato & Arist. putarunt, vel multiplex, si multiplex vel sint multi simul vel successione, quod sint multi & innumeri simul existimarunt Democritus, Leucippus, Epicurus, Lucretius, qui putarunt in immenso vacuo ex innumeris atomis fortuitoque eorum concursu, innumeros gigni & interire mundos.

Quod autem sint plures non simul sed successione existimauit Empedocles, qui excogitauit mundum sphærum siue amicitiæ, & mundum litis inuicem definitis temporum mensuris successione quadam reciprocari. Similiter Heraclitus imaginatus est huiusmodi successiuam reciprocationem fieri inter mundum & ignem cuius opinionis mox etiam fuerunt Stoici.

Pro multitudine autem mundorum variæ possunt afferri rationes, & hæ po- *Rationes* tiores prima est, omnis forma quæ in materia est, vel numero est multiplicata, *pro multitu* vel apta est multiplicari, mundus est forma in materia, quare &c. maior conce- *dine mundo-* ditur, quia materia est origo multitudinis indiuiduorum, minor etiam concedi- *rum.* tur, quia mundus sub sensum cadit, quod solis materiatis competit, hinc de eo dicimus quod aliud est mundus, & hic mundus, nam mūdus formam denotat, hic mundus denotat formam materiæ iunctam, quæ varietas in illis solum habet locum, quæ materiata sunt.

Præterea in attinentibus ad naturam id putandum est esse, quod melius est, mundus natura constat, & melius est vt sint plures quam vnus, igitur sunt plures, nam ait Arist. sub initio primi Moralium Nicomachiorum, bonum quo est communius, eo esse præstantius.

Insuper in æternis esse & posse non distinguuntur, vt dicitur in 3. Physicorum Contex. 32.

At mundo competit æternitas vt potuit & potest multiplicari, quare multiplex est, quod valeat multiplicari ostēditur, quia nulli causæ eius repugnat mul-

titudo, non Deo, quia est omnipotens ex quo vt vnus, ita multi, & vt hic ita alius prodire & pendere potest, nec ob id vnquam redditur sterilis, non materiæ, quia diuidi potest, & ea est origo multitudinis indiuiduorum sub specie, & efficienti respondet patiens, non formæ quæ in materia est, non fini, quia in finem vnum multa dirigi possunt.

Ratio Alexandri. Insuper argumentabatur Alexander referente Simplicio primo de Cœlo, Contex. 92. vel Cælum factum est diuina arte, vel natura, si arte vt artifex efficit vnum, ita plura; & nullus contrahitur ad vnum solum opus efficiendum, similiter natura.

Præterea si vilia sunt numero plura, longe magis præclara debent esse multa.

Metrodorus. Hinc (referente Plutarcho) dicebat Metrodorus Epicureus, absurdum est in latissimo & fertilissimo agro vnicam spicam nasci & in infinito inani vnicum mundum.

Lucretius. Insuper Lucretius in 2. libro ita argumentabatur vt partes mundi quæ natura gignuntur multiplicantur numero, ita id ipsum putandum est de toto.

Præterea si mundus est vnus, vel est vnus numero, vel specie, vel genere, non numero, quia vnum numero id est cuius materia est vna & motus vnus, de mũdo secus se habet, non specie, quia ei competeret species opposita constituta per oppositam differentiam, non genere quia ei conuenirent species variæ.

Demum si putandum esset mundum esse vnum, vel in eam sententiam veniendum esset ob rationem Platonis, vel ob eam Aristotelis, at ob neutram id

Ratio Platonis. faciendum est, non eam Platonis ostendentis mũdum esse vnum, quia eius vna est idea siue exemplar, quæ ratio videtur inanis, quoniam idea non singularium sed specierum est, & ad imitationem vnius exemplaris multa numero distincta formari possunt, vt patet de idea hominis quę vna est & de exemplari eorum

Ratio Aristot. quæ arte fiunt: Aristo. ostendit mundum esse vnum, quia vnus est ordo simplicium corporum, & mundus hic constat ex vniuersa materia, at cum hoc dicat videtur in principio petere id quod est ostensurus, nam eadem est ratio quod mundus constet ex vniuersa materia, quod ordo sit vnus & quod mundus sit vnus, & qui negat hoc similiter negaret & illa, & pro prima parte satis.

Rationes pro vnitate mũdi. Apparuere vires rationum pro multitudine mundorum, quæ non tanti sunt roboris, vt longe validiores pro mundo vno afferre non valeamus, namq; qui mundos statuunt plures in conspicua labuntur absurda, putant enim vel dari

Ratio 1. immensum, Atomos innumeros, & mundos cæco casu gigni vt Democritici & Epicurei, vel aiunt mundos definitis temporum mensuris interire & refici qui nullo nituntur fundamento, & frequenter firmis rationibus ab Arist. & Platone fuere reiecti.

Quinq; fontes rationũ. Præterea pro mundo vno elici possunt rationes principaliores ex quinque fontibus, nimirum ex quattuor generibus causarum mundi & ex eius conditione, & primo ex efficiente, siue motore supremo, ex quo pendet Cælum & vniuersa natura, & ita argumentor; motor primus est vnus, igitur motus primus, & mobile primum est vnum, ex his vnus consurgit ordo & mundus vnus.

Quod motor primus sit vnus ostenditur ab Aristo. in 8. Phys. 49. necnon in 12. Metaphysicæ. Imo adeo est vnus vt in ratione eius sit vt sit vnus ex principio autem quod sui ratione, & conditione est vt sit vnũ, non prodit nisi id quod est vnum & absolutissimum, ex vno enim vt vnum non prodit multitudo nisi ordine aliquo: ordo autem vnus, est mundus vnus.

Ratio ex forma. Secundo elici possunt rationes ex forma mundi quæ cum sit multiplex, quæuis hanc veritatem patefacit, nam si nomine formæ intelligimus Deum, qui re vera est forma, efficiens & finis mundi, huiusmodi forma cum sit vna vnus est ordo intelligentiarum, cui respondet vnus mundus Cælestis, & vnus elemẽtaris. Si cum Platone forma mundi est eius anima ea vnica statuitur; Si nomine formæ denotetur ordo vniuersus, profecto non esset vniuersus & cunctorum absolute, nisi esset vnus quod confirmatur per naturalem simplicium corporum propensionem, cuncta enim grauia cum sint consimilia conspirant in vnum me

dium,

dium, & leuia similiter in vnum extremum, ex quibus consurgit vnus commu nis ordo, qui est forma mundi, si nomine formæ denotetur figura ea sphærica cuncta includens, nil extra derelinquens, si denotetur Cœlum, id alibi neque secundum, neque præter naturam reperiri potest, si denotetur essentia, quæ per definitionem explicatur & dicitur forma totius ea est cunctorum ordinata series a Deo & per Deum seruata, cui repugnat multitudo.

Similiter ratio elicitur ex materia nam conditio mundi est vt absolute constet ex vniuersa materia, alioquin non absolute diceretur omne, totum & perfectum, insuper ea quæ proxime mundum constituunt tanquam partes & gradus eius sunt rerum cunctarum species quibus vnicus competit ordo, qui mundus dicitur.

Præterea elicitur ratio ex fine qui est duplex, vnus constitutionis, qui est forma & ordo, quæ apparuit vna, alter est rei constitutæ & hic est Deus cui omnia seruiunt qui est caput vnicum vniuersi ordinis & finis vnus. Demum dixi elici posse rationes ex conditionibus mundi, nam eius conditio est vt sit sensilis imago insensilis Dei, vt sit communis sedes Deorum & hominum.

Præterea si mundi essent plures, vel essent similes, vel dissimiles, si similes, frustra essent plures cum sint æterni, si dissimiles vnus non ea includeret quæ includerentur ab altero, ac ita nullus erit absolute vniuersum, nec vndique totus, & perfectus; insuper si mundi essent plures, vel essent inuicem ordinati, vel nõ, si ordinati illi eorum ordo absolute & re vera mundus esset, si non igitur ex eo qui eminenter est ordo, inordinatum prodiret, quod est absurdum & repugnat naturæ rerum & prouidentiæ: insuper cum partes appareant ordine præditæ, non est putandum primam & vniuersam corporum multitudinem carere ordine, confirmatur, quia si plures essent mundi, vel vna esset eorum prima & communis materia, vel multæ, si vna, mundi erunt apti inuicem permutari, & vni materiei, vna respondet communis & vniuersa forma qui est mundus vnus, si dicatur multiplex, hoc est absurdum quia sic æquiuoce dicerentur mundi, varietati enim materiæ respondet varietas formæ, vt essentiæ, ac ita solum nomen seruaretur idem.

Colligamus itaque vni Principi vniuersi, exercitum vnum, vni capiti ordinis, ordinem vnum, vni Monarchę, & Regi Regnum vnum subijci & respondere, & hæc de secunda parte. *Conclusio.*

Indagandum proposui pro tertia parte cum mundus actu vnus sit, num saltem valeat multiplicari, Plato in Timeo & Aristot. in primo de Cœlo nixi sunt ostendere nec actu, nec potestate posse ei multitudinem competere. *An mundus valeat esse multiplex.*

Quod dubitatione non caret, tum quia est forma in materia, quæ apta est numero multiplicari, tum quia Deus immensi est roboris, & quemadmodum hunc ita alios producere valuit, tum demum quia hoc producto non remansit sterilis sed consimiliter fæcundus vt prius. *pro affirmatione.*

Ex aduerso videtur dicendum non posse multiplicari, quod ex quattuor pręsertim elicitur, primo ex modo quo ex opinione Arist. pendet ex Deo, nam pendere putat cum quadam naturæ necessitate adeo, vt id totum quod valuit ex eo prodire prodierit, sic ex vno vt vnum solum valet proxime prodire vnum vt ex vno sole lumen vnum, ex vno fonte flumen vnum. *Pro negatione quattuor capita rationum.*

Secundo ex materia, quæ dicitur necessaria, & dicitur causa sine qua non, mundus autem ita constat ex vniuersa materia, vt eius conditio sit ex vniuersa constare, alioquin non esset absolute vniuersum.

Tertia ratio principalissima elicitur ex eius conditione & essentia quæ dicitur forma totius & est quod sit omne, totum & absolute perfectum.

Quarta elicitur ex propensione simplicium corporum, hæc indicant mundum ita esse vnum vt nequeat esse multiplex; & confirmatur, quia vt legitur in 3. Physicorum 32. in æternis esse & posse non distinguuntur: mundus autem ex opinione Arist. ostensus est æternus, insuper multitudo indiuiduorum sub specie parata est, vt quæ numero nequeunt seruari æterna, seruentur æterna specie,

Opinio Theologorum.

Noſtri Theologi de hoc conſentiunt quod mundus actu ſit vnus, de poteſtate diſſentiunt;nam D. Thomas in primo de Cœlo ait repugnare mundo multitudinem,alioquin nullus eorum eſſet vniuerſum & abſolute totum:ſic in primo ſenten.diſt.44. ait poſſe mundum hunc Dei poteſtate reddi maiorem & meliorem at non fieri plures,quia includit contradictionem.Scotus in 2.ſent.diſt.prima. q. 3. ait poſſe gigni mundos plures,vt hic genitus eſt,at non infinitos.Greg. Arim.in primo ſent. diſt.44.ait etiam infinitos gigni poſſe. Poſſunt viri hi ſapientia ſplendidiſſimi de vno & multitudine conciliari,quia nomine mundi vel intelligimus totum & vniuerſum abſolute,adeo vt hæc ſit eſſentia & conditio eius, ſic recte

D.Thom.

ſentit D.Thom.nam includentia contradictionem non cadunt ſub poteſtatem,

Scotus.

at ſi intelligimus perſectum & totum ſolum in parte, ac vt placuit opifici, ſic vt

Greg. Arimin.

vnum ita plures creare valuiſſet, non tamen infinitos,vt recte ſentit Scotus,quia repugnat numero,magnitudini & cuiliber ex alio pendenti vt actu ſit infinitum; nam dicentes includi finem productionis & conſtitutionis,ſimul indicamus terminum & finem rei conſtitutæ extenſionis & conditionis eius, & hactenus de tertia parte.

Mundus per quid ſit vnus.

Explicandum quarto loco occurrit, quomodo & per quid mundus ſit vnus, cum enim omnia & vnum inuicem pugnare videantur, & mundus ſit omnia,

Prima opinio.

non apparet quomodo nedum indiuidua,& ſpecies,verum inſuper diſtincta & diſtantia genera rerum valeant eſſe & dici vnum;Aiunt nonnulli mundum eſſe

Euerſio.

vnum per ſolam aggregationem,non ſecus ac exercitus ſit vnus,quæ opinio approbanda non eſt, primo quia in vno per aggregationem pars vna non pendet ex altera, nec pars vna ſe habet ad alteram tanquam forma eius, nec perficit & ſeruat alteram vt inſpicimus ſe habere de partibus mundi.

Præterea quod eſt vnum per aggregationem eſt vnum ex accidenti, & quod ex accidenti eſt,poteſt non eſſe,conſtitutio autem & vnitio partium mundi neceſſaria eſt.

Præterea id quod eſt in ratione alicuius eſt ſecundum ſe, in ratione autem mundi eſt vt ſit vnus. Putarunt Stoici mundum reddi vnum, eiuſque partes necti per communem quendam ſpiritum per omnia effuſum,aduerſus quos diſputat Alexand. in capite de mixtione & præſertim eorum ſententia eſt dubia,quia ſpiritum illum putarunt eſſe ſimplex corpus, cum tamen primis corporibus ſuo ordine mundum conſtituentibus non detur corpus ſimplicius & prius.

Propterea Auerr.in ſecundo de Cœlo 71. in 3.diſp.contra Algaz. in ſol. 12.& 18.dubij nec non in 12.Metaphyſicæ com. 44.ait orbem vniuerſum perinde ſe habere ac animal ligatum potentia prima ſpiritali, diuiſa in ſuo toto, a qua etiam recipit terminos ſuæ molis, verum quæ ſit hæc virtus, quæ prodiens tanquam ex corde liget partes, non diſtincte ab eo explicatur. Alexand. in cap.de mixtione ait naturam Cœli ſuo motu nectere,ordinare & ſeruare, munere cuius deinde vnumquodque per naturam propriam ſuo proximo hęret, ob communem materiam & affectiones,tetigit Alexand.ſatis recte communia & propria ligamenta, quæ diſtinctius explicans dico mundum reddi vnum numero per cauſam communem, per inſtrumentum commune, per cauſam propriam & inſtrumenta propria;cauſa communis abſolute eſt Deus,in cuius ratione eſt, vt ſit ipſum vnum & cum omnia fluant ex vno ſint participationes vnius,cuncta ſeruant conditionem vnius,quærunt vnum & in vnum tendunt & conſpirant, cauſa prima & communis inter corpora eſt Cœlum,ex quo Elementa pendent, & ſeruantur,hoc ambit cuncta & nil extra ſe derelinquit.Inſtrumenta communia ſunt motus diurnus & lumen, hinc cuncta ſubordinata corpora vel eo motu mouentur vel ei inſeruiunt,cauſa autem propria & proxima eſt natura ſimplicium corporum,per quam cuncta tendunt in ſuam ſedem ac ita diſponuntur vt continens ſit tanquam forma contenti, inſtrumenta autem propria ſunt motus proprius & affectiones propriæ ſimplicium corporum,quibus pro intimiore ligamento reſpondet materia prima communis, adeo vt in vniuerſo cuncta ad vnitionem conſpirent, & magis eminentius ac inſolubilius ſit ligatum, quam

quoduis

quoduis mortale viuens. Supereſt modo vt pro parte poſtrema rationes diluam ſtatuentium mundos plures, quarum prima erat quia mundus eſt forma in materia, at iam eſt ſoluta, nam conſtat ex vniuerſa materia, & ita ex vniuerſa conſtat, vt in eius ratione ſit ex vniuerſa conſtare. Dicebatur ſecundo in attinentibus ad naturam id eſſe ſtatuendum quod eſt melius, ſoluens dico primo, illi regulæ hoc eſſe addendum, ſi fieri poſſit, at iam apparuit mundos non poſſe eſſe plures: dico ſecundo quod melius eſt mundum eſſe vnum, vt Deum vnum, ſententia Ariſt. in procemio moralium vera eſt de ea boni conditione, quæ in vno integra & abſolutiſſima non includitur. Adiiciebatur tertio in æternis eſſe & poſſe non diſtingui cōcedo; at nego mundum poſſe multiplicari, & iam patefeci multitudinem eius pugnare cum omni eius cauſa. Referebatur quarto ratio Alexan. quæ erat quod mundus ſiue arte ſiue natura fiat poteſt eſſe multiplex.

Reſpondeo, cum artem, tum naturam eſſe duplicem, communem & particularem, per communem ſolum fit vnum commune, per particularem particularia, commune eſt vnum, partes & particularia multa ſunt. Addebatur vilia eſſe numero plura, reſpondeo ea eſſe plura quia vilia ſunt, & non includitur in vno vniuerſa perfectio, præclara non egent multitudine ideo ſunt rara, & virtus iuncto eſt eminentior. Metrodori ſententia de immenſo vacuo in quo innumeri mundi gignerentur re vera eſt inanis, & inane vel non datur vel non eſt fertilis ager; ſed ſterilis penitus, addebatur ratio ex Lucretio deprompta id ipſum eſſe putandum de toto, quod apparet in partibus ſoluitur, quia totius, & partium lōge diſtincta eſt ratio, nam partium conditio eſt multitudo, totius autem & vniuerſi vnitas.

Præterea inſtabatur quia ſi mundus eſt vnus, vel eſt vnus numero &c.

Reſpondeo proprie ſub genere vniuoco contineri mortalia, æternis autem ſolum competit ſimilitudine aliqua, & dicuntur contineri ſub quodam communi ab vno, non vniuoco, ac ita mundus eſt vnum numero corpus, & cum ſit numero vnum, etiam eſt vnum ſpecie & genere, & eſt vnum numero ſubordinatum, & commune includens cuncta genera rerum. Demum dicebatur mundum putandum eſſe vnum vel ob rationem Platonis, vel ob eam Ariſt. reſpondeo ob vtranq; nam ex ſententia Platonis mundus eſt vnus, quia vna eſt eius idea, at idea mundi totius ſecus ſe habet ac idea hominis & partium mundi, idea enim mundi dicitur mundus eminens mundus originalis includens ideas partium in cuius ratione eſt vnitas cum ſit totum cuncta includens, de robore rationum Ariſtotelis iam cumulate verba feci, atq; ad vltimam quæſtionem ob id me conuerto.

EXPLICATIO TERTIAE QVAESTIONIS.



An materia Cœli & mortalium sit eadem.

Quid denotetur nomine Cœli.



AXIME consentanea expositioni librorum de Celo, est ea consideratio, num materia Cęli & mortalium sit eadem, qua de re loquuturus accipio primo nomine Cœli denotari in hac digressione vniuersam mundi partem æthercam.

Materia quincuplex.

Accipio secundo, quod cum materia sit quincuplex, Logica quæ est potentia sumpta pro non repugnantia ex parte obiecti, Mathematica & est continuum & partes, Diuina sumpta pro recessu a supremo actu & pro intelligente aliud a se tanquam formabili ab eo; pro materia arte constantium, & demum pro materia Physica subiecta Physicæ transmutationi, modo de Physica sermo est.

Cœlum materia præditum.

Accipio tertio, quod cum Cœlum cadat sub sensum, subijciatur motui & accidentibus varijs necessario physica materia præditum est, de qua modo quæritur an sit eadem cum materia physica mortalium.

Diuisio.

Qua de re verba facturus primo referam rationes putantium esse eandem, secundo cum Arist. ostendam oppositum, tertio perpendam an variorum Cęli orbium materia sit eadem, quarto quid & qualis sit ea materia, quinto diluam rationes aduersas. *Rōnes pro identitate.* Ordiens a primo, veteres Philosophi quorum opiniones frequenter refert Arist. vniuersi corporei mūdi eandem putarunt esse materiam, veluti Heraclitus ignem, Democritus atomos, Thales Milesius aquam, & sic de cæteris, hinc explicantes principia generationis putarunt se omnium explicare materiam & naturam, *Architas Tarentinus.* Archiras primo, mox Arist. oppositum approbarūt. Pro parte putantium esse eandem variæ afferuntur rationes, quarum hæc sunt potiores, prima elicitur ex opifice.

Ratio prima ex opifice.

Cum enim agens & patiens opifex & materia sibi mutuo respondeant, primum agens & opifex vnum est, quare vnum est primum patiens & prima materia.

Ex opere.

Altera ratio elicitur ex opere; opus est vnum, nimirum mundus, quare materia vna est, vnius enim communis operis vna debet esse prima & communis materia.

Ex forma.

Ratio tertia sumitur ex forma, nam vt legitur in 2. Physicorum Contex. 26. materia & forma inuicem referuntur, quare cum mundus sit vnus, vna est eius forma, vnius autem formæ vna est materia.

Ex consensu partium.

Quarta ratio elicitur ex mutua consensione partium mundi, non autem earum esset mutua consensio nisi fundamento communi ligatæ essent, huiusmodi autem est materia.

Ratio quinta elicitur ex conditione primæ materiæ, nam legitur in primo Phys.

Phys. 56. quod ad patiendum satis est vnum; insuper in ratione materiæ est, vt sit commune subiectum formarum omnium etiam æternarum, alioquin non posset in ea recipi mens humana: & demum conditio primæ materiæ est vt sit subiectum extremum ex se informe, maxime distans a Deo, huiusmodi autem non potest esse multiplex, nam si æque multa distarent non distinguerentur inter se, si non æque, id solum quod maxime distaret esset primum subiectum. *Ex conditione primæ materiæ.*

Ratio sexta elicitur ex conditione causæ, nam ostenditur in 2. Metaphysicæ in omni genere causæ esse deueniendum ad vnum primum illius generis, vt ad vnam primam formam, finem vltimum & efficiens primum, & confirmatur, quia nisi materia prima vna esset, Aristo. in primo Physicorum non explicasset vt explicare tenebatur materiam communem omnium Physicorum, nec in secundo libro communem naturam, sed solum eam mortalium definiuisset, cum de ea sola verba fecerit. *Ex conditione generis causæ.*

Septimo elicitur ratio ex attinentibus ad distinctionem, nam si materiæ distinguerentur, vel distinguerentur per aliud, vel seipsis, non per aliud, quia sic essent compositę & commune aliquid includerent, de quo est sermo, non seipsis, quia legitur in 7. Metaphysicæ 49. quod actus est qui separat & secernit, non materia. *Ex attinentibus ad distinctionem.*

Octauo elicitur ratio ex communibus accidentibus, nam cum accidentis esse sit alteri inhærere, & accidentia eadem exposcant subiectum idem, cum Cęli & mortalium eadem sint accidentia, eadem erit eorum subiecta materia; quod eadem sint accidentia patet de motu diurno, qui dicitur motus totius quo & Cęlum & ignis circumfertur, insuper patet de lumine solis perspicuitate figura, & similibus. *Ex communibus accidentibus.*

Confirmatur quia dicitur in 2. de ortu & interitu 37. quod quorum commune est quantum, secundum quod inuicem comparantur & commensurantur etiam prædita sunt materia communi, Cęlum & mortalia ita se habent; dicimus enim Solem esse maiorem Terra, Lunam vero ea minorem, quare eorum eadem est materia. Ex his patet non sine efficaci ratione ex Græcis Philoponum, ex Arabibus Auicennam, & ex Latinis Egidium putasse materiam Cęli & mortalium esse eandem, pro cuius confirmatione addam rationes nonnullas ex Egidio depromptas, nam legitur in primo Metaphysicæ Contex. 17. in fundamento naturæ qualis est materia, nil esse distinctum, omnis itaque distinctio pēdet ex forma, quare ea dempta, eadem remanet cunctorum Physicorum corporum materia. *Confirmatio.*

Præterea materia Cęli, vel est pura potentia vel nō, si primum non differt a materia mortaliū, si est actus vel actus prædita, ex ea & eius motore, siue anima, nō fieret maxime vnum vt fieri dicitur.

Insuper legitur in primo Phys. 70. materiam esse medium & dicitur medium inter ens actu & nihil, quare vna est: nam si differret vel esset media, vel nō, si nō, nō esset materia, si sic, quia mediū est vnum, vna est Cęli & mortaliū materia, confirmatur quia materia Cœli vel magis inclinat in nihil vel in actum, si in nihil, pura potentia redderetur nihil, si in actum, non esset simplex sed mixta cum actu.

Dimicaui hactenus pro parte putantium materiam Cœli non distingui ab ea mortalium, nunc dirigenda est rationum acies in partem oppositam, & firmius ostendendum est ex sententia Arist. eam esse distinctam.

Prima ratio elicitur ex forma, cuius conditio est vt ad materiam referatur, adeo vt alterius generis formæ, altera sit materia, vt legitur in 2. Physicorum. At Cœli & mortalium distinctum est genus formæ, quare & materiæ. Nec obest instantia de humana mente, quæ cum sit æterna, recipitur in corpore mortali. Nam ratio varietatis est, quia actiones humanæ mentis mortales sunt, & cum sit in ima abstractorum, pro nexu æternorum & mortalium debuit cum mortali corpore necti, cum quo etiam non sine medio nectitur, sed intermedia facultate nutriente & sentiente quæ Cœlo non competunt, non enim vnum extremū *Ratio 1.*

nectitur

nectitur cum alio fine congruentibus medijs. Infuper firmiores rationes eliciuntur ex conditionibus materiæ mortalium, quarum vna est quod fit fui essentia potentia, & ob id est principium patiendi, per quod res fiunt & intereunt, & per quod res possunt esse & non esse, vt legitur 9. Metaphyficæ 17. in primo de Cœlo 136. necnon in 2. de ortu & interitu; fi ab his autem Cœlum penitus est immune.

Tertio ordo qui in materia feruatur, vt legitur fub initio fecundi de ortu & interitu est, vt primo recipiat quartuor primas qualitates, mox prodeunt Elemēta, adeo vt ab altera primarum qualitatum nudari non valeat, Cœlum autem ab eis penitus est feiunctum.

Quarto, conditio materiæ est, vt fit prior origine fuis formis vt dicitur in 2. de partibus animalium, in Cœlo autem contra fe habet, nam primo confideratur intelligentia, fecundo corpus Cęli ex ea pendens, tertio figura, quarto circumlatio.

Quinto, materia mortalium in primo Phyficorum dicitur eadem numero hoc est fubiecto cum priuatione, & ob id formam appetit vt turpe bonum, in Cęlo nec priuatio, nec appetitus formæ locum habent, alioquin essent frustra.

Sexto legitur in calce 2. Phyf. quod fequentia materiam abfoluta necessitate eueniunt, non ex fuppofitione finis, adeo vt vbi est materia necessaria ea reperiantur quæ illam fequuntur, fequentia autem funt labor, remiffio, fenium, interitus, quæ tamen longe abfunt a Cęlo.

At dicet aliquis euenire munere eminentis formæ explentis vniuerfum appetitum materiæ, quæ euafio omnino est inanis, tum quia inquit Arift. in primo Phyf. 82. potentiam materiæ nunquam perire, at ita periret, tum infuper quia attinentia ad essentiā alicuius p nullum fuperueniens, eo fuperstite destruūtur, tum tertio quia legitur in libro de longitudine & breuitate vitæ, quod vbi est materia, ibi necessario adest contrarietas; & fieri nequit vt prædito materia nō competat contrarium, tum quarto quia fi forma eminentior expleret appetitum imperfectiorum, tunc forma hominis expleret appetitum viliorū formarum, quod non facit, & fi expleret appetitum viliorum non expleret illum præstantiorum, ac ita materia orbis Lunæ appeteret eminentiores formas.

Septimo argumētor rōne fumpta ex cognitione materiæ, nā vel nofcitur materia Cęli vel nō, fi nō cognofcitur, nō valemus dicere eā ibi reperiri, nec qđ fit eadē; fi cognofcitur cōtra materia nofcitur vel negatione, qđ fit nec qd nec quāta, nec qualis, & fic de cæteris pdicamentis, fed oīa ea potestate, vel per tranfmutationem in fubstantia, vel per analogiam fumptam ex artificiofis, quorum modorum nullus cōgruit materiæ Cęli, quæ folum nofcitur per circumlationem, & inde elicimus quod non fit fubiectum ex fe actu, folum potestate ad vbi.

Ratio octa ex authoritate. At ne longius vager octauo id confirmatum esse volo varijs & perfpicuis verbis, quæ ab Arift. varijs in libris proferuntur. Legitur in 8. Metaphyficæ contex. 12. & in 11. Metaphyficæ in Cœlo vel non esse materiam, vel non talem qualis est ea mortalium, fed folum ad vbi, hoc est fubiectum lationis; infuper in primo de Cœlo cont. 21. Cœlum non potest crefcere quia non adest materia, fi esset eadē posset crefcere per Elementa collocata fub eo, vt crefcunt partes Elementorum: infuper in eodem primo de Cœlo contex. 13. Arift. difputans contra Platonem putantem mundum genitum ait, vel materia ex qua est genitus poterat prius fecus fe habere vel ne, fi non; mundus ex ea non potuisset gigni, fi fic, igitur vt prius ita nunc poterit fecus fe habere, & poterit mundus perire & refici, ita ego argumentarer contra Arift. fi materia Cœli est eadem, igitur poterit fecus fe habere, & Cœlum esset mortale, nec dicere possumus reddi immortale per formam, quia fic ratio Arift. contra Platonem fimiliter folueretur, & redderetur inanis.

Præterea ex primo de Cœlo cont. 139. ex fecundo de ortu & interitu 51. ex 9. Metaphyficę 17. elicitur necessario includentia materiam quandoque esse, quandoque non, quia prædita funt potentia contradictionis, cuius caufa est materia

infuper

Insuper in primo de ortu & interitu contex.43.legitur quod omnium inuicem agentium & patientium necesse est vnam esse subiectam materiam & additur, dicere omnia esse prædita communi materia verum non est, sed ea sola quorum est mutua actio & transmutatio, mox in cont. 53. additur quæ communi materia non sunt prædita agunt & non repatiuntur.

Præterea in primo Phy. 82. nec non in secundo Phys. definitur materia quod sit principium ortus & interitus, definitio autem debet esse vera de omni, & semper Insuper 10. Metaphysicæ cont. 12. legitur, ea differre genere quorum non est communis materia, nec mutua generatio, æternum & mortale differunt genere ex cont. 26. quare eorum non est eadem materia. Demum cum æternum & mortale eo loci dicantur differre genere quæro, vel differunt genere Physico vel Logico, si Physico id materia est, si Logico, diuersorum genere diuersa sunt principia quorum vnum est materia; sic in tertio de Cœlo cont. 61. legitur æternorum æterna, mortalium mortalia esse principia, nam materia mortalium est mortalis saltem ex accidenti vt subijcitur ortui & interitui, ex his tam lucide elicitur Arist. putasse Cœli & mortalium distinctam esse materiam, vt nihil clarius experi possit.

Pro dictorum confirmatione considerandi sunt modi quibus aliquis suspicari posset relatas rationes posse dilui, qui præsertim duo sunt, quorum vnus est Platonis in Timeo dicentis, quod cum materia sit eadem & Cœlum solubile sit tamen Dei voluntate seruatur æternum, & mundus a nullo permutari potest quia extra illum nihil est, quæ euasio est inanis, primo quia per eam Opifex mundi indicatur imprudens; nam si mundus futurus erat æternus debuisset a prudenti opifice ita formari vt per sua principia esset talis, veluti Arist. in primo capite libri de Cœlo ait Cœlum futurum æternum exemptum fuisse a contrarietate; nam seruate æternum id quod constitutum est mortale, est prudentia sequens indicans imprudentiam antecedentem. *Solutionum apparētium relatio.*

Præterea cum nos per opera eleuemur in notitiam principiorum, & opera nobis patefaciant æternitatem Cœli, qua via noscere valemus id esse tale voluntate Dei, non autem sua natura & conditione? Insuper id quod sui natura & conditione est tale, non redditur non tale non permutata natura & conditione eius non enim variatur posterius necessario sequens, non variato priore.

Propterea Egidius Philosophus & Theologus alia via nixus est obtundere vim ostensionum, easq; vitare inquiens, materiam Cœli non appetere alias formas ob præstantiam formæ Cœlorum explentem omnem eius appetitionem & auferentem omnem priuationem, cuius solutionis euersio ex dictis est conspicua. *Solu. Egidij.*

De hac autem controuersia opiniones sunt, variæ nonnulli absolute dicunt materiam esse eandem, vt veteres Philosophi, alij esse distinctam vt Arist. nonnulli se medios constituunt, quorum vnus est Philoponus qui in disputationibus contra Proclum ex propria sententia ait esse eandem, ex opinione autem Arist. esse distinctam; alter est Scotus in 2. sent. dist. 14. quo loci vt Theologus ait esse eandem, vt Peripateticus & ex sententia Aristo. ait distingui, de quorum sententia differere nolo, quia modo verba facio de opinione Arist. de qua ab illis non dissentio. *Opiniones uariæ.*

Tertio nonnulli ex recentioribus expositoribus Aristo. aiunt materiam Cœli & eam mortalium posse considerari dupliciter vel consideratione metaphysica, vel Physica; consideratio Metaphysica est, dum consideratur potentia vniuerse, Physica vero dum consideratur potentia cum contractione ad internam transmutationem, consideratione prima est eadem, at non secunda hoc concilium inane est, quia non est, dubitatio de prædicatis communibus quæ sunt ab vno, ita enim omne quod est dicitur ens & vnum, sed de proprijs & vniuocis, hinc Aristot. etiam in Metaphysica absolute indicat materiam Cœli esse distinctam vt patuit.

Propterea dicamus materiam Cęli & eam mortalium absolute & sua essentia esse

esse distinctam & posse dici vnam non quidem per essentiam propriam, quæ sua conditione est distincta, non per priuationem recipiendæ formæ, quia priuatio talis non habet locum in Cœlo, nec per potentiam quia in Cœlo solum reperitur potentia ad vbi per partes, non per negationem, quia non sit varia, re vera enim varia est, sed solum potest dici eadem & vna secundum analogiam, quæ est vnitas non vniuoca, sed ab vno & vnitas ordinis; nam vt materia mortalium dicitur subiectum vniuersi generis transmutationum, ita ea Cœli est subiectum circumlationis, qua analogia etiam materia artificialium dicitur eadem, hinc Aristot. in primo Physicorum ait materiam nosci per analogiam sumptam ex artificiosis, & cum materiæ nomen sit ab vno si consideramus proprietatem primo dicitur de ea mortalium, at si consideramus præstantiam & ordinem naturæ primo dicitur de ea Cœli; insuper cum sit eadem solum vnitate ab vno & secundum analogiam vt etiam elicitur ex secundo de ortu & interitu. cont. 55. hoc enim in eis vt materia est hoc autem vt forma, non tamen hæc analogia talis est, vt primum sit causa secundi, vt ens per analogiam dicitur de substantia & accidente, non enim hoc pro analogia requiritur, vt minus recte nonnulli putarunt sed sat est ordo & consimilitudo rationis vnius ad alterum, sic æternis & mortalibus nil est commune vniuocum, sed id quod de vtrisque dicitur solum est commune ab vno.

Materia Cæli & mortalium est eadem secundũ Analogiam De quo materiæ nomẽ primo dicatur.

De materia distinctorum Cæli orbium.

Cum itaque materia Cœli & mortalium absolute sui essentia distinguantur, & solum in idem veniant secundum analogiam & vnitate ab vno, perpendendum tertio loco est comparatis inuicem varijs Cœlorum orbibus num eorum omnium eadem sit materia; nam iudicanda videtur eadem, quia Cœlum numeratur pro quinto, & vno simplici corpore, vnius autem simplicis corporis vna non multiplex dicitur esse materia: breuibus dico materiam distinctorum orbium esse maxime similem, & omnem hoc habere commune vt solum sit materia ad vbi, & subiectum actu, distingui tamen ordine aliquo per purius & impurius, præstantius & imperfectius sine vlla tamen compositione, hoc affirmauit Arist. in primo Meteorum cap. 3. inquiens in Cœli orbibus reperiri purius & impurius & eo loci Alexand. dixit id eis competere sine vlla mixtione cum contrario, & hoc ostendo primo, quia in Cœlo orbis pendet ex sua intelligentia, eique recta ratione respondet, quare vt intelligentiæ sunt variæ & ordinatæ ita putandum est se habere de orbibus.

Ostensio resolutionis.

Præterea cum orbes varij appareant distinctarum facultatũ magis & minus præstantium, etiam iudicari debent distinctæ at subordinatæ essentiæ.

Tertio suppono vt concessum, Cœlo nullam competere dispositionem præter naturam, quo assumpto cum in Cœlo reperiatur densius & rarius, sumendo partem densiorem quæro, vel ei per naturam competit ea densitas, vel nõ, si non tunc ei competeret præter naturam contra assumptum, si sic, igitur si materia partis rarioris est eadem præter naturam ei competeret illa raritas quod similiter absurdum est, quare colligamus materiam distinctorum orbium hoc habere commune, vt sit subiectum actu immune, a priuatione & potentia, quæ sunt principia internæ permutationis; distingui tamen ordine aliquo perfectionis; hinc Aristoteles in secundo libro de Cœlo ait, corpora eo esse præstantiora quo magis distant a centro.

Nec obest ratio pro parte opposita relata, quia Cœlum dicitur corpus vnum, simplex & essentia quinta, quatenus est corpus vnum vnitate ab vno & ordine aliquo, de quo facilius noscimus ea quæ sunt illi communia, quam propria; hinc pro uno numeratur ob consimilitudinem aliquam eius, quatenus totum circunfertur & uniuersum distinguitur a mortalibus, varij tamẽ sunt eorũ orbium proprij motus, uariæque facultates, & pro tertia parte hæc sint satis.

Qualis sit materia Cæli.

Proposui quarto considerandum quid & qualis sit ea Cœli materia: profecto dum loquimur de his, quæ longe a sensibus distant, varia datum est nobis excogitare, ac inde prodeunt opiniones variæ, longe profecto a nobis distant Cœli, & ob id variæ de eorum materia fuerunt opiniones. Nonnulli dixerunt esse dimensio-

menſionem purã,quæ ſubſtantia ſit,at hi obſcurum per obſcurius tentant illuſtrare; nam adhuc latet quid ſit hæc pura dimenſio,quæ ſit ſubſtantia.

Præterea Ariſtot.in ſeptimo Metaphyſicæ Contex. 8. inquit, longitudo, latitudo & profunditas quantitates ſunt non autem ſubſtantiæ.

Inſuper dimenſio, menſura & diuiſio ſecundum ſe quantitati competunt & eius ſunt affectiones,id autem quod ſecundum ſe vnius eſt accidens, non poteſt alterius eſſe ſubſtantia.

Stoici imaginati ſunt communem quendam ſpiritum primo attinentem ad Cœlum, mox per reliqua effuſum & cuncta nectentem, aduerſus quos late diſputat Alexander in cap. de mixtione, qui ob id præſertim arguendi ſunt, quia ſpiritum illum putarunt eſſe corpus, & ob id conceſſerunt corporum penetrationem cumulate reiectam ab Ariſt.in 4.Phyſ. *Opinio ſecunda Stoicorũ.*

Imo nonnulli eorum dixerunt quemlibet Cœli orbem eſſe ſphæram perfectam vſque ad centrum extenſam,adeo vt multorum corporum ſimul conceſſerint penetrationem.

At dixerunt id eſſe corpus ſine materia & ob id per alia corpora meare poſſe; hoc cum dicant in abſurdius labuntur,non enim excogitare poſſumus hoc corpus a materia immune;nam ſeiuncta a materia etiam ſecreta ſunt a corpore.

Inſuper corpus non meat per corpus ob impedimentum materiæ,ſed ob conditionem dimenſionum; hinc legitur in quarto Phyſicorum, quod etiam corpus Mathematicum quod eſt ſola dimenſio, ſi in aqua, vel aere excogitaretur, cogeret diſtare partes aeris vel aquæ ibi præexiſtentes.

Cicero in primo Tuſculanarũ, necnõ in primo Academicarum quæ eſt dixit, eſſentiam materiæ Cęli eſſe Entelechiam illam,quam Ariſt.in ſecundo de Anima ſumpſit pro genere in definitione animæ, qua ſententia nil abſurdius dici poteſt,nam per eam cogeremur dicere vel animam eſſe corpus,vel Cœlum corporis expers; at in 2. de anima explicans vocem Entelechiæ cumulate de hoc verba feci:propterea qui ſequuti ſunt vetuſtiſſimum Orpheum Poetam,& Philoſophum celeberrimum dixerunt, ex anima mundi prodire ignem puriſſimũ tanquam puriſſimum ſpiritum per omnia effuſum, quem Cœlum Cęlorum & vitam vitarum appellarunt; ex quo affirmarunt prodiiſſe deinde Elemẽta quattuor,nimirum ætherem proxime ſub Cęlo poſitum,ita etiam corpus illud a Platone in appendice legum nuncupatum, ac inſuper aerem, aquam & terram, de quo ſpiritu putant nonnulli debere intelligi illud, ſpiritus intus alit; ac inſuper aliud,ſpiritus ferebatur ſuper aquas. *Cicero.* *Orpheus.*

Hunc ſpiritum Arnaldus de Villanoua, & Raimundus Lullius viri arti ſublimandi & inani Magiæ addicti dixerunt per omnia eſſe effuſum & per ſublimationem ex cunctis elici poſſe, præſertim tamen ex vino, qui mox arte in auro imbibitus conſtitueret aurum illud potabile,ſaluberrimum pro vita proroganda & nouo auro conficiendo; quorum ſententia potius tanquam delirium eſt negligenda,quam accurata ratione reiicienda, nam ex materiatis corporibus nil niſi materiatum elici poteſt, Cœlum autem eſt diſtinctæ eſſentiæ; ſolum ex mixtis elici poteſt humor & ſpiritus aliquis tenuis & purus, eximiæ alicuius facultatis,vt experientia docet,at non quinta illa ab eis nuncupata eſſentia.

Plato putauit Cœli eſſentiam eſſe eminentiam quattuor Elementorum, & præſertim ignis; nam vt lumen ſolis eſt eminentia omnium qualitatum virtute cunctas includens,ita Cęlum dixi eſſe eminentiam Elementorum; quæ ſententia iure negligenda modo eſt,cum ſit oſtenſum,materiam Cœli eſſe diſtinctam ab ea quattuor Elementorum. *Plato.*

Quare dicamus quod materia Cœli eſt eſſentia corporea,ſimplex,terminata figura orbiculari,non egens forma vt ſit corpus actu, ſed egens ſeparata mente a qua vitam & motum, vnum & continuum recipiat, ad quem ſui natura eſt procliuis. *Opinio verior.*

Hæc materia rectius dicitur ſubiectum quã materia,primo,quia ex ſe eſt corpus actu non egens forma vt actu ſit, Secundo quia ſolum eſt ſubiectum accidentium, *Cur rectius dicatur ſubiectum.*

dentium, quæ exposcunt subiectum actu: hinc solum vitæ potest dici materia, quia non eget forma vt sit, sed vt viuat.

Insuper nuncupatur essentia quinta, absolute tamen essentia prima, essentiæ corporũ dicũtur quinque, quia materia mortalium ob quattuor primas formas mentorum pro quibus est parata, ob quas est distincta & ad quas primo refertur, ab Arist. in 4. de Cęlo Contex. 37. dicitur quadruplex, quibus præest Cęlum dictum essentia quinta: materiæ mortalium propria est dimensio terminorum expers, materiæ vero Cęli terminata dimensio.

Considerando in Cęlo absolutum naturæ & originis ordinẽ prima est mens, quę intelligentia dicitur, eam sequitur essentia Cęli terminata, propriaque figura circumscripta, quam tertio comitatur perspicuitas & lux, quarto motus, ea tria supponens.

In connexione mentis & orbis non mens redditur materiata, sed orbis formosus recipiendo vitam. Legitur in secundo de Cęlo contex. 71. motorem Cœli & orbem sibi certa quadam ratione mutuo respondere, quæ congruens ratio non ex orbe viliore prodit, sed ex motore præstantiore.

At pro quarta parte hæc sint satis, superest modo vt pro parte quinta aduersas rationes diluam in prima parte relatas quibus ostendebatur Cęli & mortalium eandem esse materiam.

Prima sumebatur ex vnitate primi agentis cui vnum patiens recta ratione respondet: reflectitur primo ratio quia vni capiti ordinis multi gradus subordinatorum, & vni Principi vniuersi multi gradus inseruientium subijci debent, & vt opus eius est vnum ordine, ita talis debet esse materia.

Insuper soluitur ratio, quia opifex ita est vnus vt eminentia includat facultates variorum.

Altera ratio eliciebatur ex opere, nam vnius communis operis vna esse debet communis materia; quæ reflectitur, quia operis quod est vnum ordine & ab vno materia esse debet vna non vniuoce, sed ordine aliquo & vnitate ab vno.

Tertia ratio sumitur ex mutua consensione partium mundi, quæ reflectitur, quia eorum est communis materia, quorum mutua est consensio, inter partes mundi Elementaris est mutua consensio mutuaque actio & perpessio, non autem Cœli & Elementorum; non enim Cęlum per Elementa permutatur & patitur, solum Elementa permutantur a Cęlo, quia ex eo pendent vt ex communi efficiente.

Ratio quarta sumebatur ex forma, quæ etiam reflectitur, quia vt forma est vna, ita vna iudicanda est materia, forma mundi est ordo, cui debet respondere subordinata materia.

Quinta ratio sumebatur ex conditione primæ materiæ, de qua dicitur, quod ad patiendum satis est vnum, & eius conditio est vt sit commune subiectum, quę cum reflectione soluitur, quia Cœli & mortalium non est communis passio & permutatio, quare neque vna communis materia; passio enim & mutua permutatio ducunt nos in notitiam communis materiæ; & ad id quod additur, quod recipiat mentem humanam æternam dicendum est, quod eam recipit quatenus vt postrema æternatum formarum per opera est permutationi & varietati obnoxia, ob nexum æternorum & mortalium.

Insuper addebatur conditionem materiæ esse vt sit subiectum extremum, maxime distans a Deo, quæ soluitur, quia ea non est conditio vniuersi generis materiæ, sed solum materiæ mortalium.

Sexta ratio sumebatur ex conditione causæ, nam conditio unius cuiusque generis causarum est, ut ad vnam primam deueniatur; at soluitur, tum quia genus causæ non vniuocum est, sed ab vno; & ideo ad id deueniendum est, quod sit vnum ordine & vnitate ab uno: tum insuper, quia in genere materiæ primũ secundum proprietatem est materia mortalium, primum uero sua conditione natura & absolute est materia Cęli.

Addebatur quod nisi omnium corporum Physicorum una esset communis

materia

materia Arist. non assignasset communia eorum principia, soluitur, quia Arist. declarauit communia principia eorum quorum sunt communia, at principia generationis solum vniuoce sunt communia mortalibus, ex eorum tamen declaratione eleuamur in notitiam principiorum & naturæ etiam æternorum, vt latius in expositione primi & secundi Physicorum patefeci.

Ratio septima eliciebatur ex attinentibus ad distinctionem, quam soluens dico, materiam Cœli non differre ab ea mortalium, quia differens differentia superaddita differt, & ob id compositum est, vt patet ex 10. Metaphysicę Contex. 12. sed ab ea distinguitur nō per aliud, sed per seipsa, vt inuicem distinguuntur principia: at instabatur, quia actus est qui separat, soluitur actu secerni composita prædita actu, non autem actu carentia.

Afferebatur octaua ratio sumpta ex communibus accidentibus, quæ nedum soluitur sed reflectitur, quia accidentia illa non ita sunt communia, vt sint eadem vniuoce, sed ordine aliquo & vnitate ab vno; & loquendo de lumine Cœli, id non recipitur in materiatis mortalibus, sed solum spiritualiter repræsentatur & non recipitur spiritualiter in materia, sed in compositis: similiter motus in orbem his competit non eodem modo, sed ordine aliquo, neç in materia, sed in subiecto quod actu sit recipitur.

Addebatur sententia Arist. in secundo de ortu & interitu, Contex. 37. dicentis, quæ inuicem comparantur, secundum quantum prædita esse communi materia, quæ non aduersatur approbatæ opinioni duplici de causa; prima est, quia Cęli & mortalia comparantur secundum quantum non vniuocum, sed ab vno & ad vnum, quod in ordine est positum

Altera est, quia ea verba enunciantur ab Aristot. contra Empedoclem dicentem, quattuor Elementa esse æqualia, ait Arist. hoc solum posse iudicari verum ex parte materiæ, quatenus quantum materiæ competit vni, tantum competit alteri, non secundum extensionem, at hoc modo Cœli & mortalium non comparantur secundum quantum.

Afferebantur demum nonnulla ex Egidio deprompta, primum erat in fundamento naturæ nil esse distinctum, respondeo, id non facere ad rem; loquebatur enim Aristot. de Chao Anaxagoræ, quod fundamentum naturæ & principium omnium natura constantium dicebatur, in quo cuncta confuse & sine distinctione erant iuncta; ex sententia autem Arist. in fundamento naturæ mortalium nil est distinctum. *Diluuntur postremæ rationes.*

Insuper quærebatur materia Cœli vel est pura potentia vel ne, respondeo, materiæ Cœli potentiam ad esse & non esse, quæ dicitur potentia contradictionis, non competere, sed solum potentiam ad vbi; & dicitur media inter non esse & esse actu per formam, quatenus neutrum est, absolute tamen ex se actu est, quatenus forma non egęt, sed est subiectum sine forma ex se id includens, quod composita apud nos recipiunt a forma: hinc recte Auerr. in cap. de substantia orbis enunciauit; dum competentia mortalibus tribuuntur Cœlo, vel ei non competunt vel non eodem modo.

De his ac de multis alijs annexis cumulatius disserui in libro, quem de Cœlo composui.

Finis Expositionis Primi Libri de Cœlo.



FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS.

DE COELO LIB. SECVNDVS.

Contextus Primus.



VOD igitur neque genitum sit vniuersum Cœlum, neque contingit corrumpi, veluti nonnulli de ipso censent, sed est vnum æternum, principio & fine carens totius æui, includens tamen & continens intra se infinitum tempus, cum ex dictis licet accipere fidem, tum ex opinione secus sentientium & assignantium eius generationem; nam si ita se habere contingit, vt vero ipsi dicunt non contingit, magni hoc momenti erit pro fide facienda de eius immortalitate & æternitate.



ISPVTATVRVS Arist. de mundo, vt per primam eius compositionem consurgit ex ordine simplicium corporum, primo de simplicibus corporibus, & præsertim de parte ætherea, quæ magis latebat, verba fecit, vt primo saltem confuse mundi principia apparerēt, mox infinito reiecto, mundum esse vnum & æternum pro facultate demonstrauit.

Intentio. Absoluto primo libro intentio eius in hoc secundo est distincte loqui de parte ætherea, præsertim considerando qualis sit, nam quid sit satis patet ex parte prima primi libri.

Diuisio libri. Diuiditur hic secundus liber in tres principes partes, in prima sermo est de toto Cœlo, in secunda de stellis, in tertia de terra relata ad Cœlum, tanquam de

centro

centro eius. Pars prima diuiditur in partes sex, in prima colligitur & confirmatur æternitas cum eius tum mundi totius, in secunda sermo est de differentijs positionis eius. In tertia de motu Planetarum. In quarta de figura Cœli. In quinta cur mobile primum potius mouetur ab ortu in occasum quam cõtra. In sexta ostenditur Cœli motum cum regula, tum consimilitudine esse præditum.

Quod autem pertinet ad primum in hoc Contextu duo facit Philosophus, primo pro nexu huius libri cum anteceden te conclusionem colligit declaratorum in calce antecedentis, & est, vniuersum Cœlum nec esse genitum, nec posse interire; in secunda parte eam conclusionem hunc in modum confirmat; ea opinio est approbanda quam non sequuntur absurda, & ea reijcienda quam sequuntur: opinionem nostram non sequuntur, sed sequuntur eam aliorum, nostra itaque opinio approbanda est, altera negligenda. Maior concederetur ab omnibus, sed de veritate minoris solum est dubitatio.

ANNOTATIONES.



ONSIDERO primo, quod Aristotiles in ordine seruando maxime uidetur esse concisus, nam orsus est a simplicibus corporibus, mox illis dimissis, loquitur de mundo toto, & deinde iterum ad simplicia corpora redit. *1. Consideratio.* *Dubitatio de ordine.*

Præterea cum simplicia corpora sint materia mundi & de materia origine priore prius sit agendum, tenebatur primo absoluere declarationem eorum, mox descendere ad mundi ex eis conflati considerationem, & præsertim, quia sine partium notitia totum cognosci non potest.

Respondeo simplicia corpora dupliciter posse considerari, primo secundum quædam communia & quatenus sunt principia mundi, secundo ut propria multa includunt, & sunt partes ordinis; ratione primi primo fuere communi quadam consideratione explicata, ratione uero secundi secundo loco, & post uniuersi declarationem, cuius tamen absoluta notitia non consurgit, nisi declaratis gradibus eius. *Solutio.*

Considero secundo, quod pertinet ad uerba contextus, quod Aristoteles ait, quod igitur neque genitum est uniuersum Cœlum, &ctæ. ait uniuersum Cœlum denotando non uniuersam partem æthereum, ut ait. Simplicius, nam Aristotiles de toto mundo, non de sola parte ætherea demonstrauit æternitatem, sed mundum totum, quæ erat tertia nominis Cœli significatio, in qua tertia significatione Aristotiles Cœlum definiuit, & se de eo uerba facere affirmauit, & modo pro distinctione a sola parte ætherea dixit, Cœlum totum, ac ita etiam est loquutus, quia ei secundum partes sublunares competit modo aliquo interitus quæ tamen munere Cœli successione seruantur æterna. *2. Consideratio.*

Considero tertio, quod de mundo ait carere principio & fine uniuersi æui, & continere uniuersum tempus; ait uniuersi æui pro distinctione ab æuis secundum partem & cum contractione ad uitas mortalium, qualia sunt æua mortalium. *3. Consideratio*

Insuper ait, continere tempus uniuersum, at quomodo cum infinitum contineri non possit, nec mensurra contineatur a mensurato sed uice uersa. *Dubitatio.*

Respondeo, mundum mobilem continere tempus primo tanquam affectionem suam, secundo tanquam causam eius, tertio quia æternum est supra tempus & non continetur nec mensuratur ab eo; nam proprie loquendo seiuncta a corpore sunt supra tempus, corpora mobilia æterna sunt una cum tempore, mortalia subijciuntur tempori, & mensurantur ab eo: sic in Contextu 100. di- *Solutio.*

ctum eft æuum contineie uoiuerfum tempus & infinitudinem. Addo quarto mundum continere tempus tanquam aliquod requifitum pro eius uniuerfitate.

4. Confideratio. Confidero quarto, quod pertinet ad rationem formatam in fecunda parte, quod ea eft ratio probabilis, nam de minori propofitione eft dubitatio, ea habet uim a fufficiente partium enumeratione cum euerfione aliarum partium pro conftructione remanentis, ac ita eft ratio indirecta, & eft non demonftratio fed confirmatio, ut appareat oftenfa ratione effe confentanea fenfui & experientiæ.

5. Confideratio. Confidero quinto, Alexandrum iure confideraffe quod Ariftotelis dixit, Cælum non effe genitum neque contingere corrumpi ueluti nonnulli de ipfo cenfent, addidit neque contingere corrumpi ob Platonem, qui in Timeo dixit non corrumpi, quia feruatur uoluntate Dei, ex fe tamen effe corruptibile, Simplicius femper fuo more pro Platone pugnans hoc reijcit, fed inaniter.

Contextus II.

Propterea bonum eft fibi fuadere prifcos & maxime nobis patrios veros effe fermones, quod detur immortale aliquid & diuinum præditorum quidem motu, at tali vt nullus fit terminus eius; fed ille potius terminus fit cæterorum, nam terminus continentium eft, ipfa autem circumlatio cum fit perfecta, continet imperfectas præditas termino & quiete, ea vero caret principio & fine, & infinito tempore feruatur. Aliorum vero, horum quidem caufa eft principij, horum vero quietem recipit; Cælum autem & locum qui furfum eft veteres Dijs tribuerunt veluti exiftentem folum immortalem: ratio autem quæ nunc teftatur quod incorruptibile & ingenitum fit, infuper immune a paffione & ab omni mortali difficultate.

Intentio. 
PPROBATA & relata conclufione, in calce primi libri oftenfa, intentio Ariftotelis in præfenti contextu eft eandem dialecticis rationibus confirmare.

Diuifio. Diuiditur præfens contextus in tres partes, in primis duabus duæ referuntur rationes ex ueteribus Philofophis depromptæ; in tertia manifeftatur quid eis fuperaddat Ariftot.

Ratio prima fumitur ex authoritate, nam Chaldei & uetuftiores putarunt Cælum æterno motu moueri, non autem ita moueretur nifi effet æternum, quod indicarunt nomine ei impofito & approbato; nuncuparunt enim illud nomine ætheris ab æterno curfu.

Altera ratio defumitur ex eo quod omnes inftinctu quodam naturæ Cælum dixerunt fedem Deorum, fedes autem rei æternæ æterna effe debet: de his duabus rationibus uaria dicta funt fub initio primi libri. (Ratio autem quæ nunc, &cæt.)

In hac tertia parte manifeftatur quid fuper addiderit Ariftotiles; nam ueteres tanquam inftinctu quodam naturæ & ab ipfa ueritate coacti Cælum dixerunt æternum: at Ariftot. rationes addit firmiores, quibus nedum confufe oftenditur,

ditur, Cęlum moueri ſemper & eſſe æternum, ſed etiam eſſe immune a paſſione omnique mortali difficultate, hoc eſt labore & remiſſione.

ANNOTATIONES.



ONSIDERO primo, putaſſe Simplicium concluſionem in præcedente context. collectam de toto Cœlo, debere intelligi ſolum de parte ætherea, quod confirmatur, quia Ariſtotelis in hoc context. ſolum de parte ætherea oſtendit æternitatem, & id dicit, quia putat ſubiectum libri eſſe non mundum, ſed ſimplicia corpora; at errat, nam in calce præcedentis libri oſtenſum eſt eſſe vnum & æternum non de parte, ſed de toto, cui oſtenſioni reſpondere debet concluſio, & ſi modo de parte ætherea oſtenditur æternitas, id nil refert, nam de ea oſtenditur vt de parte, per quam collocata ſub ea ſeruantur æterna & cui primo & magis proprie æternitas competit. Inſuper id facit, quia mox de hac parte ætherea eſt loquuturus.

Annotatio. 1. Contra Simplicium.

Conſidero ſecundo, quod Ariſtot. ait, bonum eſſe ſibi ſuadere priſcos & maxime patrios ſermones & cæt. denotans præſertim Aſſyrios, Chaldeos & vetuſtiores Græcos, ex quibus in alios defluxerunt ſcientiæ, quorum ſermones dicuntur patrij, primo ob vetuſtatem, nam vetuſtiores maxime patres conſueuimus dicere; Secundo ob ſcientiam, quatenus fuerunt ſcientiæ noſtræ progenitores; Tertio ob ſacerdotium, nam veteres ſapientiam cum ſacerdotio nectere conſueuernnt: hinc Mercurius dictus fuit ter maximus, quia ſimul erat ſapiens, ſacerdos & princeps. Quarto, quia vetuſtiores a populis iudicantur propinquiores Deo, & tanquam a Deo afflati, & propterea prolata ab illis magni faciunt, hinc Plato in Timeo dixit, vetuſtioribus ſacerdotibus etiam ſine ratione loquentibus adhibendam eſſe fidem; hinc illud prodijt, ſit ſatis pro ratione vetuſtas.

2. Conſideratio.

Conſidero tertio, quod Ariſtotelis ait, Cœli motum eſſe terminum aliorum, quod ita oſtendit; Continens terminat, Cœli motus continet alios, igitur terminat; minor oſtenditur, quia perfectum continet imperfecta, Cęli motus eſt perfectus, cæteri imperfecti, quare &c. minor oſtenditur, quia ſolus ita ſe habet, vt abſolute careat principio & fine, cum tamen ſemper ſimul ſit in principio & fine ſic ob ſui perfectionem eſt cauſa principij motus aliorum & eorum recipit quietem.

3. Conſideratio. Motus Cęli quomodo terminus aliorum.

Quarto conſidero, ex nuper dictis has prodire difficultates; prima eſt, quomodo motus æternus dici poſſit cauſa motus noui cum ab æterno nil noui produci poſſit?

4. Conſideratio.

Altera eſt, quomodo cum ſemper moueatur dicatur recipere quietem mortalium.

1. Dubitatio. Secunda.

Tertia quomodo ſi cui nullus comperit terminus, dicatur terminus; nam terminus finis eſt.

Tertia.

De prima difficultate dico, motum æternum mediare inter abſolute æterna nulli varietati obnoxia; qualis eſt Deus, & abſolute mortalia; nam motus Cœli continenter fit & interit, & cum æternitate iunctam habet varietatem & interitum.

Solutio.

Inſuper primo non mouente, cætera non mouent, ac ita eſt origo ſequentium motuum.

Tertio, quia ſol ſuo acceſſu & receſſu eſt cauſa ortus & interitus, Elementa autem a generante longe tamen moueri dicuntur.

Q̃uodo Cęli motus ſit origo motuũ mortaliũ, & eorum recipiat quietẽ.

Quærebatur ſecundo, quomodo recipiat quietem mortalium, reſpondeo

eam recipere, quia intra se continet Elementa in suis locis locis quiescentia, quæ est dispositio eorum maxime secundum naturam. Insuper quia Cœlum sua definita distantia circumscribit loca Elementorum, in quibus requiescant.

Præterea, quia mortalia mouentur vt quiescant, quies est finis & perfectio eorum, motus autem Cœli dirigit ad perfectionem, perficit, perfectaque continet, ac ita res per motum in suam quietem dirigit & quietem recipit, quia in mundo perfecto sola perfecta absolute dicuntur recipi.

Erat dubitatio tertia, quomodo sit terminus cum ei nullus competat terminus, respondens dico, multiplici ratione posse esse terminum & mensuram; primo, quia quamuis absolute careat principio & fine, tamen per distinctam relationem vbique includit vtrumque; Secundo, quia regularis; Tertio, quia velocissimus; Quarto, quia perfectus, perfectum autem est finis imperfecti; Quinto, quia antecedit, sequitur & simul est cum quouis motu mortalium; Sexto, quia Cœlum sua intima superficie est terminus motus sursum, & sua definita distantia motus deorsum. Septimo, quia in calce quarti de Gener. animalium dicitur, ex Cœli motu prodire mensuras motuum & vitæ mortalium: sic itaque in Cœli motu motus reliqui omnes suos terminos suspiciunt.

5. Consideratio. Cœlum quomodo sursu. Demum considero Cœlum dici sursum, non quia proprie sit sursum, huiusmodi enim est locus ignis, sed vel ob popularem consuetudinem per quam cuncta supra nostrum caput eleuata dicuntur sursum, vel quia proximum est loco sursum & sua intima superficie illum constituit.

Cont. III. IV. V. & VI.

INsuper sine labore, cum nulla egeat violenta necessitate, quæ detineat ipsum natum secus ferri: omne enim quod huiusmodi est, eo est laboriosius, quo fuerit diuturnius, & optimæ dispositionis magis expers.

Quare neque vt priscorum fabula est, censendum est se habere, dicentium Cœlum salutis gratia egere Atlante, nam qui hoc dicunt, eius fuerunt opinionis, cuius mox posteriores, qui superis corporibus perinde ac terreis & grauitate præditis fabulose subiecerunt animatam necessitatem, at neque modo hoc putandum est se habere.

Neque cum Empedocle dicendum ob reuolutionem celeriorem propria latione tam diu seruari.

Præterea neque rationi consonum est, ab anima cogente seruari æternum, non enim possibile est animæ huiusmodi vitam competere sine labore & beatam; necesse namque est & motum violentum esse, cum moueat continue corpus primum natum moueri secus. Propterea laboriosam necesse est esse huiusmodi vitam, & expertem cuiusque prudentis roboris, cum non vt animæ mortalium animalium ei requies per somnum competat, quæ laboris corporis remissio est, sed necesse est Ixionis cuiusdam fatum detinere ipsam æternum & ineuitabile: Si itaque vt diximus contingit se habere, declarato modo de prima latione, nedum melius est de eius æternitate

te ita putare, sed diuinationi quoque de dijs hoc solo modo consentanea enunciare valemus; at de his hactenus.



IN primo Contextu Aristotelis ita argumentabatur, ea opinio quam non sequuntur absurda eis est præferenda, quas absurda sequuntur, opinio approbata se habet primo modo, altero vero opinio aliorum: ea itaque præferenda est alijs; Opinio approbata hæc fuit, quod Cœlum immune sit ab ortu, interitu, perpessione & omni mortali labore & difficultate, cum sit naturæ & conditionis distinctæ ab ea mortalium; opinio aduersa est, quod sit eiusdem conditionis & ob id sit ex se natum pati, alterari & interire, tenebatur autem ostendere, quod hanc sequantur absurda, & id facit in præsenti contextu qui diuiditur in quinque partes, in prima absoluit explicationem opinionis propriæ, addendo quod sine vlla difficultate & labore moueatur, quod ostendit, quia si cum labore & pugna moueretur, & contra propriam inclinationem, tunc egeret aliquo detinente & conseruante, cuius vita misera & infælix esset, & eo miserior, quo motus esset diuturnior; hoc autem communi consensione iudicatur absurdum; communi enim voce diuina dicuntur fælicia. Hoc absurdum non sequitur opinionem Aristotelis sed eam aliorum; ea itaque est reijcienda. (Quare neque vt Priscorum fabula est, &c.) In hac secunda parte ostenditur ex aduersa opinione ortum duxisse fabulam ab Homero in odyssea relatam, quod Cœlum, tanquam graue, ne rueret detineretur humeris ab Atlante, quod esse absurdum ex se patet. (At neq; modo hoc putandum est se habere, neq; cum Empedocle &c.) In hac tertia parte refertur aliud absurdū ex eadem opinione prodiens, & fuit sententia Empedoclis, & præsertim Democriti, Leucippi & Epicuri dicentium, Cœlum non ruere quamuis eius sit conditionis cuius sunt mortalia, quia velocissime reuoluitur, adeo vt reuol. sit celerior, & præueniat ac præoccupet descensum, de qua opinione sermo est in quarto libro. (Præterea neque rationi consonum est ab anima &c.) Hæc est pars quarta, in qua refertur aliud absurdum a Platone excogitatum, & est quod detineretur Cœlum ab anima mundi, quam nuncupabat Deum fati & necessitatis, cuius ancillæ essent tres illæ nuncupatæ Parcæ, quod esse absurdum ostenditur, quia eius vita nedum non esset beata, sed misera & cum labore, quia moueret corpus aptum secus moueri, & ob id moueret cum pugna & labore, qui motus est violentus; ac ita indicaret se expertem prudentis roboris; robur autem sine prudentia recte vten te ferarum est, & eo magis vita eius animæ esset misera, quo moueret diutius, neque per somnum vt animæ mortalium restauraretur, sed ab ineuitabili & æterno fato Ixionis cuiusdam exemplo alligata detineretur & misere reuolueretur. (Si itaque vt diximus &c.) Ostensa minori propositione quæ erat opinionem aliorum sequi absurda, colligit conclusionem, eamq; confirmat; conclusio est cum opinionem præostensam non sequantur absurda, iure optimo ea est approbanda, aduersa vero reijcienda, & confirmatur, quia per eam enunciamus consentanea diuinationi de Dijs, & id euenit duplici ratione, prima est, quia inspiratione quadam diuina Cœlum dicimus locum Deorum, æternum æterno aptantes: Secundo, quia diuino quodam contactu motores Cœlorum & supera diuina & felicia iudicamus.



ANNO-

Francisci Piccolominei

ANNOTATIONES.

Annot. 1. An Cœlum moueatur sine labore.



VARIA se offerunt digna consideratione, quorum primum est, Cœlum moueri sine labore; at contra, vbi resistentia, ibi labor, in Cęlo est resistentia, alioquin nullum posset assignari tempus in quo moueretur, vt dicitur in quarto Physicorum de motu in vacuo.

Præterea moueri sine labore non est proprium Cęli, immo Elementa tantum abest quod dum secundum naturam mouentur quod laborent, vt potius perficiantur; hinc quo diutius mouentur, eo feruntur velocius.

Solutio. Respondens dico, a motu Cœli abesse laborem, primo ex conditione motoris a materia seiuncti, quæ ratio attinet ad octauū Physicorum, in quo est sermo de primo motore.

Secundo ex conditione Cœli ad hunc librum attinētis apti solum in orbem, non secus moueri; & dum quæritur, num adsit resistentia, respondeo resistentiam esse duplicem, vnam cum contrarietate, vt dum mouetur id quod est aptum secus moueri, ex qua prodit labor; & hanc Aristoteles a Cęlo remouet: *Duplex resistentia.* altera, quæ solum versatur inter actum & potentiam, quatenus motor maioris, vel minoris virtutis est aptus mouere mobile vel maius vel minus, vel tardius vel velocius, & mobile est aptum a definita virtute definito tempore moueri; hæc resistentia locum habet in Cęlo & nullius laboris est origo.

De motu Elementorum dico, quod quamuis ea non includant internam pugnam, vt animalia, includunt tamen pugnam externam, quia dum mouentur, sunt in loco alieno eis contra naturam competente, & pugnant cum medio quod contra naturam diuidunt; si autem eueniat vt in progressu ferantur velocius, id est ex accidenti, quatenus vehementius a tergo impelluntur.

2. Consideratio. Considero secundo, quod attinet ad partem secundam, in qua est sermo de fabula inducente Atlantem suis humeris detinentem Cęlum, ne ruat; & primo *Atlas.* quæritur, quid per huiusmodi Atlantem denotetur; aiunt nonnulli denotari montem in occidente sublimem, qui longe aspicientibus videtur tangere Cęlum & quasi illum detinere. D. August. 18. de Ciuitate Dei & cum eo Marsilius Ficinus aiunt, quo tempore quo natus est Moyses floruit Atlas Astronomus Promethei Physici frater, ac fraternus auus maioris Mercurij, cuius nepos fuit Mercurius ter maximus. *D. Aug.*

Hic Atlas eo quia fuit peritissimus Astronomus fingitur humeris gestare Cęlum.

Simplicius. Simplicius ait, quod Atlas fuit vnus Tartarorum, qui non totus more cęterorum Baccho indulgebat, sed inclinabat ad vitam Iouialem & continentem, ac ita Cęlum a terra, hoc est partem diuinam a mortali seruabat seiunctam; at hoc minus probabile iudico, probabilius autem Aristoteles in libro de motu animalium hoc refert ad axem mundi, & terram in medio quiescentem, quæ sua immobilitate videtur Cęlum seruare immobile & seiunctum a se, hæc probabiliter dicuntur: absolute tamē verus Atlas est Deus, de quo legitur in 8. Physicorum 52. quod eo manente necesse est manere vniuersum, quod ei est continuum. *Verus Atlas.*

3. Consideratio. Considero tertio pro eadem secunda parte, quod Aristoteles minus recte videtur in fabulis Atlantis & Ixionis versari; nam in secundo Posteriorum legitur, reijciendas esse a definitionibus metaphoras; Philosophia est tanquam virgo pudica & simplex cui ornamenta Poetica non sunt consentanea, hinc Plato in 10. de Repub. dixit veterem quandam esse dissensionem inter Poesim & Philosophiam: ex aduerso legitur in proęmio Metaph. Philosophum esse amatorem fabularum, & veteres Philosophi vt Orpheus, Democritus, Empedocles & similes

similes simul fuere & Philosophi & Poetæ, vt etiam ex recentioribus Lucretius, sic Arist. hoc in loco fabulas permiscet. *Poesis quo Philosopho amica.*

Pro solutione dico Poesim & Philosophiam partim pugnare & dissentire, partim consentire; nam Poetæ intentio est prodesse & delectare, ex parte qua prodest, recte instituit & veri aliquid includit consentit cum Philosopho, a quo dissentit, vt ornamentis & metaphoris delectat & Sirenarum more dulci cantu demuleet animos, eosque reuocat a rebus serijs & recto cursu; sic consentiũt de fructu, dissentiunt de folijs & inuolucris.

Philosophus est amator fabularum, vt dicitur in prooemio Metaphys. quia fabula ex mirandis constat, admiratio autem Philosophiam parit. *Philosoph. quomodo diligit fabulas.*

Insuper fabulæ patefaciunt acumen ingenij inuentorum, at cum per fabulas exercentur ingenia, in eis tamen Philosophus morari non debet, sed transire ad seria, & per allegoricum sensum ad vera & vtilia properare.

Considero quarto, quod pertinet ad partem tertiam, in qua refertur opinio Empedoclis, quæ tamen præsertim fuit Democriti, Leucippi & Epicuri, qui dixerunt motum Cœli celeriorem anteuertere & præoccupare descensum grauium tardiorem, quod hoc apparet verum nedum de motu corporum, vt apparet in reuolutione lucernæ oleo plenæ sine olei effusione, sed etiam in motibus animi, nam ob hoc primi animorum motus non sunt in nostra potestate, quia sunt celeriores ratione & anteuertunt eam: similiter in iraeundo motus iræ est celerior ratione, & ob id multa facit, quæ mox sedata ira eum fecisse pœnitet. *4. Consideratio.*

Inde etiam oritur, quod in multis naturæ propensio & velocitas non expectat artem, vt qui ex improuiso per naturæ propensionem poemata condunt, minus sunt apti id facere arte, sic in Ouidio præualet natura, in Horatio ars, in Platone vis naturæ maxime fulget, in Arist. ars.

Dum tamen natura & ars ad idem efficiẽdum congruenter conspirant, opus prodit omni ex parte perfectum, hinc recte dicitur: Nihil inuita facies dicesve Minerua. *Conspiratio naturæ & artis.*

Considero quinto pro parte quarta, in qua fit mentio de anima mundi, Aristotelem in Platonem inuehi, qui mundum dixit animatum cuius animam non puto secreuisse ab ea supremi mobilis, hanc animam superæ menti iunctam dixit regere & seruare mundum, sui conditione solubilem; hanc nuncupauit Deã necessitatis, cui famularentur tres nuncupatæ Parcæ. *5. Consideratio.* *Anima mũdi.*

De hac anima Plato in Timeo dixit, incepit incessabilem & prudentem vitam per omne tempus; aduersus quam opinionem etiam disputat Aristotiles in primo de anima Contex. 49. modo autem ei obijcit, quod eius vita esset miserior ea animalium, quia nulla quiete restauraretur, ac ita similis esset vitæ Ixionis.

Insuper, quia eius robur non esset prudens, vt Plato dixit, sed imprudens.

Hic considero, quod prudentia est duplex, vna antecedens, per quam recte formantur opera, altera sequens, qua opera perperam formata corrigũtur, qualis videtur ex sententia Platonis prudentia animæ mundi, qua mundum mortalem nititur seruare æternum. *Prudentia duplex.*

Insuper considero nexum roboris & prudentiæ saluberrimum esse, hæc in Principe Regio summopere fulget: robur sine prudentia ferarum est, & talis est ea Tiranni, quæ non obesse maxime non potest; Prudentia sine robore non obest, ac etiam parum potest.

Insuper considero exemplum ex Ixione depromptum, de quo Tibullus libro primo.

Illic Iunonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota.

Fingunt Poetæ Ixionem cupientem amplecti Iunonem, cum nube iunctum fuisse & ex connexione ortum duxisse Centaurum; propterea a Iunone destinatum fuisse rotæ. *Ixio.*

Indicat

Indicat hæc fabula, quod dum aliquis vitam cupit ducere & studium profiteri suæ conditioni non consentaneum, monstrum parit non prolem commendabilem; huiusmodi ex sententia Platonis in sexto de Repub. sunt illi, qui cum non sint apti Philosophari, sapientiam amplecti cupiunt, & inde perniciosa mōstra prodeunt, de quibus mox Seneca Stoicus enunciauit, quod illi Philosophiā, hoc est studium sapientiæ, in Philologiam, hoc est garrulitatem & contentionem commutarunt; at reuera proprij Ixiones illi sunt, quorum animæ adeo cum corpore quasi volubili rota sunt colligatæ, vt sola desideria attinentia ad corpus explere nitantur, qualia sunt ea Veneris & Bacchi, quæ eum explere nequeant, continenter ex eodem in idem misere reuoluuntur.

6 Considera tio. Sexto considero pro parte quinta, quod Arist. confirmans opinionem suam ait eam esse consentaneam diuinationi, quam habemus de Dijs, quatenus communi populorum consensione dicimus Cœlum sedem Deorum, & Deum ducere vitam sine labore & beatam.

Diuinatio. Diuinationis vmbra aliqua seruari potest per principia Aristotilis, quatenus mentem hominis diuinitatis modo aliquo compotem existimauit, de qua dixit ob eam nos necti cum Deo, ex quo pendet Cœlum & vniuersa natura, vt legitur in 12. Metaphysicæ; & cum nexus ille sit cū diuino, bono & vero, inde oritur quod mens per propriam suam conditionem in bonum & verum latenter conspirat, hinc dicitur, quod vox populi sequentis hunc diuinum contactum dicitur vox Dei, & in lib. de Diuinatione per somnium legitur, somnia non esse Diuina, quia Diuina solum sunt bona, somnia vero & bona & mala esse possunt, sed esse Dęmonica, quia natura est Dęmonica, hoc est potens.

Iamblichus. Hanc Iamblichus apud Academicos cognomine diuinus enūciauit, ante omnem rationis vsum esse in nobis notionem Deorum, & tanquam quendam diuinitatis contactum, de quo inquit *Simplicius.* Simplicius esse potiorem ostensione, nam ostensio humana est, hic vero contactus est diuinus: hinc cecinit *Homerus.* Homerus vocem communem non posse esse omnino falsam: at de diuinatione alibi latius.

7. Considera tio. Considero septimo, quod Cœlum non est præditum propensione ad alium motum, quam ad eum in orbem, hinc nec graue, nec leue est, & cum ita sit neutrum, tamen (vt ait Auerroes) rectius dici posset leue, quam graue, cuius ratio triplex est, prima, quia est propinquius & similius leuibus, quæ sunt puriora & minus materiata; Secunda, quia sæpe accipitur leue per negationem, quia non est graue & impurum: Tertia, quia per consuetudinem ea quæ sunt supra caput dicimus sursum, vt etiam dixit Arist. & quæ sunt sursum, iudicamus leuia, sic Cœlum est maxime sursum, & leuissimum, cum eius conditio sit, vt cæteris præemineat.

Cur Cęlum potius leue quam graue.

Octaua consideratio. Octauo considero, a Cœlo abesse laborem primo ratione motoris, qui ex materia non pendet, ideo nec mouetur, nec patitur; secundo, quia a Cœlo abest conditio materiæ mortalium, cuius potentia est origo laboris: tertio, quia Cœlum non est procliue ad alium motum.

Motores maxime iuncti Cœlo & seiuncti. Insuper de motoribus Cœlorum sine controuersia dicere possumus, quod sint maxime iuncti & maxime seiuncti a Cœlo; maxime seiuncti; quia nullo pacto ex Cœlo pendent, maxime vero iuncti, primo, quia Cœlum maxime ex eis pendet, hinc in octauo Physicorum legitur, mundum esse continuum Deo; secundo, quia Cœli motores non extenduntur, sed indiuidue vbi sunt, toti sunt, at ita indiuidue nectuntur; tertio, quia ille nexus tempori non subijcitur, sed æternus est cui nil aduersatur.

Triplex nexus. Nam triplex datur eximius nexus, primus & maximus est ex intellectu & intelligibili; & præsertim dū intellectio est per essentiam, ex quo nexu non consurgit tertium, sed intellectus fit ipsum intelligibile per imitationem, & repræsentationem & ambo sunt indiuidua, & indiuidue penitus iuncta: secundus est ex intelligentia & orbe iam dictus; tertius ex forma & materia cum extensione vtriusque.

Primus est supra naturam, tertius secundum naturam; secundus medius, per

primum

primum non consurgit tertium aliquod distinctum, sed vnum fit aliud, vt dixi.

Per secundum orbis non proprie recipit esse a morore, quia est materia ex se actu per negationem, quia non eget alio actu, eget tamen vita; ideo a suo motore recipit eam: at quia viuere viuentibus est esse, ideo de Cœli motore sine controuersia dicere possumus, & quod non largitur, & quod largitur esse; nam largitur esse vitale, & motus est quidam vitalis actus Cœli.

Per tertium nexum ex materia mortalium & forma consurgit tertium, quod a forma semper recipit esse & nonnunquam etiam viuere.

Cont. vij. viij. ix. x. xj. & xij.

QVoniam nonnulli sunt qui inquiunt, Cœlo competere dextrum & sinistrum veluti nuncupati Pythagorei, nam eorum est hic sermo; considerandum num res hoc modo se habeat, vt ipsi inquiunt vel potius secus, si quidem oportet corpori vniuersi hæc principia aptare.

Statim enim primo, si ei conuenit dextrum & sinistrum, censendum est eidem prius priora principia competere: de his autem egimus in sermonibus de animalium motu, propterea quod naturæ eorum hæc sunt propria; conspicue enim animalibus competere videntur, his quidem omnes hæ partes vtputa dextrum & sinistrum, his vero nonnullæ; plantis autem solum sursum & deorsum.

Si oportet Cœlo quoque aptare aliquam harum, rationi consonum est ei primam competere, veluti dicimus competere animalibus; nam cum tres sint, quæuis earum perinde ac principium se habet.

Dico autem sursum & deorsum, ante & retro, dextrum & sinistrum; has enim distantias rationi consonum est competere omnes perfectis corporibus. Est autem sursum principium longitudinis, anterius profunditatis.

Insuper alio modo principia sunt secundum motum; principia autem ea dico vnde in his quæ mouentur primo initium recipit motus, est autem ab ipso sursum accretio, a dextro motus loci, ab anteriore qui secundum sensum; anterius namque dico in quo sunt sensus.

Quare non in omni corpore sursum deorsum, dextrum sinistrum, anterius & posterius quærendum est, sed in his quæ cum sint animata prædita sunt principio motus: In nullo autem inanimatorum inspicimus principium motus, sed hæc quidem omnino non mouentur, hæc autem mouentur quidem, sed non vndequaque consimiliter, veluti ignis solum sursum, & terra ad medium.

Sed his tribuimus sursum & deorsum, dextrum & sinistrum relatione ad nos, vel ad nostras dextras, vt diuinatores, vel per similitudinem nostris, vt quæ sunt statuæ, vel quæ positione contra se habent; nam dextrum dicimus quod vergit ad nostrum sinistrum, sinistrum vero oppositum: Et posterius quod ad nostrum anterius. In huiuscemodi autem nullam inspici- mus

mus differentiam, si enim contra vertantur contraria nuncupabimus dextra & sinistra, sursum & deorsum, ante & retro.

Propterea iure quis mirabitur, quod Pythagorei duo sola hæc principia protulerunt, dextrum & sinistrum, quattuor vero dereliquerunt quæ nil minus proprie sunt: non enim minus differt sursum a deorsum, anterius a posteriore, quam dextrum a sinistro in omnibus animalibus, hæc enim virtute solum distinguuntur, illa vero etiam figuris.

Insuper sursum & deorsum omnibus anima præditis competunt similiter cum animalibus tum plantis: dextrum vero & sinistrum plantis non competunt.

Præterea vt longitudo prior est latitudine, si sursum principium est longitudinis, dextrum vero latitudinis; prioris autem principia priora sunt, sursum erit prius dextro generatione, nam prius multipliciter dicitur.

Insuper si sursum est principium vnde motus, dextrum a quo anterius ad quod etiam hoc modo seruat quandam initij facultatem id quod sursum ad alias species.

Quare tum quia derelinquunt magis propria principia, tum quia hæc in omnibus putarunt similiter reperiri æquum est eos increpare.



VM Aristot. in primo libro loquens de mundo toto illum esse vnum, & æternum ostendisset, in principio huius libri nectens illum cum primo pro conclusione assumpsit æternitatem mundi, & ad partem æthercam tanquam causam eleuatus patefecit, ei maxime consentaneam esse conditionem æternitatis; & prosequens sermonem de hac parteætherea, quam exacte sibi explicandam proponit, in hoc secundo libro, non orditur ab eius essentia, ea namque patet ex principio & fine primi libri, sed a differentijs positionis eius: ratio est, quia tenetur verba facere de motu Cœli, differentiæ autem positionis seruant conditionem principij motus eius & cum motu connectuntur: hinc de illis iure statim occurrit agendum, quia Cœlum nobis se offert consimile, adeo vt nulla in eo se nobis offerat differentia: occasionem autem huius disputationis accipit a Pythagoreis; qui varia ad Cœlum attinentia accurate considerarunt, veluti harmoniam, differentias positionis & similia.

Intentio. *Ratio.*

Diuisio. Diuiditur autem vniuersa hæc consideratio in quinque partes, in quarum prima proponitur agendum de differentijs positionis Cœli; in secunda manifestatur considerationem hanc maxime congruere considerationi animalium; in tertia manifestatur conditio & ordo earum, in quarta referuntur errata Pythagoreorum; in postrema explicatur opinio propria.

Ordiens a prima proponitur agendum de dextro & sinistro & consequenter de cæteris differentijs, de quibus considerandum est, num Cœlo competant, & si competunt, num recte hac de re senserint Pythagorei, qui de solo dextro & sinistro fecere mentionem, cum tamen dentur differentiæ priores, sine quibus non inueniuntur posteriores.

Patefacto proprio consilio manifestat in secunda parte cui considerationi hæc explicatio maxime sit accommodata; & ait accommodatam esse considerationi animalium, ratio est, quia huiusmodi differentiæ in præditis anima maxime

xime ſunt perſpicuæ ob varietates figuræ & muneris functionum , quibus vel competunt omnes , vt animalibus præſtantioribus , vel quędam, vt ſtirpanimalibus, plantis autem vna ſola competit , quæ eſt ſurſum & deorſum ; corporibus autem inanimis ſecundum ſe nulla earum competit, ratio eſt , quia eis non competunt principia motus , ſed vel non mouentur vt artificioſa quatenus ſunt talia , vel ſi mouentur , non vndequaque conſimiliter mouentur, ſed ſolum ſecundum vnam poſitionis differentiam , vt grauia deorſum , leuia ſurſum : & quia frequenter communi vſu loquentium huiuſmodi differentiæ etiam tribuuntur inanimis , ideo manifeſtat quomodo ex accidenti ei competant , inquiens id contingere tribus modis, vel per imaginem & ſimilitudinem, vt ſtatuæ manus dicitur dextra , & facies pars anterior , vel per relationem ad differentias poſitionis, ob quam vergentia ad noſtram dexteram dicimus dextera, more diuinatorum & augurum, veluti cecinit virg.

Sæpe ſiniſtra caua prædixit ab ilice cornix : vel tertio per poſitionem oppoſitam noſtris differentijs , per quam conuerſi in orientem inſpicientes montem ibi poſitum , partem eius verſam ad occaſum , vt noſtra terga, dicimus anteriorem, latus vero ad noſtram dextram dicimus ſiniſtrum ; ratio eſt , quia montem illum conſideramus tanquam hominem in nos conuerſum.

Manifeſtatur inſuper pro tertia parte conditio & ordo huiuſmodi differentiarum ; nam conditio eſt , vt modo aliquo in eo cui competunt principia ſint , quod euenit tribus modis ; nam primo dum referuntur ad dimenſiones, ſurſum eſt principium longitudinis , dextrum latitudinis , anterius profunditatis ; Secundo dum referuntur ad motum ſecundum locum , ſurſum dicitur id , in quo eſt principium motus , dextrum a quo incipit moueri , anterius ad quod & verſus quod mouetur : Tertio per relationem ad varia genera motuum , ſurſum dicitur principium accretionis , quatenus ore alimenta ſuſcipimus , quibus creſcimus , dextrum eſt principium motus ſecundum locum anterius eſt principium motus ſenſuum , quia in parte anteriori inſtrumenta ſenſuum ſunt collocata .

Differentia poſitiõis quo modo ſit principia.

Ex his patet , ſurſum & deorſum eſſe differentiam cæteris origine priorem, ſine qua non reperiuntur aliæ , & magis duæ aliæ oppoſitiones inuicem diſtinguuntur , quam dextrum a ſiniſtro ; nam cæteræ diſtinguuntur nedum virtute , ſed etiam figura partium , cum dexterum a ſiniſtro non figura , ſed ſola virtute & facultate ſecernatur .

Ex declaratione conditionis harum differentiarum colligitur in quarta parte corrigendos eſſe Pythagoreos primo , quia eas differentias ſine diſcrimine viuentinm a non viuentibus & perfectiorum a minus perfectis, ſingulis corporibus tribuerunt ; Secundo, quia dimiſerunt differentias non minus diſtinctas & priores , & ſolum retulerunt dextrum & ſiniſtrum : Tertio , qui a Cœlo corporum præſtantiſſimo non omnes has differentias tribuerunt , quod tertium quamuis vltimo non referatur ab Ariſtotile, elicitur tamen ex alijs ab eo dictis.

ANNOTATIONES.

1. Considera tio. ONSIDERO primo, has positionis differentias ad varia posse referri, nimirum ad loca, ad motum, ad corpora & præsertim viuentia, hinc etiam varijs denotantur nominibus, dicuntur enim differentiæ, oppositiones & species locorum.

Quomodo inuicem opponantur. Prætetea dicuntur principia motus & dimensionum; insuper earundem dimensionum distantiæ & partes viuentium, ac facultates; & inuicem opponuntur oppositione relationis; & quatenus sunt differentiæ constituentes species locorum, ad contrarietatem rediguntur, vt reliquæ oppositiones differentiarum, vt dicitur in 9. Metaphysicæ.

2. Considera tio. Considero secundo, quod cum ad varia referantur, etiam varijs in libris considerari possunt; nam vt referuntur ad locum, in sermone de loco debent explicari, vt competunt animalibus & sunt partes eorum & principia motus, debent considerari in libris de motu animalium & partibus motui eorum inseruientibus, vt autem competunt Cœlo viuentium præstantissimo continenter moto sine discrimine figuræ partium, quæ cum lateant solum refulgent per motum Cœli, duntaxat hoc in loco explicari valuerunt, vbi de motu Cœli & eius partibus futurus est sermo.

3. Considera tio. Considero tertio, quod cum Aristotiles dicat, has differentias esse principia dimensionum adeo, vt sursum sit principium longitudinis, &c. iure de hoc dubitabit aliquis, quia dimensiones competunt omni corpori, non autem differentiæ positionis: *Dubitatio.* respondeo, *Solutio.* dimensiones competere quidem omni corpori, at non absolute distinctas, nec præditas distincta virtute; nam in lapide & metallis, quamuis dimensionem accipere possumus pro longitudine & latitudine, in solis autem viuentibus figura propria præditis dimensiones sunt natura & virtute distinctæ, & de his vera est sententia, quod sint principia differentiarum posititionis.

4. Considera tio. Quarto considerandum occurrit, quod Aristotiles ait, sursum esse principium motus secundum locum & accretionis, quod tamen pugnare videtur cum eius opinione, qui cor statuit principium vtriusque motus, cor autem non sursum, sed in medio est collocatum: *Dubitatio.* *Solutio.* respondens dico loquendo de latione ex sententia Platonis & Galeni principium residet in cerebro, ex sententia autẽ Aristotelis principale principium in corde residet, at principium proxime dirigens apparet in capite, nam instrumenta cognitionis in capite præterea sunt collocata; ac insuper cor cum sit positum supra vmbilicum, etiam modo aliquo est sursum: Aristotiles autem loquens de Cœlo, cuius motor est mens, quæ in homine fulget in capite, sedem hanc proximam considerauit; loquendo autem de principio accretionis & nutritionis, hoc duplex est, vnum principale, alterum organicum: primum est principium virtutis, alterum alimenti: Principium virtutis ex opinione Platonis & Galeni est Epar, ex opinione Aristotiles est cor, & vtrunque est sursum quatenus est supra vmbilicum, principium vero organicum & alimenti est os, cui in plantis respondent radices, quæ ob id ab Aristotile iudicantur pars sursum plantarum, in ordine tamen vniuersi est collocata deorsum, nam solum hominis constitutio dicitur respondere ordini vniuersi; & hoc principium puto Aristotilem modo considerasse, veluti etiam loquens de parte anteriore dixit, in ea vigere sensus, cum in facie appareant eorum instrumenta: vis autem sentiens ex opinione Platonis & Galeni collocata est in cerebro, ex opinione autem Aristotelis in corde.

5. Considera tio. Considero quinto, huiusmodi differentias iure optimo proprie competere solis viuentibus ratio prima est, quia ea sola dicuntur prædita distincto principio

cipio motus; nam vt legitur in octauo Physicorum, se mouere est proprium viuentium; altera est quia ea sola ex se prædita sunt distinctione membrorum, per quæ refulgent vires variæ; & inde ducimur in notitiam differentiarum Cœli sola virtute diferentium; harũ differẽtiarũ plantis solũ competit sursum & deorsum, quia solum sunt prędite facultate nutriente, ostreaceis siue stirpanimalibus conspicue vt plantis competit sursum, vnde recipiunt alimentum, confuse competit anterius per sensum, confusissime dextrum & sinistrum, cum non moueantur motu secundum locum. Solum autem ob distinctionem partium cordis, vel eius vices gerentis includunt vmbram & originem quandam dextri & sinistri, adeo vt potius eis carere, quam eis prædita iudicari mereantur.

Inquit Aristotiles, præditorum anima nonnullis competere omnes has differentias, quibusdam quasdam, plantis solum sursum & deorsum, quibus verbis indicat nonnullis imperfectioribus animalibus duas oppositiones solas conuenire, veluti spongijs, & vrticis marinis, quæ plantarum more radicibus sunt affixæ lapidibus & sensu quodam tactus & gustus confuse sunt præditæ, adeo vt anterius confuse includant, non autem dextrum: de oppositionibus imperfectiorum animalium varia enunciantur ab Aristotile sub initio libri de incessu animalium, nec non prope finem, & præter cætera ait, ex ostrearum genere ea quæ turbinata vocantur, dextrorsum moueri omnia censendum est; non enim ad vertiginis turbinem, sed in aduersam omnia moueri partẽ videntur, huiusmodi autem sunt Purpuræ & bucini, cæteraque huius generis plura: cum enim motus initium a dextris oriatur, hæc autem omnia non eodem semper modo moueantur, dextra esse similiter omnia & dextrorsum ferri necesse est: prope calcem autem libri ait, de ostreorum genere vniuerso, iure quispiam ambigere posset, quisnam eorum sit motus & initium eius, siquidem in ijs neque dextrum esse neque læuum vspiam animaduertitur.

His & alijs consimilibus patefacit Philosophus animalibus imperfectioribus nec omnes, nec distincte competere huiusmodi oppositiones; Similiter etiam dum consideramus genus cancrorum, quod modo versus vnum latus, modo versus aliud mouetur, quod nam sit dextrum, vel anterius non distincte apparet, huiusmodi igitur vt confuse sunt animalia, ita solum confuse huiusmodi oppositionibus sunt prædita.

6. Consideratio. *De inanimorum differentijs.*

At ab his ad inanima transeundo considerandum sexto occurrit, quot modis hæ oppositiones illis competant; proprie enim & secundum se illis competere non possunt, cum nec sentiant, nec moueantur, nec dimensionum includant distincta principia, solum ex accidenti, & per aliud eis tribui possunt. Aristotiles retulit modos tres, qui sunt similitudine, vt tribuuntur statuis & picturis, relatione ad nostras differentias, vt augures, & conuersione ad nos tanquam sit facies eorum ad nostram faciem conuersa, sic versum ad nostram dextram dicitur sinistrum, pars terræ iuncta pedibus dicitur sursum, aer iunctus capiti dicitur deorsum eius: his tribus modis additur quartus & est per relationem ad differentias positionis mundi, veluti montes orientales dicimus dextros, occidentales læuos, & similiter maria & flumina orientalia & occidentalia, Septentrionalia vero & meridionalia vt vergunt ad varias differentijs positionis vel Cœli, vel mundi distinctis differentias positionis denominantur, & eiusdem montis partes ad varias mundi differentias conuersæ dicuntur & dextræ & sinistræ cæterisque differentijs præditæ.

His additur modus quintus inspiciendo principium eorum, adeo vt principium sit tanquam caput & pars sursum, reliquæ autem partes denotantur vt suo capiti respondent, veluti cum maria magna ex parte ex septentrione ducant ortum, vt ait Aristotiles ea septentrionis dicitur pars sursum; littus versum ad occasum, dicitur pars dextra, facies suprema dicitur pars anterior.

7. Consideratio. *Dubitatio.*

Considero septimo, quod Aristotiles videtur secum pugnare, nam dixit dextrum a sinistro non distingui figura, sed virtute tantum, oppositum profert in progressu, & confirmatur, quia dum vel manum, vel pedem a corpore se-

iunctum inspicimus, facile iudicamus an sit pars dextra vel sinistra, ob varietatem ordinis digitorum & figuræ eius. Soluitur faciliter dicendo, quod quamuis figuræ sint variæ, adeo tamen sunt similes vt facta comparatione cum cæteris oppositionibus distingui non videantur, & in pedibus carentibus dearticulatione digitorum, vt equorum & pecudum, longe minor apparet varietas.

Solutio.

Octaua consideratio.

Octauo loco considero in dubium id verti posse, quod ab Aristo. dicitur dextrum a sinistro distingui virtute, quod etiam dicitur in quinto moralium Nicomachiorum, quo loci legitur dextrum esse natura robustius, & confirmatur in tertio de partibus animalium: nam ex aduerso Plato in septimo de legibus ait, quod, matrum nutricumque ignorantia reddimur quasi claudi, cum natura ad vtramque partem ferè æque se habeat: confirmatur, quia id quod natura tale est, non mutatur assuetudine, vt dicitur in secundo moralium Nicomachiorum, at assuetudine reddi possumus ambidextri, & qui ab infantia vti incipiunt manu læua, in progressu melius ea vtuntur quam dextra; præterea natura de his quæ fieri possunt, id facit quod melius est.

Solutio.

Pro solutione dicendum, quod procul dubio hæc distinctio ex natura recipit ortum, assuetudo autem naturam perficit; hoc ostenditur, quia eadem quoq; virtutis distinctio refulget in iumentis & feris seorsum ab omni assuetudine, confirmatur, quia etiam duæ aliæ oppositiones sunt natura distinctæ.

Et putandum est distinctionem ex corde oriri; dixit Aristoteles ventriculum cordis dextrum esse calidiorem, Galenus hoc tribuit sinistro, ait tamen ventriculum medium necti cum dextro & geminum reddi, partemque læuam corporis esse frigidiorem.

Arist. cum Platone conciliatur.

Cum autem distinctio ex natura ducatur, non est difficile Aristotilem cum Platone conciliare; ducitur autem concilium primo ex conditione rei, secundo ex conditione loquentium. Ex conditione rei; quia ortum ducere ex natura contingit dupliciter, vel ita vt assuetudini non subijciatur vt descensus grauium, vel ita vt ei subijciatur & modo aliquo corrigi possit: distinctio dextri pendens ex natura est huius secundi generis, frequenter enim euenit, vt varia ex natura prodeuntia arte & assuetudine corrigantur ac vt ait Aristotiles in suis mæchanicis frequenter arte superamus ea, quibus natura vincimur; sic etiam variæ propensiones nobis per naturam competentes frequenter studio & assuetudine corriguntur.

Secundo elicitur concilium ex conditione personæ loquentium; nam Aristotelis vt speculator absolutæ veritatis absolute eam enunciat, Plato vero vt ciuilis, inspiciens conditionem ciuium & salutem ciuitatis, patefecit posse ciuem assuetudine reddi potentiorem; hinc dixit quod si ciuis more Briarei centum manibus esset præditus, ei intendum esset assuetudine reddere omnes æque potentes, vt validius posset pro patria pugnare. His additur occasio concilij tertia, sumpta ex modo loquendi; nam Aristo. considerans id quod est principale, absolute dixit dexteram robustiorem; Plato vero considerans opem assuetudinis, non dixit absolute, sed ferè eque esse potentes. Alia quoque super sunt non minoris ponderis pro notitia harum differentiarum explicanda, sed vtile est primo Arist. de eis loquentem audire.

Con-

Contextus XIII.

Cum autem determinatum sit in præcedentibus, quod in prædictis principio motus huiusmodi virtutes insunt; Cœlum autem animatum est & præditum principio motus, quare patet quod etiam includit sursum deorsum dextrum & sinistrum.

Non enim dubitare oportet quia sphærica est vniuersi figura, quomodo eius hoc quidem sit sursum, hoc vero deorsum, & hoc dextrum, id sinistrum, cum similes sint partes omnes & per omne tempus moueatur.

Nam excogitare oportet perinde se habere ac si quispiam illis quorum dextrum a sinistro etiam figura secernitur sphæram circumponat, præditum erit profecto illud facultate distincta, non tamen apparebit ob figuræ consimilitudinem: Id ipsum iudicandum est etiam de principio motus; nam quamuis non cœperit, necesse tamen est vt principio sit præditum, vnde cœpisset, si mobile cœpisset moueri, & si steterit rursus moueretur.



OPINIONE reiecta Pythagoræ, intentio Arist. modo est, propriam sententiam patefacere & manifestare quod Cœlo competunt, & quomodo competunt differentiæ omnes positionis: primo itaq; in præsenti context. ostendit eas Cœlo competere, & diuiditur in tres partes, in prima ostenditur eas Cœlo competere in secunda dubitatur, in tertia soluitur. Quod pertinet ad primam hæc formatur ostensio; Omne præditum principio motus, adeo vt ex se moueri valeat, quemadmodum anima prædita, etiam est præditum differentijs positionis, Cœlum mouet & est anima præditum, quare præditum est differentijs positionis. (Non enim dubitare oportet &c.) In hac secunda parte duæ referuntur instantiæ, prima est, id quod est consimile caret differentijs positionis, Cœlum cum sit sphæricum est consimile, quare &c. nam differentiæ positionis sunt partes dissimiles: altera instantia est, quod caret principio motus, caret huiusmodi differentijs, illæ enim principia motus statuebantur, Cœlum quia semper mouetur, caret principio motus quare &c. (Nam excogitare oportet &c.) In hac tertia parte soluuntur instantiæ, & primo prima negando maiorem, nam quamuis non adsit distinctio figuræ partium, adest tamen distinctio virtutis, quæ distinctio excogitari debet in Cœlo, quod perinde se habeat, ac si quis corpori cui competat distinctio figuræ partis dextræ a sinistra circumponat corpus sphæricum, seruabitur profecto distinctio virtutis, quamuis non seruetur distinctio figuræ, veluti dum Diogenes in suo dolio circumuertebatur: Soluitur deinde instantia ex motu sumpta, quia quamuis semper fuerit motum, includit tamen principium eius non temporis, sed facultatis mouentis, a qua si desineret moueri, inciperet rursus moueri, veluti si imaginamur Platonem fuisse semper & semper fuisse motum; consideramus tamen in eo principium motus quod per tempus æternum non remouetur, sed potius manifestatur validius & potentius.

Intentio.

Diuisio.

Francisci Piccolominei

ANNOTATIONES.

1. *Considera tio.*



ONSIDERO primo, quod Arist. vt ostendat Cœlo competere differētias, pro medio vtitur principio motus, denotando motum secundum locum, de Cœlo tamen addit quod sit animatum, vt indicet & explicet proprium principium internum efficiens, quale non competit inanimis; & iure vtitur hoc solo medio, quia Cęlo solum per eius lationem tribui possunt: & hoc medium vim habet pro ostensione nedum quod ei competant, sed etiam quod competant omnes, quia ex dictis apparet, viuentia quæ distinctè motu secundum locum mouentur, singulis esse prædita.

2. *Consideratio.* Considero secundo quod pertinet ad solutionem primæ instantię, quod Aristot. vtens exemplo ait; vt si quis prædito dextro & sinistro distinctis etiam figura sphæram circumponat, loquitur de dextro & sinistro, quia consensione Pythagoræ competunt Cœlo, ait distingui figura, quia quamuis figura sit similis vt patuit in præcedentibus, tamen seruatur distinctio aliqua ordinis.

Dubitatio. At aliquis dicet si circumponitur sphæra, tamen intus seruabitur distinctio membrorum vt patet de Diogene in suo dolio, & ob id seruatur distinctio virtutis.

Simplicius. Simplicius soluens ait, id exemplum ita debere intelligi, vt corpus eius animalis sphæricum euadat, vt quorundam stirpanimalium sphæricum est corpus: at hæc explicatio non respondet verbis, nam Aristotelis ait, si quis circumponat, &cæt.

Solutio. Insuper si mutaretur figura animalis & dissoluerentur instrumenta, etiam dissolueretur vis ex eis pendens: & propterea dico exemplum esse simile in parte, quatenus nullum apparet instrumentum, vel adsit, vel non, dummodo supponatur quod seruetur virtus; quod supponi potest, cum sit sermo de anima Cęli ex corpore non pendente.

3. *Consideratio.* Tertio quod pertinet ad solutionem secundæ instantiæ considero, principium motus esse duplex, vnum temporis, alterum virtutis mouentis; primum nullam constituit differentiam positionis, sed alterum: æternitas remouet primum principium non alterum, ideo instantia facile soluitur.

Principium motus duplex.

Dubitatio Secunda. *Tertia.* Verum adhuc aliquis instabit, quia illæ differentiæ rediguntur ad contrarietatem, quæ abest a Cœlo; insuper dicuntur differentiæ positionis, positio supponit locum, qui Cœlo non competit: demum natura semper tribuit instrumēta facultati, vt dicitur in hoc libro dum est sermo de motu stellarum; Cęlo instrumenta non competunt.

Solutio 1. Soluitur prima, quia hæ non sunt propriæ differentiæ generis vniuocæ & vere contrariæ, sed solum indicant ordinem & distantiam, quæ late sumpta oppositio non repugnat Cœlo, vt apparuit in primo libro; cum ei non repugnet motus, qui versatur inter opposita.

Solutio 2. De secunda difficultate dico, differentias positionis viuentium non exposcere locum sed seorsum a quauis relatione ad locum seruantur in animalibus, dummodo seruetur virtus & distantia inter eas.

Solutio 3. Tertia instantia etiam soluitur, quia natura largitur instrumenta dum sunt necessaria pro efficiendo opere, vt stellis necessaria essent instrumenta si deberent progredi, at pro motu in orbem non sunt necessaria.

4. *Consideratio.* Quarto considero, quod Aristotiles ait Cœlum esse anima præditum, quod tamen difficultate non caret; primo, quia anima definitur quod sit prima perfectio corporis organici, Cœlum non est organicum: Secundo, si est animatum vel est planta, vel est animal; non planta, quia non nutritur: non animal, quia animal per sensum constituitur vt dicitur in secundo de anima; Cęlum autem caret sensu.

An Cęlum viuat.

Con-

Confirmatur quia Aristo. in primo de anima disputans contra Platonem putantem Elementa esse animata ait, non dicere animal id cui inest anima absurdum est, at Cęlum & Elementa dum definiuntur nunquam dicuntur animalia:

Confirmatur insuper, quia Cęlum dicitur essentia quinta & simplex, eiusdem ordinis cum quattuor Elementis, quæ Elementa cum ex sententia Arist. careãt anima, id ipsum de Cęlo dicendum videtur.

Præterea si Cœlum est viuens & anima præditum, vel esset animal irrationale vel rationale; non irrationale, quia esset brutum, non rationale, quia esset homo.

Confirmatur, quia si esset præditum anima ea non potest iudicari distincta ab Intelligentia eius motrice, per cuius motum ei tribuuntur differentiæ positionis; at intelligentia non ratiocinatur, sed indiuidue intelligit nec format Cœlum, sed ei assistit, vt nauta naui: at nauis per nautam non denominatur viuens, & longe minus per eum illi competunt differentiæ positionis.

Ex aduerso est Aristotiles hoc in loco & approbabit id ipsum in progressu inquiens, nos non debere considerare Cęlum tanquam inanimum, & vita destitutum; hinc Themistius in 3. de Anima cap. 73. ait Cœlum esse animal sempiternum: Auerroes in tertia disp. in sol. 13. dubij hoc ostendit, nam quod ex se mouetur viuens est. Cęlum ex se mouetur, & cum moueatur æterno motu ab intelligentia mouetur ex eo non pendente, vt ostenditur in octauo Physicorum & 12. Metaphysicæ. *Cœlum animatum. Themistius. Auer.*

Insuper cum Cęlum suo motu & lumine producat viuentia, putandum est quod viuat, nil enim agit vltra proprium gradum.

Præterea est corpus omnium consensu præstantissimum, non viuens non præstat viuentibus: Dicitur etiam Cęlum gubernare mundum mortalem eique imperare, imperium autem viuentium non conuenit corpori non viuenti, alioquin cuncta fierent cæco casu & forte fortuna; demum Cęlum ex se non a continente vt Elementa est prędit̃um figura propria, quod viuentium est propriũ.

De hac difficultate opiniones sunt variæ, quarum duę sunt extremæ, tertia est media: Extremarum vna est Democriti, Leucippi, Empedoclis & multorum putantium cuncta fieri cæco casu, & quadam materiæ necessitate; hi putarunt Cęlum esse corpus inanimum, & moueri impetu quodam conspirantium ad eius constitutionem, quæ opinio primo a Platone reiecta est, præsertim in 10. Dialogo de Legibus, me ab Aristot. varijs in locis, propterea vt cumulate reiecta negligatur. *Opiniones variæ. Prima.*

Alij ex aduerso putarunt Cęlo competere sensus & præsertim visum & auditum, quos sensus æthereos nuncuparunt, ac insuper animam rationis compotem & participem mentis, vt illustriores Academici qui mentem ab anima secreuerunt. Auicenna nono suæ Metaphysicæ cap. 2. nititur ostendere Cęlo competere vim imaginandi; Aristotiles autem se medium constituit, negat enim Cęlo sensus competere, quia eis nõ eget, vt patet ex tertio de Anima 61. & mentem ab eius anima non secernit, sed putat Cœlo animam competere eminenti ratione præditam, cuius officium sit intelligere & velle, quæ duo sequitur prouidentia & motus; hæc distincta ratione & relatione dicitur anima Cœli, vita eius, mens siue intelligentia abiuncta a Cęlo, quia ex eo non pendet, maxime autem iuncta, quia indiuidue & sine exieusione cum eo nectitur, illud mouet & nil est in Cęlo quod congruenter ex ea non pendeat, qua de re alibi latius verba feci. *Secunda. Academici. Auic. 3. Opinio.*

Et cum in Cęlo mortalia solum eminenter & procul ab imperfectione reperiantur, iure optimo hæc in Cęlo reperiri & non reperiri affirmare valemus, adeo vt non viuat Cęlum vt mortalia, viuat tamen eminenter & modo cęlestis & ex his facile eliciuntur solutiones aduersarum rationum.

Nam in Cęlo consideratur hic originis ordo; prima est intelligentia eminenter intelligens & prouidens, hanc sequitur materia Celi, quæ actu est per ne gationẽ, quatenus alio actu nõ eget, hanc comitatur terminata dimensio sphærica *Solutio. Ordo originis in Cœlo.*

rica

rica figura circumscripta; quarto consideratur nexus ex intelligentia & orbe, ob quem Cęlum dicitur viuere & moueri; per quem motum resulgent in Cęlo differentiæ positionis.

Ostendebatur primo, Cœlo non competere animam, quia non est organicum; insuper, quia nec planta, nec animal est, soluitur quoniam ea solum sunt vera de anima & viuentibus mortalibus, & solum dici potest animal cœleste, siue æthereum.

Addebatur reliqua simplicia corpora carere anima, respondeo, Cœlum longe illis præstare & essentia & figura & motu & virtute, propterea valde distincta est ratio: addebatur, quod si Cœlum esset animal vel esset rationale vel irrationale, respondeo, ex sententia Aristotelis esse animal æternum eminenti ratione præditum, quod de homine dici non potest.

At adhuc innitabatur, quia mens assistens & mouens non constituit differentias positionis, vt patet exemplo nautæ, respondeo, longe variam esse rationem de nauta & motore Cœli, nauta enim non tam intime nectitur cum naui, nec per naturam, sed violentia mouet, nec motum constituit perennem.

His accedit quod etiam modo aliqua in naui considerantur differentiæ positionis, at dicebatur nauim per nautam non viuere, respondeo iure non viuere, quia anima non nauiiungitur sed corpori nautæ, qui dicitur animal & viuens.

5. Considera tio. Quinto ex resolutione præcedentis difficultatis alia emergit & est, num Cęli corpus, quod materia ex se actu dicebatur, seclusa intelligentia & vita ex ea prodeunte debeat iudicari vilius quouis animali mortali, immo etiam quauis planta: nonnulli constanter id affirmant, quia viuens est præstantius non viuente, nam includit esse commune non viuentibus & superaddit vitam: Cœlum autem seclusa intelligentia non viuit.

Comparatur Cęli corpus cum viuenti bus mortali bus.

Opinio alio rum. Confirmatur, per regulam Topicam, probatam in 3. Topicorum loco 38. quę est, si optimum vnius generis est præstantius optimo alterius generis, absoluto id genus præstantius est, vt si optimus homo præstat optimo equo absolute genus hominum præstat generi equorum, at optimum viuens præstat optimo nō viuenti, quare & absolute viuens præstat non viuenti.

Euersio. Ego horum opinioni subscribendum non puto, nam æterna præstant mortalibus, Cœli corpus æternum est; præterea nexus superioris per naturam est cum inferiore sibi proximiore: Intelligentia Cœli congruenter nectitur cum cœlesti corpore, non autem ita nectetetur cum animali vili & mortali.

Præterea immune ab origine cuiuslibet imperfectionis debet iudicari præstantius non immuni, Cœlum est immune a materia mortalium origine cuiuslibet imperfectionis, quare præstat mortalibus.

Opinio propria. Propterea pro resolutione duas profero conclusiones, prima est dempta intelligentia Cœlum non esset; altera est supposito quod esset deberet iudicari præstantius omni animali mortali excepto homine.

Conclusio 1. Prima conclusio ostenditur, quia dempto priore ex quo pendet posterius, demitur etiam id, quod pendet; hinc Arist. 9. Metaphysicæ ait, si non essent substantiæ abiunctæ nihil esset.

Conclusio 2. Secunda conclusio ostenditur per prius dicta, quæ vim habent de omni animali excepto homine, ob mentem eius immortalem ex materia non pendentem, quæ ob id sola cum Deo felicissime nectitur, & confirmatur conclusio, quia Cœlum dicitur sedes Deorum, hoc est intelligentiarum & debet intelligi Cœlum contradistinctum a Deo, quia nil est sedes suimet non autem animalia rationis expertia merentur dici sedes Dei.

Diluuntur rationes aduersæ. Aduersæ rationes facile diluuntur; dicebat primo, quod viuens supra esse commune alijs includit gradum vitæ, respondeo viuens mortale addere gradum vitæ non supra quoduis esse sed supra esse mortale, & ita præstat mortalibus non viuentibus, at non id addit supra quoduis esse veluti supra esse æternorum; Et dum dicitur viuens præstare non viuenti debet intelligi cæteris paribus, at in mortali & æterno cætera non sunt paria.

Affere-

Afferebatur regula Topica, quæ primo ita reflectitur; præstantissimum æternorũ præstat præstantissimo mortaliũ, ideo absolute æterna præstant mortalib.

Insuper soluitur, quia ea regula vera est de proprie sumptis generibus, quæ vniuoca sunt, nõn de communibus dictis ab vno in ordine collocatis, quale est viuens & non viuens; nam fit transitus ex mortalibus ad æterna, quibus nil est commune vniuocum: demum ea ratio ostendit genus viuentium esse præstantius at non quolibet non viuente, sed cæteris paribus, at in his non sunt paria.

Cont. xiiij. xv. & xvj.

DIco autem longitudinem eius, distantiam Polorum & eorum vnum sursum alterum deorsum; nam in his solis differentiam inspicimus hemisphæriorum, propterea quod soli minime mouentur.

Insuper etiam consueuimus nuncupare latera mundi, non quod sursum & deorsum, sed quod iuxta polos, tanquam hac existente longitudine, nam id est ad latus, quod est iuxta sursum & deorsum, polorum vero, qui nobis est eleuatus, est pars deorsum, alter vero nobis depressus est sursum.

Dextrum enim vniuscuiusque id nuncupamus, vnde initium est lationis; principium autem reuolutionis Cœli est, vnde oriuntur astra, quare hoc erit dextrum eius, vbi vero occumbunt sinistrum, si igitur incipit a dextris & ad dextra circumfertur necesse est partem sursum esse latentem polum, nam si esset ille qui nobis est perspicuus, motus esset ad sinistra, quod non est dicendum.

Patet itaque polum latentem esse sursum & qui degunt in hemisphærio superiori sunt collocati & in dextro, nos vero deorsum & in sinistro, contra ac dicunt Pythagorei; illi enim nos sursum esse inquiunt, & in parte dextra, euenit autem oppositum.

At si motum alterum consideramus, qui est Planetarum nos profecto & sursum & in parte dextra locamur illi autem deorsum & in parte leua; nam initium motus horum contra se habet cum lationes contrariæ sint: Euenit itaque vt nos simus prope initium, illi vero prope finem.

De partibus itaque distantiarum & locorum distinctionibus hæc dicta sint.



PINIONE Pythagoræ de differẽtijs positionis Cœli, reiecta & ostenso eas cõpetere Cœlo; intentio Philosophi modo est, eas in Cœlo cum relatione ad motum distribuere: Et quia in Cœlo duo seruantur principaliores motus; quorum vnus dicitur diurnus & primi mobilis, ab ortu ad occasum, alter Planetarum ab occasu ad ortum, ideo vniuersus Contextus diuiditur in duas partes, in prima fit distributio cum relatione ad motum primum, in altera cum relatione ad alterum. *Intentio.*

Quod pertinet ad primam partem, conclusio prima est lõgitudinem in Cœlo debere attendi penes distantiã polorum adeo, vt vnus *Diuisio.*

sit

Ratio 1. sit pars sursum, alter deorsum, quæ ostenditur duplici ratione, prima est ea censeri debet longitudo secundum quam sit diuisio in duas medietates, at hæc in Cœlo per medium æquatorem fit secundum distantiam polorum, quæ dicitur diuisio vniuersæ sphæræ mundi in duo hemisphæria, quare distantia polorum iudicari debet longitudo, quæ mundi axem manifestatur cuius termini sunt Poli immobiles.

Ratio 2. Altera ratio est, quia illa statuenda est longitudo, cuius intermedia dicuntur latera, at oriens & occidens quæ intermedia sunt consueuimus dicere latera mundi, quare distantia polorum statuenda est longitudo; & quia ad longitudinem pertinet sursum & deorsum, ideo altera cõclusio est quod polus nobis depressus sit pars sursum, borealis vero nobis eleuatus sit pars deorsum, adeo vt nos locati simus in parte hemisphærij deorsum & sinistra, antipodes vero in parte sursum & dextra; cuius oppositum putarunt Pythagorei, hæc conclusio ita ostenditur. *2. Conclusio.*

Ostensio. Cum oriens sit pars dextra, vnde orditur motus tendens versus meridiem: si polus borealis esset sursum, tunc manus dextra existens in oriente cogeretur mouere versus dorsum, secundum ordinem motus a sinistra producti at hæc est dispositio præter naturam Cœlo non congruens; & sequitur opinionem putantium polum nobis eleuatum esse caput & partem sursum: ea itaque opinio est negligenda & putandum polum hunc, & hoc hemisphærium esse partem deorsum & sinistram, oppositum vero partem sursum & dextram.

Conclusio 3. Tertia conclusio est, si referimus differentias ad motum Planetarum contra se habet; nam occidens a quo mouentur Planetæ versus nostrum meridianum & orientem iudicari debet pars dextra, ac ita caput erit in eleuato polo, qui vrsalis & borealis nuncupatur; & nos hac consideratione degemus prope initium, hoc est, in parte sursum hemisphærij, antipodes contra prope finem & deorsum.

ANNOTATIONES.

1. Considera tio.



XACTIORIS notitiæ gratia attinentiũ ad differentias positionis cum Cœli, tum mundi varia supersunt consideranda: ordiar autem a leuioribus & considero primo, quod homo maxime secundum ordinem vniuersi iudicatur constitutus; & ideo vt homo dicitur paruus mundus, ita contra mundus per metaphoram dicitur homo magnus, quam similitudinem & congruentem naturæ dispositionem sequens Aristoteles pro statuendis differentijs cum relatione ad motum diurnũ, primum mobile considerat tanquam hominem magnum, cuius caput sit positum in situ poli latentis, in oriente repetiatur manus dextra; facies & pars anterior erit meridies, versus quem mouebit & consurgit dispositio naturæ consentanea: Contra vero dum assignantur differentiæ per relationem ad motum Planetarum, qui est ab occasu versus ortum, cogimur imaginari occasum esse partem dextram, ac ita vertex nobis eleuatus erit pars sursum. *Homo Magnum.*

2. Considera tio. Considero secundo, quod Aristoteles ostendens longitudinem debere attendi penes polos ait, inspiciendo ad eos fieri diuisionem in hemisphæria, cum in Cœlo ipsi soli sint immobiles.

An Poli sint immobiles. Sol. Auer. At iure ambigit Auerroes Cont. 14. quomodo Poli dici possint immobiles, cum moto Cœlo moueantur cuncta quæ in eo sunt saltem ex accidenti siue partes sint siue terminij respondet Auerroes, quod quiescunt imaginatione Geometrica non vere.

Id autem accidit imaginatione Geometrica qua polos consideramus tanquam

quam

quam terminos axis immobilis, adeo vt dum referuntur ad Cœlum non sint immobiles, sed solum dum considerantur vt termini axis mundi, hinc Arist. in libro de motu animalium ait, polos solum formari nostra imaginatione.

At dum Poli cōsiderantur Physice, tunc vel sequimur rationem vel sensum; si rationem, nil in Cœlo reperitur quod modo sibi consentaneò non moueatur, cum secundum materiam hoc est, absolutum subiectum, tum secundum formam hoc est, eius relationem ad alia: at si sequimur sensum, datur pars quæ sensu non apparet moueri secundum subiectum, sed solum secundum formam, hoc est distinctam relationem ad partes mobiles.

Verum pulchra occurrit instantia, quia si polus mouetur, proculdubio non motu recto, sed in orbem mouetur, at omnis circumlatio exposcit cētrum immobile, circa quod fiat, & poli funguntur officio centri, quare circumlationis eorum debet dari polus & centrum, & ne fit progressus in infinitum necesse est deuenire ad penitus immobile. *Pulchra dubitatio.*

Confirmatur, quia poli & centrum sunt puncta, at ea quę mouentur sunt corpora; nec putandum est puncta moueri secundum formam, quia tunc prædita essent distinctis faciebus, quæ varia inspicerent & ad varia essent cōuersæ, quod indiuisibili non competit, quare poli nec Mathematica, nec Physica consideratione & ratione moueri possunt. *Confirmatio.*

Persistens in eadem solutione dico, ea puncta vel considerantur vt terminis axis quiescentis, ac ita ex accidenti quiescunt; dico ex accidenti, quia sic solum puncta sunt apta moueri & quiescere, vel considerantur in Cœlo, & tunc vel sequimur sensum vel rationem, si rationem proculdubio in corpore continuo & moto nil quiescit, si sensum, reperiuntur partes minime aptæ mouere sensum, quæ dicuntur puncta Physica & sensu indiuidua, de quibus dicebat Aristotiles loquens de accretione, quod quoduis sensile punctum debet crescere, hæc puncta cum sint corpora considerantur vt prædita distinctis faciebus, quæ conuertantur circa subiectum earum, quod sensu non videtur moueri, cum tamen reuera moueatur. *Solutio.*

At instabatur, quod si reuera mouetur debet dari centrum immobile reuolutionis eius; respondeo, consideratur punctum quod est terminus, & cum non adsit diuisio, dicitur ibi esse potestate, hoc punctum est terminus linearum tendentium ad illud: & quatenus variarum linearum est terminus, dicitur absolute vnum, ratione multiplex, ac ita cum locum non mutet, quia non occupat locum, ob distinctam illam relationem dicitur reuolui. quæ cum sit reuolutio solum relationum, centrum earum est illudmet punctum absolute & secundum se consideratum.

Sic Arist. loquens de sensu communi dixit se habere perinde ac centrum circuli, quod est absolute vnum, ratione vero multiplex, vt est terminus variarum linearum tendentium ad illud.

At tertio loco considero, quod Aristo. satis perspicue videtur secum pugnare; nam primo dixerat Pythagoram differentiarum positionis Cœlo solum tribuisse dextrum & sinistrum, in hoc autem Contex. ex eius opinione ait, nos esse collocatos in hemisphærio sursum & dextro, aliud vero hemisphærium esse deorsum & sinistrum, ac ita Cœlo ex opinione Pythagoræ etiam competit sursum & deorsum. *3. Consideratio.*

Insuper adhuc magis errare videtur quatenus confundit dextrum cum ipso sursum, & sinistrum cum deorsum, quæ tamen sunt differentiæ distinctæ.

Respondet Simplicius, quod Arist. disputans contra Pythagoram vtitur modo loquendi eius, qui sursum redigebat ad dextrum manifestans, quod etiam errat per suum loquendi modum & distributionem. *Solutio. Simplicius.*

Hæc solutio mihi non satisfacit, quia sic Arist. perperam carpsisset Pythagoram non tribuentem Cœlo sursum; nam potius illum carpere debuisset quatenus sursum cum dextro confuse permiscuisset, nisi dicamus quod eum carpit, quatenus Cœlo non tribuebat differentias distinctas per varias partes, vt tribui debent, *Euersio.*

Cum autem sint tres considerandum occurrit sexto loco, quisnam sit ordo earum oppositionum; & quia ordo est duplex originis & dignitatis, loquens primo de ordine originis dico, omnium consensione, sursum & deorsum primam esse, nam respondet longitudini, quæ est prima dimensio, principio motus secundum locum & accretioni, quæ est motus primus viuentium. *6. Considera tio. De ordine differentiarũ originis.*

Dubitatio est de alijs duabus, nam ex vna parte dextrum videtur origine primum, quia respondet latitudini, quæ est prior profunditate constituente anterius: insuper quia denotat terminum a quo lationis, qui origine est prior termino ad quem denotante anterius.

Ex aduerso Aristo. dicit dextrum esse origine postremum, ac ita damnat Pythagoram tribuentem Cœlo dextrum & sinistrum, non reliquas oppositiones his priores.

Confirmatur, quia in animali prima origine est accretio, cui succedit alteratio sensuum, tertia est latio eis solis competens, quæ perfectiora sunt; dextrum autem & sinistrum, distincte solum competunt animalibus, quę distincte secundum locum mouentur, vt ait Arist. in calce libri de incessu animalium.

Confirmatur, quia non valemus in corpore constituere dextrum, nisi primo constituamus anterius; demum dextrum & sinistrum prodeunt ex distinctione ventriculorum cordis dearticulata præsupponente reliquas oppositiones.

Pro solutione dico, quod inspiciendo varia varius potest assignari ordo: Aristo. præsertim considerauit in animalibus dextrum & sinistrum esse origine postrema, & solis perfectis competere & in eis supponere reliquas; hinc assumpsit Cœlum viuere, cui vita competit præstantissima. *Solutio.*

Insuper, cum disputet aduersus Pythagoram, vtitur concessis ab eo, ipse autem inter oppositiones præstantiores maxime indicantes bonum & perfectionem numerauit dextrum & sinistrum.

Ratio sumpta ex ordine Elementorum est leuior, quia dimensiones competunt omni corpori at non distincte, vt requiritur pro constitutione absoluta harum oppositionum.

At agamus septimo loco de ordine perfectionis, nam primo sursum videtur quia in eo consideratur vis mouens; insuper, quia superiora absolute digniora dicuntur respondentia Cœlo: præterea anterius videtur præstare, quia respondet profunditati præstantissimæ dimensionum, denotat terminum ad quem motus qui præstat cæteris cum sit finis; respondet sensui qui præstantior est motu secundum locum, sic præstantiora honoris gratia constituimus nobis anteriora, mox serui sequuntur dominum. *7. Considera tio. De ordine perfectionis.*

At dextrum quoque videtur primum dignitatis sibi locum optare, nam dextrum absolute denotat bonum & prosperum, quod seruatur apud augures, sic fortuna prospera dicitur dextra; & congruens dispositio ad aliquid efficiendum dicitur dexteritas.

Insuper in ordine viuentium non imperfectis sed perfectis solis competit, oritur ex distinctione sinuum cordis membri præstantissimi, denotat vires & robur, ideo legitur dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.

Dubitatio itaque satis est perplexa, quam soluens dico, ordinem præstantiæ differentiarum positionis non attendi penes vnum, sed penes varia, nec includi in earum essentia sed extrinsecus per relationem ad varia, ideo iure optimo se nobis offert varius. Aristoteles tamen considerauit præsertim ordinem quo competunt viuentibus, & Pythagoras id quod dextrum absolute bonum denotat, ideo id assumpsit pro genere bonorum & formæ. *Solutio.*

Octauo loco considerandum occurrit, quibus nam relatæ oppositiones competant; & breuibus dico, sex gradibus rerum posse eas tribui, nimirum viuentibus, mortalibus, Cœlo, mundo mortali, mundo vniuerso, rebus a materia & corpore seiunctis, vt animæ & Deo & corporibus inanimis. *8. Considera tio.*

Quomodo competant viuentibus mortalibus & Cœlo iam apparuit: de mundo mortali dico, quattuor modis in eo posse considerari huiusmodi oppositiones, *Quibus competant.*

T nes,

nes, primo per relationem ad motum simplicium corporum, sic in eo solum reperitur sursum & deorsum, cum ita solum per naturam moueantur, quæ oppositio dum refertur ad circumlationem dicitur medium & circumferentia;

Secundo per relationem ad terræ habitationes, sic Geometræ constituunt longitudinem ab occasu versus ortum, latitudinem ab æquatore versus polum Borealem, anterius versus Cœlum, posterius versus centrum; hinc distantias mensurant per gradus longitudinis ab occasu occidentes & per gradus latitudinis, ordientes a circulo terræ sub æquatore posito: primam appellant longitudinem, quia sic longiores sunt habitationes quam ab æquatore versus polum, ordiuntur autem ab occasu, quia in Insulis Canarijs & Fortunatis, in finibus Hispaniæ distinctius apparet initium habitationis, quam in oriente; & hoc faciunt non tanquam necessarium, sed quia eis notantibus gradus hoc est oportunius.

Tertio ei competunt relatæ oppositiones per relationem ad oppositiones Cœli, sic Aristoteles dixit nos esse collocatos in hemisphærio deorsum & sinistro; quarto ei tribuuntur per relationem ad nos & ad differentias nostri corporis vt ex se patet.

Quomodo cō petant mundo vniuerso. At dum quarto tribuuntur mundo vniuerso, tunc cum Astronomis & Cosmographis dicendum puto, in mundo deorsum esse terram, & locum eius, sursum vero Cælum & ignem, dextrum esse hemisphærium Boreale, sinistrum Australe, orientem partem posteriorem, occasum anteriorem; quæ differentiæ apparent dum imaginamur in terra sub æquatore hominem ambulantem ab ortu in occasum. Distributionem hanc magna ex parte sequuntur Poetæ, qui signa Cœli septentrionalia dicunt dextra, australia vero sinistra vt Lucanus.

Ignotum vobis Arabes venistis in orbem
Vmbras mirati nemorum non ire sinistras.

Et Ouidius 2. Metamorph.

Signaque sex foribus dextris totidemque sinistris.

Necnon Virgilius.

Quam circum extrema dextra læuaque trahuntur.

Aristoteles tamen cupiens Cœlo tribuere omnes & supponens orientem esse partem dextram, secus eas distribuere non valuit: cum eo etiam fuit Homerus inquiens;

Siue ad dextrum ad ortum reuoluantur, siue ad sinistram ad occasum.

Quomodo cō petant rebus a materia solutis. Sequitur perpendendū an competant rebus corpore carentibus; quod competant ostenditur, quia propter quod vnumquodque id magis est: quod autem non competant efficacius ostenditur, tum quia hæ dicuntur distantiæ & differentiæ magnitudinum, tum insuper quia respondent trinæ dimensioni corporum, ac etiam distantiam, diuisionem & locum exposcunt, quibus incorporea carent.

Solutio. Respondens dico, eis non competere proprie & secundum propriam formam, competere tamen eminenter per modum causæ, per similitudinem & metaphoram quandam, ac ita sæpe tribuuntur Deo & animæ nostræ; & Deo quidem multipliciter vt multiplex ei tribuitur trinitas.

Nam dicitur via veritas & vita; via denotat longitudinem, veritas latitudinem, vita profunditatem.

Insuper dicitur potens, volens, & sciens, potentia denotat longitudinem voluntas latitudinem, scientia profunditatem.

Tertio dicitur bonus pulcher & iustus, bonitas est fęcunda longitudo, pulchritudo denotat latitudinem, iustitia profunditatem.

Dionysius Areopagita. Quarto dicitur principium, medium & finis; principium denotat longitudinem, medium latitudinem, finis profunditatem. Dionysius Areopagita in libro de Diuinis nominibus ait, latitudo diuina est amplissima per omnia effusio

Dei;

Dei; longitudo est potestas desuper tota: Profunditas est incomprehensibile secretum Dei, ac prorsus ignotum.

Insuper etiam secus dicere possumus quod anterius sit essentia Dei, posterius opera; hinc legitur, quod nemo videt anteriora Dei: dextrum est vis efficax, sursum & deorsum immensa perfectio eius.

De anima hominis.

De hominis anima dicere possumus mentem esse sursum, facultatem nutriendi deorsum, anterius esse sensus cum ratione iunctos, posterius, sensus a ratione recedentes: dextrum esse opinionem rectam, sinistrum falsam & cum imprudentia iunctam.

Insuper longitudo eius potest dici vis nutriens, latitudo sentiens, appetens & mouens; Profunditas iudicans: demum quo huiusmodi differentiæ modis varijs comperant inanimis, iam in præcedentibus patefeci.

9. Consideratio.

Nono considerandum occurrit, quod Aristotiles polos statuit sursum & deorsum, orientem dextrum meridiem anterius.

Controuersia in Arist.

Quod pertinet ad polos, videtur Aristotiles secum pugnare; nam in præcedentibus dixit in parte sursum considerari facultatem mouendi, in dextro a quo incipit moueri, & facultas mouens Cœlum est intelligentia, quæ in octauo Physicorum, ibi dicitur esse, vbi motus apparet velocior, qui in polis vel non reperitur, vel est tardissimus.

Dubitatio de distinctione.

Quod vero pertinet ad reliquas duas oppositiones, non videntur in Cœlo distingui, quia oriens, occidens & meridies in Cœlo distincta non sunt, sed solum ex parte nostri, nam vni regioni oriens altera est occidens, & vni meridies alteri est linea mediæ noctis: augetur dubitatio, quia in viuente nisi figura, saltem virtute huiusmodi differentiæ debent esse distinctæ, at in Cœlo nulla est portio, quæ absolute possit dici oriens, vel meridies, sed huiusmodi varietates solum prodeunt ex opacitate terræ.

Solutio. 1. Difficult.

Profecto vt libere dicam quod sentio, hæc omnia quæ in hoc capite de differentijs positionis Cœli ab Aristotile dicuntur, potius iudico consentanea inuentionibus Poetarum, quam exactis contemplationibus Philosophorum, & solum probabiliter esse prolata; ideo etiam probabiliter difficultates soluens de prima dico, quod dum consideratur longitudo Cœli polis terminata, & dicimus virtutem mouendi esse in parte sursum, per sursum non debemus indiuiduum polum intelligere, sed longitudinem totam & præsertim mediũ, quod est æquator, vt etiam in animali vis mouens est in corde consideratò vt iuncto vniuersitæ longitudini.

Solutio.

Altera dubitatio est obscurior & opiniones sunt variæ; nonnulli inquiunt in Cœlo non inueniri huiusmodi differentias absolute distinctas sed solum ex parte nostri, & aiunt Arist. debere intelligi cum conditione si in Cœlo reperirentur, quia disputabat cum Pythagora ei tribuente dextrum & sinistrũ, & non cæteras.

Confirmant hi opinionem suam, tum quia Cœlum est consimile, tum quia in eo non consideratur principium motus, cum semper motum fuerit, tum demum quia non se habet de anima Cœli vt de ea mortalium, nam anima Cœli vt moueat non eget instrumentis, quorum distinctione constituuntur differentiæ positionis, sed sine instrumentis mouet: at hi errant quatenus inquiunt Aristotilem debere intelligi cum conditione, nam absolute demonstrauit debere ei competere, quia animatum est; & instantias soluit sumptas ex consimilitudine & principio motus.

Euersio.

Opinio 2.

Insuper perspicue apparet in Cœlo distinctio per naturam saltem polorum, propterea est opinio secunda Magni Alberti dicentis, in Cœlo per naturam reperiri huiusmodi differentias distinctas, quia per naturam reperitur pars aliqua densior, quod indicat via lactea, & in orbibus Planetarum reperitur stella, in quam intelligentia maiorem influit virtutem, & per quam magis operatur, quæ vbicunque reperiatur, dicitur pars dextra. Hæc opinio etiã nõ videtur approbanda, nam quid dicendum erit de sphæra octaua in omni eius parte prædita stellis, quid de nona stellis carente?

Euersio.

Præterea Aristotiles ait, orienrem stellam non esse partem dextram.

Opinio 3. Tertia opinio est statuentium orbem supremum immobilem in quo huiusmodi differentiæ sint per naturam distinctæ, in alijs per relationem vel ad illas, vel ad nos.

Euersio. Hæc etiam opinio est reijcienda, tum quia orbem supremum immobilem Aristotiles nō cognouit, sed omni corpori Physico dixit proprium motum per naturam competere, tum insuper, quia si datur non ei possunt competere differentiæ quas Arist. ad motum retulit, & dixit modo aliquo esse principia motus.

Opinio 4. Quarta opinio fuit Alexand. Achillini in suo libro de orbibus dicentis, quod si Cœlum inciperet moueri, aries esset in oriente, libra in occidente, ac ita vbicunque reperiatur aries erit pars dextra, libra sinistra, cancer anterior, capricornus posterior.

Euersio. At contra tunc nos non potius in parte dextra quam sinistra, vel contra essemus positi, quia aries reuoluitur.

Insuper sic non oriens sed aries esset dextrum, præterea si verteremur ad ortum solis, non diceremur absolute verti ad dextram, quia forte ibi non reperietur aries, quæ omnia perspicue pugnant cum verbis & sententia Arist.

Opinio 5. Quinta opinio est quorundam Astronomorum tribuentium Cœlo per loca varia influxus varios, adeo vt varij ex ortu prodeant influxus in hunc mortalem orbem, varij ex occasu & meridie & sic de cęteris, hinc aiunt Vrbes varias varijs influxibus esse subiectas.

Euersio. Hæc opinio etiam approbanda non videtur, quia ex opinione Arist. Cœlum in hæc mortalia solum operatur lumine & motu, & huiusmodi distincti influxus iudicantur inanes.

Præterea Arist. distinguit differentias illas considerando principia motus nō autem distinctos influxus.

Demum si dātur illi influxus solum prodeunt ex stellis, quæ reuoluuntur.

Opinio 6. Opinio sexta est quorundam recentiorum dicentium Cęlo competere differentias per virtutes, relationes & partes: per virtutes, quia motor Cœli vt incipit mouere constituit dextrum, vt sequitur anterius, adeo vt non distinguantur ex parte motoris, sed per varietatem partium Cœli in quas influit; per relationes autem id sit quatenus semper ea pars Cœli, quæ est in oriente quæcunque sit dicatur dextra, & sic de cęteris: demum per distinctionem partiū, quia si Cœlum inciperet mouere, sol esset in ariete principio anni & esset in occasu, quia Planetæ ab occasu tendunt in ortum & propterea aries est pars sinistra, libra dextra, & intermedia anterius & posterius.

Euersio. Hæc opinio videtur confusio quædam, primo quia per eam non constat, vbi nam sit oriens & occidens, cum vndique sol oriri possit & vbique occumbere.

Præterea, non constat si mundus inciperet moueri quod sol debeat esse in ariete; nam multi potius aiunt debere esse in libra, & incipere a nocte, quia factus dicitur vespere & mane dies vnus.

Præterea Aristotiles ait distinctas esse virtute, non autem distinctione partium.

Opinio 7. Septima opinio est Leonis Hebræi in secundo suo Dialogo de Amore dicentis, solum sursum & deorsum in Cęlo distingui conspicua distinctione partium & polorum: dextrum autem esse orientem vnicuique adeo, vt quorum oriens est varius, etiam dextrum varium sit, & distinguatur relatione tantum.

Euersio. Quæ opinio etiam est dubia, ita enim eadem Cœli pars erit dextra & sinistra, immo etiam anterior & posterior; præterea Aristotiles dixit distingui virtute, vt si homo reuoluatur in sphærico corpore.

Opinio propria. Profecto de re dubia & obscura mirum non est si opiniones sint variæ & omnes dubiæ & perplexæ.

Tria quæ assumuntur. Propterea ego pro resolutione tria assumenda puto primū est in Cęlo motorem esse illum, qui non mouetur, vt ostenditur in 8. Physic. alterum est, motor

Cœli

Cœli est in oriente, quia est in circulo maximo: in quo motus est velocior & in ea parte a qua incipit mouere, & in quam conspicue magis influit virtutem suam.

Tertium est quod per relationem ad incolas terræ detur definitus mundi situs, qui semper seruatur idem, qui nomine orientis absolute mereatur denotari, in quo motor magis virtutem influit, quæcunque Cœli pars ibi reperiatur; & id ipsum dicendum est de anteriore, hinc regionum terræ nonnullæ absolute dicuntur orientales, aliæ occidentales.

His assumptis duas profero conclusiones, prima est; in Cœlo considerato absolute & secundum materiam siue subiectum, non reperiuntur illæ oppositiones distinctæ, præter quam sursum & deorsum, hinc ab Aristotile illæ solæ dicebantur immobiles. *Duæ conclusiones. Prima.*

Altera est, eas differentias in Cœlo reperiri distinctas virtute, vt idem Philosophus affirmauit, nam motor non vni definitæ parti Cœli ita est addictus, vt nō sit vbique, nec ita est iunctus, vt moueatur cum ea, sed in vnum definitum situm magis inspirat, adeo vt situs ille, oriens definitus & pars dextra esse dicatur: experientia nos docet situm & positionem eam esse illam, quæ & naturæ instinctu, & ratione ex operibus deprompta a Cosmographis oriens dicitur, ob quā distinctionem Vrbium nonnullæ orientales, aliæ occidentales absolute nuncupantur. *Secunda.*

Illustratur hæc conclusio exemplo venti per fenestram spirantis & sphæram aliquam reuoluentis, in qua reuolutione principium motus semper apparet in eodem situ, non in eadem parte sphæræ.

Hinc euenit quod nobis Sol dum oritur vsque ad meridiem videtur salubrior & eminentioris virtutis, quam post meridiem: Similiter regiones terræ orientales sunt fæcundiores & eminentioris virtutis, quam occidentales, quamuis æque distent ab æquatore, & inde aromata deferuntur & multa eminentis virtutis: propterea Porphyrius, Numenius & multi illustres Academici dixere, Dœmones orientales esse optimos, occidentales deterrimos, meridionales bonos, septentrionales malos non alia ratione ducti, nisi per opera inde prodeuntia. *Porphyrius.*

Non statuo ego per hanc resolutionem influxus Cœli a lumine & motu distinctos, sed influxus virtutis motoris in definito situ in Cœlum, vnde prodeunt ea quæ retuli.

Demum vt manum vltimā digressioni pro differentiarum explicatione imponā decimo loco consideratione dignū occurrit, num in hoc mundo mortali reperiantur sursum & deorsum per naturam distincta, vel solum consuetudine & per relationem ad dispositionem nostri corporis. *10. Consideratio.*

Hac de re controuersia est inter Platonem & Aristotilem; nam Plato in Timeo ait, non ex natura rei, sed consuetudine & relatione ad nos tribui mundo mortali: ratio est, quia est sphæricus, in sphæra ex eius conditione solum reperiuntur medium & circumferentia, hinc circulus & sphęra per medium non per sursum & deorsum definiuntur; immo Aristotiles quoque in primo de Cœlo Context. 6. & 17. graue & leue per medium definiuit non per sursum & deorsum: quod autem id faciemus consuetudine patet, quia ambulantes supra terram antipodas dicimus esse deorsum tanquam sub pedibus nostris collocatos. *Nū sursum & deorsum per naturam distinguantur. Cōtrouersia inter Platonē & Arist.*

Demum sursum & deorsum respondent longitudini, quæ maxima est a polo ad polum, non a medio ad circulum.

Ex aduerso Aristotiles sub initio quarti de Cœlo damnans sententiam Platonis ait, nos autem vniuersi extremum sursum dicimus, quod positione est sursum, & natura est primum. *Arist.*

Confirmatur, quia Cœlum est faber locorum, & per illud constituuntur differentiæ eorum, ideo in propinquitate & distantia ab eo constituta est per naturam longitudo & varietas maxima conditionis locorum.

Præterea absolute graue & absolute leue sui natura opponuntur & distinguuntur, quare & loca eorum.

Insuper motus eorum sui natura & cōditione sunt distincti & oppositi, quare & termini eorum motuum.

Præterea mundus mortalis dicitur Elementaris, Elementa sui natura mouentur motu recto, qua rectitudine constituitur per naturam & absolute longitudo, & sursum atque deorsum.

Insuper non sumus nos, qui constituimus mundi differentias, sed contra nos dicimur erecti, & dispositi secundum ordinem vniuersi, plantæ contra ordinem vniuersi, cætera animalia modo quodam medio. Simplicius primo de Cœlo Contex. 20. quarto de Cœlo Cont. secundo, nititur suo more eos conciliare inquiens, Platonem sequutum fuisse naturam rerum, Aristotelem vero consuetudinem & communem modum loquendi.

Simplicius.

Euersio. Hoc reiicitur, quia Arist. considerat conditionem absolutam Elementorum & motum Physicum eorum.

Solutio. Propterea soluens difficultatem dico, nos motus duos considerare posse, primo motum in orbem cui respondet medium & circumlatio.

Secundo motum rectum Elementorum cui respondet longitudo siue sursum & deorsum, Plato solum considerauit motum in orbem, ideo solum ex natura rei & absolute concessit medium & extremum, Aristotiles considerans vtrumque, terram in medio & deorsum esse positam affirmauit & ob id voluit etiam motum Elementorum definire per medium.

Ratio huius variæ considerationis est, quia de motu Elementorum variæ eorum fuerunt opiniones, censuit Plato Elementa per naturam vel moueri in orbem, vel in sua sede vt terra requiescere, motum rectum dixit esse reditum in suam naturam vel recessum ab ea, ido per naturam solum dixit eis respondere medium & circumlationem: Aristotiles vero existimauit Elementa per naturam propriam moueri motu recto, per communem & supra naturam propriam reuolui nonnulla eorum circa medium. Ex quo patet resolutio difficultatis & aliqua ex parte concilium opinionum, & ratio apparentis varietatis earum.



Con-

Cont. xvij. xviij. xix. xx. & xxj.

Quoniam motus in orbem motui in orbem non eſt contrarius, conſiderandum occurrit, cur nam Cœli lationes ſint plures, quamuis de longe diſtantibus tentemus dubitare, longe dico non loco tantum ſed longe magis, quia ei competentium valde pauca ſub ſenſum cadunt, dicamus tamen & rationem eorum hinc ſumamus; Omne cuius eſt opus eſt gratia operis, Dei autem operis eſt immortalitas, quæ vita æterna eſt, quare neceſſe eſt motum æternum Deo ineſſe: Quoniam autem Cœlum eſt huiuſmodi; nam corpus quoddam diuinum eſt, propterea hoc competit ſphærico corpori, vt natura ſemper feratur in orbem: At cur non vniuerſum Cœli corpus eſt huiuſmodi? quia pro latione in orbem neceſſe eſt manere aliquid, illud inquam quod in medio eſt, eius autem nulla pars manere poteſt nec omnino nec in medio, alioquin ad medium ſecundum naturam tenderet, at id ſui natura mouetur in orbem, alioquin motus eius non eſſet æternus, nil enim eorum quæ ſunt præter naturam æternum eſt: nam id quod eſt præter naturam poſterius eſt eo, quod eſt ſecundum naturam, & in eius productione eſt quidam exceſſus eius quod eſt ſecundum naturam.

Neceſſe eſt igitur id terram eſſe, hæc enim ea eſt quæ in medio quieſcit, ſupponatur modo hoc, in progreſſu autem oſtendetur: at vero cum detur terra, neceſſe eſt etiam ignem eſſe, nam contrariorum ſi vnum in vniuerſo ſecundum naturam reperitur, neceſſe eſt, etiam alterum ſecundum naturam reperiri, & eius eſſe naturam aliquam, eadem enim eſt materia contrariorum: & affirmatio prior eſt negatione, ſic calidum frigido.

Inſuper ſi datur ignis & terra neceſſe eſt ea quoque eſſe, quæ media ſunt, vnumquodque enim Elementorum vnicuique eorum contrarium eſt, quod pro nunc ſupponatur, poſterius autem nitemur id oſtendere.

Hæc autem cum ſit, manifeſtum eſt, neceſſario dari rerum ortum, cum nullum eorum valeat eſſe æternum, nam contraria viciſſim agunt & patiuntur ac mutuo ſe interimunt.

Præterea non eſt rationi conſentaneum mobile aliquod eſſe æternum, cuius motus ſecundum naturam non valet eſſe æternus; horum autem motus eſt.

Ex his itaque conſtat neceſſario dari generationem, quæ ſi datur neceſſe eſt eſſe lationem aliam vel vnam vel plures; nam per lationem eam quæ eſt totius neceſſe eſt & Elementa corporum ſimiliter ad ſe inuicem ſe habere; de hoc autem diſtinctius in progreſſu ſermo erit, nunc autem hoc manifeſtum eſt, ob quam cauſam plura ſunt circularia corpora, id enim euenit, quia neceſſe eſt dari generationem, ea autem datur ſi detur ignis, qui & intermedia

datur

datur si detur terra, hæc autem datur, quia necesse est manere aliquid semper, si oportet aliquid semper moueri.



Connexio & intentio. BSOLVTA in primo libro declaratione attinentium ad mundum totum, sibi proposuit Aristotiles in hoc secundo libro absoluere explicationem attinentium ad partem æthercam, quæ principalissima est, & declaratis primo differentijs positionis eius, quia eis maxime est affinis motus, & iam in declaratione earum differentiarum mentionem fecit de duplici motu Celi, ideo iure statim considerandum occurrebat cur Cœlum non vno solo sed multiplici mouetur motu, & præsertim duplici.

Diuisio. Diuiditur præsens Contex. in quattuor principes partes, in quarum prima manifestatur intentio, in secunda difficultas, in tertia ex primo principio in finem fit progressus; in quarta fit recursus, & ex fine elicitur ratio multitudinis motus Cœli.

Ordiens a prima, intentio est rationem indagare cur Cœlum non vno sed duplici vel pluribus motibus moueatur; ratio cur hoc quæratur est, quia orbicularis motus caret contratio; nam si contrario esset præditus, ratio esset conspicua, non enim in vniuerso reperitur vnum contrarium sine alio: addo insuper quod iure hoc quæritur, cum vnumquodque cæterorum simplicium corporũ vnico per naturam moueatur motu, (Quamuis de longe distantibus, &c.)

In hac secunda parte manifestatur difficultas propositi problemaris, nam est de re valde distante, quæ distantia est duplex, vna loci, altera cognitionis: Cœlũ loco a nobis maxime distat; insuper maxime inter corpora distat cognitione, quia attinentium ad conditionem eius valde pauca cadunt sub sensum, omnis autem nostra cognitio ortum recipit a sensu, ac ita se excusat si exacte penitus difficultatem propositam non dissoluit. (Omne cuius est opus, est gratia operis, &cæt.

In hac tertia parte assignaturus causam orditur a primis & communibus inquiens, omne cuius est opus, est gratia operis, adeo vt quatenus est operans finis eius sit opus, cui maiori additur minor, quæ est, Dei, hoc est, diuinorum est opus, quare sunt gratia operis; opus autem eorum cum diuina sint & æterna est immortalitas hoc est, æternus motus & ob id Deus mouet semper & Cœlum semper mouetur, omnis autem motus exposcit firmum aliquod & immobile; & propterea in medio mobilium æterno motu in orbem reperiri debet immobile aliquid, hoc autem non potest esse portio aliqua Cœli: quod ostenditur duplici ratione; prima est, quia eius conditio est moueri semper in orbem non quiescere.

Altera ratio est, quia si per naturam quiesceret in medio, etiam per naturam ad medium tenderet, quod nefas est dicere, cum motus eius sit in orbem, & motu recto nec per naturam, nec præter naturam moueri possit, quare dicamus id corpus esse terram, vt fere ab omnibus conceditur, quæ cum detur etiam debet dari ignis & reliqua simplicia corpora media, quæ inuicem modo aliquo contraria sunt, quorum non datur vnum sine reliquo, & cum sint contraria, inuicem agunt patiuntur & mutuo permutantur; quod confirmatur, quia motus eorum rectus est & contrario præditus, qui æternus esse non potest: at nullum corpus valet esse ęternum, cuius motus non sit æternus, nam tale est subiectum, qualis est eius affectio. (Ex his itaque cõstat necessario dari generationem &c.)

Hæc est pars quarta in qua cum per antecedentia principia patefecisset necessitatem generationis, ex hoc inuento fine elicit rationem multiplicis motus Cęli; cum enim ex Cœlo mortalia pendeant, si datur generatio & varietas horum etiam ea debet reperiri in communi causa: nam per motum diurnum, qui

dicitur

dicitur motus totius, cuncta consimiliter mouerentur & se haberent, ac ob id non inuicem permutarentur, qua de re in libro de ortu & interitu, latius & cumulatius erit sermo.

Ex his autem quę modo dicta sunt hanc rationem elicimus; datur generatio, igitur datur ignis & media Elementa, hæc dantur cum detur terra, quæ datur cum pro æterno motu requiratur aliquid semper requiescens, vt in Calce huius libri, necnon in libro dę motu animalium ostenditur.

ANNOTATIONES.



VARIA se offerunt explicatione egentia & notatu digna. *1. Considera tio.*

Considero primo, quod Aristotiles dubitat cur Cœlum non vno solo motu moueatur, qua de re verba facit nedum hoc in loco, verum insuper in 8. Phys. Cont. 53. in secundo de ortu & interitu 56. necnon in 12. Metaphysicæ 34. ex quibus locis varia ad rem facientia elici possunt.

Et cum orbium Cœli motus sint varij & distinctorū Planetarum distincti; non quæritur modo, quot sint, & cur sint tot & non plures vel pauciores; sed confuse cur non vno sed pluribus moueatur motibus: & præsertim considerantur duo, quorum vnus est motus totius, & est motus diurnus ab ortu in occasum quo mouetur primo orbis supremus quem mox sequuntur alij: alter est motus partium ab occasu in ortum, competens Planetis, qui variorum Planetarum varius est. *Motus totius.* *Motus partium.*

Considero secundo, quod Aristo. inquit, hoc esse inquirendum, quia motui Cœli non competit contrarium: nam si contrarium competeret, hoc non esset inquirendum, quia ex vno contrario alterum infertur, vt de Elementis Inuicem contrarijs hoc in loco fecit Aristotiles. Sed iure quærendum occurrit cur de contrarijs hoc facere liceat, non autem de non contrarijs, & præsertim cum mundus sit rerum vniuersitas, & in æternis esse & posse non distinguantur, vt legitur in 3. Phys. Contex. 32. *2. Considera tio.* *Dubitatio*

Pro solutione dico, tres posse considerari rerum conditiones, vna est contrariorum, altera est variorum specie attinentium ad vniuersi perfectionem; tertia est variorum neutro modo se habentium, quorum trium contraria maxime sunt pro eorum esse colligata, cum ratione subiecti, quia eadem est materia, quasi idem campus eorum: tum insuper ob contemperamentum eorum, ac etiam ob vniuersi perfectionem; hinc ex vno eorum perspicue infertur aliud: loquendo de secundo gradu, si esse poterit etiam reperitur per regulam relatam; at quia non ita sunt colligata non semper ex vno potest inferri aliud; vt euenit de contrarijs. *Solutio.*

Loquendo de tertio gradu, cum non sint colligata vt contraria, nec requirantur pro mundi perfectione, nec ex vno infertur aliud nec in vniuerso necessario reperiūtur veluti possimus imaginari motum aliquem tardiorem vel velociorem, vel plures Cœlorum motus, qui tamen non reperiuntur.

Considero tertio, quod Aristotiles ait, id cuius est opus est gratia operis ex quo patet quod constituit opus pro fine operantis, quod est dubium, quia finis est causa, opus autem non est causa operantis, sed res effecta: solutionem patefeci in 2. Physicorum loquens de causa in genere finis. *3 Considera tio.* *Dubitatio.*

Nam opus potest tribus modis considerari, vel vt est in facultate cognoscente operantis, vel vt est in intentione & appetitu eius, vel vt absolute seorsum reperitur productum; prima consideratione est efficiens, quia est forma operis mente concepta ad artificem pertinens apta producere opus ei simile. *Solutio.* *Opus triplici ter consideratur.*

Secunda

Secunda consideratione est finis, in quem tendit appetitus; tertia est opus effectum, latius hoc explicaui in 2. Physicorum.

4. Considera tio. Considero quarto quod Aristotiles ait, opus Dei esse immortalitatem, quæ est vita æterna, & ob id infert Deo competere motum æternum. Nomine Dei denotat omne diuinum & proprium Deum & Cęlum & congregatum, vt etiã Plato in Timeo Cęlum appellat Deum.

Opus Dei duplex. Opus Dei est duplex internum & externum, modo est sermo de externo, quod magis patet & per quod cleuamur in cognitionem interni.

Opus externum est motus, qui dicitur æternitas quatenus munere motoris diuini, hoc est, secreti a materia, est particeps continuatæ æternitatis, per quem mox collocata sub Cęlo successione seruantur, qui motus æternus dicitur æterna vita, quia perinde se habet ad Cęlum ac vita ad viuentia mortalia; nam munerum vitæ Cęlo solum competit non nutritio nec sensus, sed latio; sic Cęlo nomine Dei denotato munere verioris Dei competit motus æternus.

5. Considera tio. Considero quinto quod Aristotiles ait, non totum Cęlum esse huiusmodi vt moueatur in orbem, denotans nomine Cęli mundum, & ait non totum ita moueri, quia pro latione in orbem necesse est aliquid in medio manere, idque est terra, vt latius in calce libri explicatur.

Quattuor immobilia. Pro notitia considerandum quattuor in vniuerso reperiri immobilia, Deus, centrum, poli, & mundus totus; ex immobilitate Dei pendet immobilitas cæterorum: ex quo patet immobilitatem esse origine priorem motu, & ex ea motum fluere. Ideo iure de Deo cecinit Boetius;

Stabilisque manens dat cuncta moueri.

Omnis motus exposcit quiescens. Quod motus omnis supponat quiescens patet inductione, de violento non est dubitatio; nam tractio est ad quiescens, pulsio a quiescēte: sic motus omnis animalium exposcit quiescens, cum fiat tractione & pulsione. Motus simplicium corporum sunt a medio, ad medium & circa medium quiescens; quies terræ in medio multiplicem præbet vtilitatem: est enim tanquam mensura motuum & est tanquam sinus constanter recipiens munera Cœli, per quæ fæcunda redditur & constituitur pia mater viuentium, & firmum eorum domicilium; non autem absolute eius quietem puto necessariam pro motu Cęli, adeo vt si per imaginationem in nihilum redigeretur, quod Cœlum moueri non posset: sat est enim immobilitas centri quod indiuiduum est, Aristotiles tamen id considerauit quod Dei prouidentia reperitur in mundo.

6. Consideratio. Considero sexto quod Aristoteles ait, nil præter naturam esse æternum, quia est posterius eo quod est secundum naturam, & recessus ab eo.

Triplex conditio motuū. At non apparet vis huius rationis, nō enim quia aliquid sit posterius eo quod est secundum naturam videtur carere æternitate: propterea dico triplicem esse motuum conditionem, vel enim sunt supra naturam propriam & secundum naturam totius, vt motus ignis in orbem, vel sunt secundum naturam propriam partium; vel sunt infra & posteriores motu secundum naturam; duo prima genera motuum possunt esse æterna, cum sint naturæ consentanea, tertium nequaquam, quia est aliquid posterius, adeo vt sit recessus a natura, pugnet cum natura, remittat & eneruet naturam, nec fiat sine contrarietate; & cum hac conditione sit posterius, non valet esse æternum.

Motus violētus quomodo æternus. Motus violentus potest esse æternus genere, quatenus in mundo mortali semper reperitur motus aliquis violentus, at non numero.

7. Consideratio. Septimo loco considero, quod Aristotiles comparans ignem cum terra tanquam calidum cum frigido, calidum nuncupat affirmationem, frigidum negationem; & ait affirmationem esse priorem negatione, nam semper contrariorum vnum est tanquam forma, alterum tanquam priuatio, forma autē est prior priuatione, quia semper priuatio supponit formam & dicitur formæ priuatio & recessus a forma, non autem contra.

Similiter

Similiter negatio supponit affirmationem & est ea simplicior, non autem contra; hinc ait Aristotiles in libro de interpretatione quod oportet id ipsum negare negationem, quod affirmauit affirmatio.

Priuatio porest esse prior origine in eodem at non absolute, vt dicitur in nono Metaphysicæ de actu & potentia. Terræ dicitur contrarius & ignis & aer; ignis per grauitatem & leuitatem, vna cum calore & frigore: Aer vero per ambas qualitates alterantes, modo autem sumitur pro contrario ignis tanquam loco & motu maxime distans.

Octauo id considero quod principale est, nimirum causam, ob quam plures sunt motus & orbes Cœlorum: causa esse dicitur, vt detur & seruetur generatio mutua Elementorum & cæterorum ex eis quæ solo diurno motu non seruaretur; ex vno enim consimili non potest prodire varietas sed sola consimilitudo, permutatio autem Elementorum adinuicem dissimilitudinem & varietatem exposcit. *8. Consideratio.*

At duo præcipua emergunt dubia, primum est, quia Aristotiles pro fine motuum Cœli accipit generationem mortalium, quod videtur absurdum: quia finis dignitate præstat ordinatis in illum; mortalia autem sunt viliora Cœlo & generatio motu secundum locum. *1. Dubitatio.*

Altera dubitatio est, quia si per imaginationem Cœlum solo diurno motu moueretur constituente diem & noctem, adhuc daretur ortus & interitus sublunarium, tum quia omnis motus vt motus includit varietatem propriam, tum insuper quia seruata contrarietate Elementorum & principiorum generationis & interitus etiam seruatur generatio & interitus.

Insuper est inquirendum an varietatis circumlationum alia causa valeat assignari.

De prima difficultate dico finem esse duplicem vnum proximum & perspicuum, alterum remotum & latentiorem, Aristotiles pro causa assignat finem Physicum proximum & nobis notiorem; nam deinde hæc mortalia vt in finem vltimum ordinantur in Cœlum & diuina, præterea mortalium finis proximus est homo, qui mentis est particeps & præstantior motu & corpore Cœli. *Solutio 1.*

De secũda difficultate dico, si Cœlũ vno solo motu moueretur, non daretur ordinata series permutationis mortalium cũ ordine & varietate quattuor temporum anni; hinc Aristotiles in libro de ortu & interitu ait solem per accessum ad nos tempore veris esse causam generationis, per recessum vero tempore autumni esse causam interitus: seruaretur itaque ortus & interitus at confuse tanquam in Chao. *Solutio 2.*

Tertio inquirendum proponebatur an alia causa assignari possit, qua de re dico, motum Cœli ad quinque posse referri; primo ad motores, secundo ad genus motuum, tertio ad orbes Cœlorum, quarto ad orbem totum; quinto ad Elementarem, cuius finis est homo: & ex singulis relationibus potest ratio elici; nam primo dum referuntur ad motores, cum illi sint plures & ordine distincti, etiam plures debent motus producere. *Motus Cœli ad quinque refertur.*

Insuper omnes referantur in Deum vt finem postremum, plures debent producere motus vt plenius & latius ei inseruiant, eiusque gloriam enarrent.

Dum secundo referuntur ad genus motuum, vt motus recti cum contrarietate sunt plures, ita orbiculares modo eminentiore & seorsum a contrarietate debent esse plures.

Tertio dum referuntur ad cœlestes orbes, quia orbes sunt plures & modo aliquo distincti, ideo tanquam partes variæ, varijs lationibus debent circumferri, vt etiam nobis varietatem orbium & motorum patefaciant; hinc Arist. in 12. Metaphysicæ tot ait esse motores Cœli, quot sunt eius orbes.

Insuper cum suo motu effundant vires suas in hũc mundum mortalem, multiplici motu multiplicem virtutem effundunt; insuper ex multiplici motu, varij prodeunt stellarum mutui aspectus, oppositiones, coniunctiones, ascensiones, & similia ab Astronomis obseruata, per quæ operantur modo vario, & sunt tanquam

quam litteræ patefacientes futura per naturam euentura viris peritis notitia earum insignitis, qualem fuisse aiunt vetustissimum illum senem Atlantem, cuius liber dicebatur Cœlum, litteræ vero dispositiones stellarum. Atlas.

Quarto dum cęlestes motus referuntur ad mundum totum, quia est vniuersum hoc est omnia in vnum versa, & summa multitudo cum summa vnitione, debet in ea motuum varietas reperiri, quæ conducit pro eius multiplici forma & ex quâ consurgit harmonia; hinc cecinit Orpheus Cœlum esse Dei lyram, ad cuius sonum contenta sub eo exultant, choreasque ducunt.

Demum dum illi motus ad mortalem orbem referuntur, vt retulit Arist. sic sunt necessarij nisi pro rerum ortu absolute saltem (vt dicebat Alexander) pro ortu ordinato, & pro varia anni tempora, tanquā per mensuras varias distributo.

Præterea si Cœlum solum moneretur ab ortu in occasum, cuncta fluerent in occasum, quorum modo consurgit contemperatio per motum oppositum: Constat itaque multiplici ratione debere Cœlum multiplici motu moueri; ex quo etiam conspicue patet eminentissima Dei prouidentia, distinctius approbanda in progressu in Contex. 56.

Cont. xxij. xxiij. & xxiiij.

Necesse est autem Cœlo figuram sphæricam competere, hæc enim maxime propria est substantiæ, & natura prima est.

Loquamur primo de figuris vniuersè, quæ earum prima sit, cum planarum, tum solidarum; Omnis figura plana aut est rectilinea aut circularis: rectilinea pluribus lineis clauditur, circularis autem vnica.

Quoniam igitur in quouis genere natura prius est vnum multis & simplex composito, prima vtique planarum circularis erit.

Præterea si perfectum id est extra quod nil est accipere eorum, quæ eius sunt, vt prius determinatum est, & rectæ quidem semper licet aliquid addere, circulo autem nunquam, patet circulum esse perfectum: quare si perfectum est prius imperfecto, circulus erit prima figurarum; similiter etiam sphæra solidarum, sola enim hæc vna superficie clauditur; rectilineæ autem pluribus: vt enim circulus se habet in genere planarum figurarum, ita sphæra in genere solidarum.

Insuper etiam illi qui resoluunt in plana & ex planis aiunt corpora gigni, huius testes esse videntur; nam solidarum solam sphæram non resoluunt, tanquam vnica superficie præditam, nam diuisio in plano non est sectio totius in partes, sed vt in specie distincta.

Patet itaque sphæricam esse primam figurarum; licet etiam ordine numerorum patefacere hoc esse rationi maxime consentaneum; nam circulo respondet vnum, triangulo dualitas, cum sit præditus angulis, duobus rectis æqualibus, nam si triangulo responderet vnum, circulus non esset figura.

MVL-



MVLTITVDINIS relata ratione motuum Cœli, intentio Philosophi modo est de eius figura verba facere; nam motus figuræ respondet, qua de re loquuturus primo patefacit intentionem suam; secundo comparatis inuicem solidis figuris ostendit sphæram esse primam earum, tertio manifestat eam competere Cœlo. *Intentio.* *Diuisio.*


Conclusio quæ ostendenda proponitur hæc est; necesse est Cœlo figuram sphæricam competere, quæ hac ratione ostenditur: ea figura quæ prima est, primæque essentiæ propria, debet tribui Cœlo, figura sphærica est prima, primæque essentiæ propria, igitur tribuenda est Cœlo. *Conclusio ostendenda.*

Maior vt nota relinquitur; minor comparatis inuicem figuris, quattuor rationibus in secunda parte ostenditur, quarum hæc est, in omni rerum genere vnum & simplex est prius natura multitudine & compositio; in genere figurarum planarum circulus est aliquid vnum & simplex, reliquæ figuræ includunt multitudinem & compositionem, quare est natura prior cæteris figuris. *Ratio 1.*

Secunda ratio hæc est; perfectum est natura prius imperfecto, circulus est ex genere perfectorum non autem vlla linearum rectarum, quare est natura prior figuris rectilineis. *Ratio 2.*

Maior profertur vt nota, minor ostenditur; nam id cui nil sui generis addi potest perfectum est, circulo nil sui generis addi potest, lineæ vero rectæ semper potest aliquid addi, circulus itaque perfectus est, rectilinearum autem figurarum nulla. Et similiter comparatis inuicem solidis, sola sphæra est perfectione prædita.

Tertio ostenditur circulum esse natura simpliciorem, authoritate Platonis, qui in Timeo sequens Pythagoram putantem solida componi ex planis, reliquas figuras resoluit in triangulos, & triangulum in scalenones: circulum autem non resoluit, eum vnica claudatur linea; nam solida rectilinea diuidunt in corpora trigona, hæc in triangulos quattuor, mox vnum quemque eorum in sex scalenones hunc in modum. *Ratio 3.*



At dicet aliquis etiam sphæra & circuli diuidi possunt in suas partes, vt circulus in semicirculos & partes quartas: soluit Aristo. hanc tacitam obiectionem inquiens, nomine diuisionis modo non eam denotari quæ est totius in partes, sed tanquam in specie distincta, hoc est, in sua principia; & propterea rectius dicitur resolutio quam diuisio. *Instantia.* *Solutio.*

Demum additur ratio quarta sumpta ex ordine numerorum; nam id cui competit vnum est prius binario & alijs numeris, circulo competit vnum, quia vnica clauditur linea, triangulo primo figurarum rectilinearum competit binarium, nam constat ex tribus angulis æqualibus duobus rectis, circulus itaque est natura prior. *Ratio 4.*

Hæ duæ postremæ rationes sunt confirmationes eius, quod in prima ratione dictum est, nimirum quod circulus sit simplex & vnum aliquid, nam prior ratio confirmat simplicitatem, hæc vero vnitatem.

ANNOTATIONES.

1. Confideratio.



ONSIDERO primo, quod cum Cœlo competat figura & motus, figura eft origine prior & magis interna mobili, motus autem competit iam figurato mobili.

Cur Arift. prius loquutus fit de motu quã de figura

Ariftotiles tamen prius eft loquutus de motu, tũ quia eft communior & magis proprius corpori Phyfico, tum infuper quia nobis eft notior & nobis patefacit figuram.

2. Confideratio.

Confidero fecundo, quod omnia viuẽtia & fola funt prædita propria figura, inter fimplicia corpora folum Cœlum viuit, ideo folum dicitur præditum propria figura, quæ modo quæritur, & figura fphærica dicitur natura prima & maxime propria fubftantiæ: quod fit natura prima oftenditur, quod autem fit fubftantiæ maxime propria ex eo patet, quia eft prima; ita enim primæ & fimpliciffimæ fubftantiæ propria eft.

Cur figura fphærica fit natura prima.

3. Confideratio.

Confidero tertio repetiri hæc tria, natura primum, fimplicius & perfectius, quæ non reciprocantur, fed natura prius eft communius, & dicitur de fimpliciore & perfectiore: fimplicius autem & perfectius frequenter fecernuntur, veluti Elementa funt fimpliciora mixto, non autem perfectiora; hinc iure Ariftotiles his tanquam medijs diftinctis pro formandis diftinctis rationibus eft vfus; nam de circulo & fphæra vtrumque dicitur.

Natura primum dupliciter.

Et animaduertendum, quod in his quæ generantur confideratur duplex natura prius vnum productione, alterum intentione; fic puer eft natura prior productione, vir eft natura prior intentione.

Id quod eft natura prius intentione etiam eft perfectius & magis proprie dicitur natura prius, quia natura finem & optimum quærit, alterum rectius dicitur prius generatione quam natura.

4. Confideratio. *Dubitatio.*

Confidero quarto, quod Ariftotiles ait lineæ rectæ femper poffe aliquid addi, & quauis ac quantauis excogitata linea recta valemus excogitare maiorem; at hoc in dubium vertitur ob diametrum mundi, cui nil poteft addi, cum extra mundum nihil fit.

Solutio.

Soluitur dubitatio folutione Phyfica primo, mox Mathematica: Phyfica quidem, quia regulæ femper debent intelligi fecundum fe, linea recta vt recta, & ex fe caret termino vltimo, & fi eum habet, recipit ab alia, & diameter mundi a Cœlo; circulus autem ex fe fuo termino eft præditus. Mathematice autem foluitur, quia linea recta caret termino & ei femper aliquid poteft addi, dum confideratur confideratione Mathematica feorfum a materia, non autem vt iuncta corpori Phyfico.

5. Confideratio. *Triplex abftractio.*

Quinto occurrit confiderãdum quod, vt ad rem facit, triplex eft gradus abftractionis Phyficus, Geometricus & Arithmeticus: Phyficus abftrahit a fingularibus & conditionibus indiuiduantibus confiderando communia; Geometra abftrahit a matheria Phyfica, quæ eft fubiectum & fubftantia confiderans quantum continuum & partes: Arithmeticus abftrahit a quanto continuo folum confiderans difcretum & partes: fic Phyficus minus, Geometra magis Arithmeticus maxime abftrahit.

Hinc Pythagorei, quos fequitur Plato in Timeo, Phyfica refoluunt in Geometrica, & Geometrica in Arithmetica, & Phyfica præfertim per Geometrica, diuina per Arithmetica explicant, qđ quõ facere liceat in declaratione proemij

de

de Cœlo & alibi patefeci: hoc indicare voluit Aristotiles in hoc contextu affirmans eos putasse corpora constare ex planis, & planas figuras resolui in numeros.

Considero sexto, quod Aristotiles ait, triangulo binarium respondere, at cōtra; nam de circulo loquens ei tribuit vnum ob lineam vnam, quare etiam in triangulo considerandæ essent lineæ, & non anguli, quæ sunt tres: respondeo in circulo non posse considerari angulos, quia eis caret, qui mox in triangulo considerari possunt & in sequentibus figuris, qui anguli intimiores & magis proprij sunt figuris rectilineis quam lineæ, & triangulo primo inter figuras rectilineas numerus primus, qui est binarius respondere debet, vt circulo tanquā principio figurarum vnitas; & quia semper figuræ debent in numeros resolui, si triangulo competeret vnum circulus non esset figura, quia prius vno nil est. 6. Consideratio.

Cont. XXVI. XXVII. XXVIII. xxix. xxx. xxxj. & xxxij.

Quoniam autem figura prima primo corpori congruit, corpus autem primum illud est, quod in extrema circumlatione est positum, sphæricum id corpus erit quod circumfertur, & similiter sphæricum erit id corpus, quod ei est continuum; nam continuum sphærico sphæricum est: similiter etiam reliqua corpora vsque ad medium; contenta enim a sphærico illudque tangentia necesse est vt sphærica sint, corpora autem infra Planetas posita, tangunt superam sphæram, quare sphærica erunt omnia cum omnia mutuo se tangant, & sphæræ continua sint.

Præterea quoniam apparet & supponitur vniuersum in orbem ferri, & iam est ostensum, extra supremam circumlationem nec locum nec inane reperiri necesse est ob hoc etiam, id corpus sphæricum esse; Si enim esset rectilineum, eueniret quod extra & locus & inane reperiretur: nam rectilineum dum reuoluitur nunquam in eodem est interuallo, sed vbi prius erat corpus, mox non est, & vbi modo non est, mox erit ob permutationem angulorum eius; Similiter etiam si quauis alia figura id fiat, cuius lineæ a medio ductæ non sint æquales veluti figura lentis & oui, de omnibus enim eueniet vt extra supremam lationem & locus & inane reperiatur quatenus totum non semper in eodem interuallo reperitur.

Insuper si motuum mensura est latio Cœli, quia sola est continua regularis & æterna, vniuscuiusque autem mensura illud est quod est minimum, minimus autem motuum ille est, qui est velocissimum, quare motus Cœli velocissimus erit.

At vero eorum, quæ ab eodem sunt ad idem minima est circuli linea, per minimam autem motus fit velocissimus, quare si Cœlum fertur in orbem & velocissime necesse est sphæricum esse.

Cuius rei fides etiam ex his corporibus elici potest, quæ circa medium sunt collocata; nam si aqua ambit terram, aer aquam, ignis autem aerem &

superiora corpora eodem ordine sunt disposita: nam continua profectò non sunt tangunt tamen se; superficies aquæ sphærica est id autem quod continuum est sphærico aut circa sphæricum reuoluitur, & ipsum esse sphæricum necesse est, quare etiam ex hoc elicitur Cœlum esse sphæricum.

At verò quod aquæ superficies sit talis, redditur notum supposito, quod sui natura apta sit fluere ad magis cauum; id autem est magis cauum, quod centro est propinquius: ducatur autem ex centro linea A. B. & linea A. C. & nectantur per lineam B. C. linea ducta ex centro ad basim nimirum A. D. minor erit primis duabus ex centro ductis, quare locus ille magis cauus est, & propterea aqua in eum fluet donec æquetur illis; quare linea A. E. æqualis erit illis ex centro ductis & nunquam quiescet aqua, donec illis æquetur, linea autem tangens æquales lineas ex centro ductas est circulus & figura sphærica, quare superficies aquæ erit B. E. C.

Ex his itaque patet mundum nedum esse sphæricum, sed etiam ea diligentia in orbem esse redactum, vt nil vel arte elaboratum vel aliud quod virorum quæ apud nos reperiuntur tale sit; nil enim horum ex illis constat, quæ tam exactè figuram sphæricam sint apta suscipere, vt natura cœlestis corporis, patet autem recta ratione sibi respondere, vt queadmodum aqua se habet ad terram, & Elementorum ea quæ magis distant ad minus distantia.



X mutua figurarum comparatione apparuit circulum & sphæram principem obtinere locum, quo ostenso intẽtio Arist. modo est ostendere mundum sphæricum esse, & vtitur quattuor rationibus, quarum numero diuiditur Contextus in quattuor partes, quarum prima hæc est, corpori primo ex figura competit, quæ prima est; sphærica est figura prima, & Cœlum est corpus primũ, quare figura sphærica Cœlo competit.

Intentio.

Diuisio.

Ex quo elicitur, reliqua etiam simplicia corpora vsque ad terram sphærica esse; nam contenta a rotundo idque tãgentia necessario rotunda sunt, simplicia autem corpora mutuo se ambiunt & continent. (Præterea quoniam apparet & supponitur &c.)

Hæc est pars & ratio secunda, quæ ducit ad absurdum & ita formatur; Si Cœlum non esset sphæricum extra Cœlum & locus & inane reperiretur, at in primo libro est ostensum neutrum reperiri; est itaque sphæricum.

Deducitur consequutio, quia si sphæricum non esset extremarum partium eius, nõnullæ magis alijs a centro distarent, & propterea dum Cœlum reuolueretur, partes magis distantes vt in figuris rectilineis angulares desererent locum, in quo reperiũtur inanem, & alium prius inanem replerent, id ipsum eueniret de figura lentis & oui, cuius partes nonnullæ magis a centro distant.

(Insuper si motuum mensura est latio Cœli, &c.) Hæc est pars & ratio tertia, ita formanda; motus qui est mensura cæterorum debet esse minimus, motus Cœli est mensura cæterorum, igitur est minimus: motus minimus ille est qui est velocissimus, huiusmodi autem est motus in orbem competens sphæræ, quare Cœlum est sphæricum. Maior primi syllogismi patet ex definitione mensuræ, quæ est vt sit aliquid primum & minimum illius generis.

Quod Cœli motus sit mensura cæterorum ostenditur, quia solus est cõtinuus sine intermissione, regularis, quia semper consimilis & æternus; sic per motum primum constituimus horas & partes eius ac insuper dies.


Quod

Quod motus minimus sit velocissimus patet, quia minimo tempore & citissime absoluitur. Quod autem motus in orbem sit velocissimus ostenditur, quia linearum ductarum ab eodem ad idem rotunda minima est, & propterea motus ille citius absoluitur, qui est in orbem, huiusmodi autem motus circulo & sphæræ congruit. (Cuius rei fides etiam ex his &c.)

Hæc est ratio quarta & postrema sumpta ex figura Elementorum & præsertim ex aqua & ita formatur; quattuor simplicia corpora sub luna contenta sunt sphærica, quare etiam Cœlum est sphæricum: consequutio ostenditur, quia cōtentum recipiens figuram a continente ea figura est præditum quæ ambienti competit.

Quod autem quattuor simplicia corpora sint sphærica, ostenditur de aqua assumendo conditionem eius sensu perspicuam hanc esse, vt semper & pro facultate fluat ad decliuia, & caua ex qua conditione infertur, quod sit sphærica; nam nisi esset sphærica, partium extremarum nonnullæ magis, aliæ minus distarent, minor autem distantia est cauitas ad quam æquandam magis distantes fluerent quousque æque distarent: linea autem, vel superficies æque distans a centro rotunda & sphærica est.

Pro quo patefaciendo formatur hæc figura ex se satis perspicua.



Centrum

Ex his quattuor rationibus Aristotiles colligit, Cœlum nedum esse rotundum, verum etiam quod exactius sit sphæricum quam aliud quod vis corpus apud nos vel arte vel natura formatum; cuius additi rationem affert ex conditione & natura corporis deprompta: nam essentia cœlestis corporis purior, similior & præstantior, exactius figuræ sphæricæ esse capax.

ANNOTATIONES.



ERBA huius Contextus ex se satis perspicua sunt, in attinentibus tamen ad sententiam varia se offerunt cōsideranda, primum est, ex simplicibus corporibus solum Cœlum propria figura esse præditū, quattuor autem carent figura propria & figuram sphæricam recipiunt a Cœlo; ratio est; quia id solum est præditum vita, & iure debuit figura propria insigniri, cum terminus sit cæterorum corporum ea intra se claudens, ac ita se habens, vt figura eius debeat esse figura mundi totius: Plato tamen singulis simplicibus corporibus propriam quandam figurā tribuebat considerans vna cum Pythagora non terminos corporum sed naturam & proprias affectiones eorū, ac ita ob acumen igni tribuebat figuram pyramidis, terræ ob immobilitatem figuram cubam ineptam motui, & sic de cæteris, vt patet ex Timeo, qua de re alibi verba feci. *Cur inter simplicia solum Cœlum sit figura prȩditum.*

Considero secundo, quod cum Cœlo ex se & primo competat figura prima ei competit exactissime, adeo vt nil apud nos reperiatur tam exacte sphæricum vt *2. Consideratio.*

vt est Cœlum: ratio ex multis elici potest, prima quæ ab Aristotile refertur sumitur ex conditione cœlestis corporis, quod est præstantius, simplicius & purius cæteris, & ob id exactius figuræ eius est capax, quæ omnium prima est & simplicissima.

Insuper tale est quoniam est immune ab ortu, interitu & contrarietate ex qua inconstantiæ, dissimilitudines & diminutiones ortum ducunt.

Alia ratio sumitur ex motore Cœli, a quo proxime pendet Cœlum & a quo vitam recipit.

Tertia ratio elici potest ex fine; ita enim corpus redditur magis aptum motui, & cum nulla in eius suprema facie sit varietas, semper sibi æqualem & consimilem locum occupat.

3 Consideratio. Considero tertio, quod iure etiam Cœlo & mundo congruit figura sphærica, nedum ob eius figuræ præstantiam, verum insuper quia mundus est imago sensilis insensilis Dei & filius eius: propterea debet pro facultate ei reddi similis.

Est Deus sphæra eminentissima ex eodem in idem rediens cum sit principium & finis; & dicitur sphæra cuius centrum est vbique, circumferentia nullibi cum termino careat.

Præterea debuit Cœlum esse præditum figura sphærica vt congruentius esset sedes Deorum sine vlla totius interualli permutatione, nam sphæra dum reuoluitur dicitur immobiliter moueri cum nunquam permutet & deserat locum suum.

Præterea dum refertur ad mortalem orbem congruit ei sphærica figura vt ea melius contineat & seruet; nam figura sphærica est omnium capacissima & cum per sui reuolutionem æque semper a mortalibus distet, consimiliter ea seruat & perficit.

Insuper in sphæræ reuolutione eminenter & sine contrarietate includuntur varietates mortalium motuum; in ea enim refulget summa velocitas prope æquatorem, summa tarditas prope polos; & moderatio horum in circulis medijs, quæ sunt semina varietatis mortalium.

4. Consideratio. Considero quarto, quod Aristotiles ostendit Cœlum esse sphæricum ducendo ad hoc absurdum; quia extra Cœlum & inane & locus reperirentur ob distantiam non æqualem extremarum partium a centro, earumque reuolutionem, ex qua ratione tres præsertim prodeunt difficultates, prima est, quia de figura lentis, collocatis polis in medio latitudinis eius, & de figura oui & columnæ & collocatis polis in terminis longitudinis hæc absurda minime sequuntur. *Triplex dubitatio.*

Altera dubitatio est de loco, quia non ob id daretur locus extra Cœlum, tum quia Cœlum nec loco eget, nec est in loco vt dicitur in quarto Physicorum, tum insuper quia locus est intima superficies corporis ambientis, quæ extra Cœlum non reperitur.

Tertia dubitatio est de inani; nam inane a statuentibus illud dicebatur interuallum, in quo non reperitur corpus, aptum tamen est reperiri: Aristotiles in quarto Physicorum hoc interuallum distinctum a corpore reijcit, adeo quod si per imaginationem mundus redigeretur in nihilum, non remaneret interuallum, sed nihil penitus. Similiter si descendentem lapidem sequitur aer, id non fit ne deseratur interuallum sine corpore, vt multi minus recte loquuntur, sed ob necessarium nexum corporum, & mutuam cõsequutionem extra quam nihil est nisi corpus eam ambiens.

Solutio 1. Hæ dubitationes mihi non videntur leues; ordiens autem a prima dico, iam esse ostensum Cœlum non vno sed multiplici motu moueri, propterea poli non in vna sed in varijs Cœli partibus reperiuntur; de figura oui & similium solum non sequerentur absurda si in vnica sola parte considerarentur.

Solutio 2. & 3. Præterea Cœlum ita ob eius perfectionem debet esse figuratum, vt in quauis eius parte constituantur poli, nunquam sequantur absurda.

De

De secunda difficultate, necnon de tertia dico, morem fuisse Aristotilis nonnunquam vti communi & populari opinione quamuis ipse secus sentiat, vt fecit de aspectibus in libro Meteorum; hoc seruauit Aristotiles in hac formanda ratione, popularis enim & valde communis opinio est, quod locus sit interuallum, quam opinionem etiam approbauit Philoponus, secundum quam popularem opinionem Aristotiles modo ducit ad absurda: per principia autem Aristotiles dicendum esset, quod vbi modo est aliquid, esset nihil, & vbi modo nihil est, reperiretur aliquid, quæ reciprocatio negligenda videtur & præsertim, quia nunquam apparet apud nos fieri.

Quinto loco pro attinentibus ad ostensionem aliam ex eo sumptam quod Cœli motus sit mensura cæterorum considero, quod Cœli motus dicitur minimus, quia est velocissimus; ostenditur autem illum esse velocissimum, quia eorum quæ sunt ab eodem ad idem minima est circuli linea, per minimam autem fit motus velocissimus: at ex hoc duo prodeunt dubia, primum est, quia Aristotiles secum pugnare videtur; nam in Contex. 59. dicet figuram sphæricam minime aptam esse motui. *5. Consideratio.* *Duplex dubitatio.*

Alterum est, quia perperam videtur Aristotiles circumscribere motum velociorem inquiens esse illum, qui fit per lineam minimam; non enim motus est velocior, quia per minorem lineam fiat, sed quia in eodem tempore per maiorem lineam vel per æqualem tempore breuiore.

Prima dubitatio facile soluitur, quia sphæra aptissima est pro motu in orbem & velocissimo, de quo modo est sermo; ineptissima autem est pro incessu & progressu, quo animalia mouentur cum careat instrumentis pro eo motu congruentibus de quo tunc erit sermo. *Solutio.*

Altera dubitatio est obscurior, soluitur tamen dicendo pro explicando motu velociore duplicem posse fieri comparationem, vnam supposita consimilitudine interualli per quod fit motus, & tunc explicatur vt dixi; alteram considerando varietatem figuræ, per quam fit motus & hanc considerat modo Philosophus, ideo id debuit considerare quod ad figuram mobilis pertinet, propterea recte dixit, motum per lineam breuissimam capaciorem cęteris ad eam pertinet esse velociorem, quia eam percurrendo plura percurrunt, dum est cęteris capacior qualis est figura rotunda.

At se offert considerandum quæ causa velocitatis motus in orbem afferri possit, qua de re dico rationem primam elici posse ex motore; nam mens a materia secreta est apta ita mouere, cum tanquam secreta in se intelligendo conuertatur: mens autem est potentior formis ex materia pendentibus. *6. Consideratio.*

Altera ratio est, quia figura sphærica est vndique simillima, adeo vt nil valeat sua dissimilitudine motum reddere tardiorem.

Tertia ratio est, quia sphæra dum reuoluitur non debet secare corpus intermedium motus resistens, vt euenit de motu recto, adeo vt solus hic motus fiat sine resistentia externa.

Quarta ratio elici potest ex conditione essentiæ corporis mobilis; nam Cœli essentia cui conuenit figura sphærica est purissima simplicissima & eminentissima, & ob id maxime apta velociter moueri.

Considero septimo loco, quod Aristotiles loquens de figura simplicium corporum primo ex eo, quia Cœlum est sphæricum assignat rationem figuræ sphęricæ Elementorum, nam Elementa figuram recipiunt a Cœlo, mox contra per effectum, hoc est per figuram Elementorum infert causam, hoc est figuram Cęli in re effecta refulgentem, & propterea hæc dicitur fides cum non sit per causam. Et accipiens vnum Elementorum ea figura circumscriptum non assumpsit terram, quia imperfectissime est sphærica, non aerem vel ignem, quia eorum figuræ nos latent ob distantiam a nobis, sed aquam nobis proximam perspicue fluentem ad decliuia & præditam extima superficie apprime consimili; & ostēsio qua vtitur Aristotiles est optima & perspicua: nonnulli id confirmant, quia guttæ aquæ vel super terram effusæ; vel in extremitate frondium penden- *7. Consideratio.*

tes

tes rotundam seruant figuram. Similiter aqua dum in vase ea ad summum pleno continetur, supra terminos vasis rotundam eminentiam recipit: mox argumentantur, quia vt se habet de parte consimilium ita de toto; at hi falluntur, quia partes nullam sibi propriam exposcunt figuram, rotunditatem autem seruant pro sui conseruatione, quam cuncta Physica per naturam optant & quærunt.

8. Consideratio. Propterea octauo loco considerandum se offert, quod absolute comparato corpore cum loco corpus antecedit, quia locum constituit; cum locus dicatur intima superficies corporis ambientis, non autem contra locus constituit corpus: at in mundo mortali locus antecedit Elementa, quia locus eorum est Cœlum, ex quo ea pendent.

Similiter in Cœlo figura est prior motu, cum ea sit interna mobili & Cœlum figuratum sit origine prius reuolutione Cœli; de Elementis autem contra se haber, motus est prior eorum figura, quia ex motu & conspiratione ad proprium locum consurgit propria eorum figura, vt Aristoteles exemplo aquæ ad caua fluentis patefecit.

9. Consideratio. Considero nono, quod cum Elementa ex Cœlo sedem suam & figuram recipiant, iure vt quo magis distant minus motu Cœli mouentur, adeo vt demum terra non reuoluatur, sed in sua sede quiescat: similiter quo magis distant, minus & diminutius sunt sphærica, adeo vt ignis per extimam superficiem qua rangit Cœlum exactissime sit sphæricus, per intimam vero qua aere iungitur minus, sed potius oui figuram recipiat, cum ignis sub æquatore sit copiosior quam sub polis, quam inæqualis sphæræ figuram aer per extimam faciem recipit, & mox per intimam adhuc imperfectiore formatur; nam definit in congregatum ex aqua & terra, in quo & montes & valles innumeræque refulgent varietates. Demum ex aqua & terra, non distinctæ sed vnica consurgit sphæra multiplici varietate prædita: aqua tamen marium in extima superficie, quam modo cõsiderauit Aristoteles seruat aliqua ex parte perspicuam rotunditatem, at non ex omni; mox vero per superficiem intimam, per quam cum terra nectitur diminutissime est sphærica, vt etiam terra per superficiem extimam; nam intima caret, adeo vt colligam terram comparatis inuicem Elementis imperfectissime omnium esse sphæricam, quę diminutio prodit ex ea sola montes eleuante & ex sua conditione, quia est tanquam fex cæterorum Elementorum in fundo residens; & ex sua densitate minus apta a continente figurari: & demum ex distantia a Cœlo quæ diminutio Dei prouidentia parata est cum varios præbeat vsus: conducit enim pro constitutione mixtorum, pro ortu plantarum, pro varietate animalium, & demum pro ortu & conseruatione hominis, qui est finis proximus viuentium mortalium.

Vnde prodeat terræ inæqualitas. *Vtilitas.*

Reditus in Cœlum. At demum cum ex Cœlo in terram sim vagatus vt in Cœlũ redeam in eoque quiescam, colligo tam admirabilem esse eius conditionem vt sine pugna in eo illa refulgeant, quæ apud nos inuicem maxime pugnant: de eo enim dicere valemus quod nullum sit quattuor Elementorum, cum tamen simul virtute & eminentia sit omnia.

Insuper quod non viuat cum non nutriatur, & simul quod eminentissime viuat; tertio quod careat oppositione & contrario, cum tamen maxime omnium infinita contrarietate sit præditum, cum vnicuique eius puncto per diametrum punctum aliud opponatur.

Quarto motus eius est maximus extensione, minimus intensione velocitatis.

Quinto eius summa velocitas apparens in æquatore, cum summa tarditate prope polos apparente iuncta est.

Sexto motus Cœli est maxime consimilis & simul maxime dissimilis; similitudo refulget in reuolutione eiusdem circuli; dissimilitudo vero facta comparatione inter circulos varios.

Septimo maxime mouetur & simul maxime requiescit, cum nunquam sedem

dem

dem suã deferat: & demum cuncta continet & nil deserit extra se, cum tamen nil contineat & extra inueniatur Deus, qui mundo præest, & nullo clauditur termino; de quo solo vere dicitur, quod est omne quod est, cetera sunt vmbræ eius; cui soli honor & gloria; in eo itaque libentissime requiescamus.

Exposui contextus quos obscuriores & maioris momenti esse iudicaui, de cæteris de quibus agitur in postremis libris de Cœlo, tam exacte disserui in meis de Cœlo & de Mundo libris, vt superuacaneum iudicem in eis latius & diutius immorari.

Finem hunc imposui anno 1605. die 20. Mensis Septembris; ætatis autem meæ anno octuagesimoquinto, in meo Senensi nemoreo rure, nuncupato La casa al bosco.

Finis Libri Secundi.



AVREA

datur si detur terra, hæc autem datur, quia necesse est manere aliquid semper, si oportet aliquid semper moueri.



Connexio & intentio.

BSOLVTA in primo libro declaratione attinetium ad mundum totum, sibi proposuit Aristotiles in hoc secundo libro absoluere explicationem attinentium ad partem æthercam, quæ principalissima est, & declaratis primo differentijs positionis eius, quia eis maxime est affinis motus, & iam in declaratione earum differentiarum mentionem fecit de duplici motu Cęli, ideo iure statim considerandum occurrebat cur Cœlum non vno solo sed multiplici mouetur motu, & præsertim duplici.

Diuisio.

Diuiditur præsens Contex. in quattuor principes partes, in quarum prima manifestatur intentio, in secunda difficultas, in tertia ex primo principio in finem fit progressus; in quarta fit recursus, & ex fine elicitur ratio multitudinis motus Cœli.

Ordiens a prima, intentio est rationem indagare cur Cœlum non vno sed duplici vel pluribus motibus moueatur; ratio cur hoc quæratur est, quia orbicularis motus caret contrario; nam si contrario esset præditus, ratio esset conspicua, non enim in vniuerso reperitur vnum contrarium sine alio: addo insuper quod iure hoc quæritur, cum vnumquodque cæterorum simplicium corporũ vnico per naturam moueatur motu, (Quamuis de longe distantibus, &c.)

In hac secunda parte manifestatur difficultas propositi problematis, nam est de re valde distante, quæ distantia est duplex, vna loci, altera cognitionis: Cœlũ loco a nobis maxime distat; insuper maxime inter corpora distat cognitione, quia attinentium ad conditionem eius valde pauca cadunt sub sensum, omnis autem nostra cognitio ortum recipit a sensu, ac ita se excusat si exacte penitus difficultatem propositam non dissoluit. (Omne cuius est opus, est gratia operis, &cæt.

In hac tertia parte assignaturus causam orditur a primis & communibus inquiens, omne cuius est opus, est gratia operis, adeo vt quatenus est operans finis eius sit opus, cui maiori additur minor, quæ est, Dei, hoc est, diuinorum est opus, quare sunt gratia operis; opus autem eorum cum diuina sint & æterna est immortalitas hoc est, æternus motus & ob id Deus mouet semper & Cœlum semper mouetur, omnis autem motus exposcit firmum aliquod & immobile; & propterea in medio mobilium æterno motu in orbem reperiri debet immobile aliquid, hoc autem non potest esse portio aliqua Cœli: quod ostenditur duplici ratione; prima est, quia eius conditio est moueri semper in orbem non quiescere.

Altera ratio est, quia si per naturam quiesceret in medio, etiam per naturam ad medium tenderet, quod nefas est dicere, cum motus eius sit in orbem, & motu recto nec per naturam, nec præter naturam moueri possit, quare dicamus id corpus esse terram, vt fere ab omnibus conceditur, quæ cum detur etiam debet dari ignis & reliqua simplicia corpora media, quæ inuicem modo aliquo contraria sunt, quorum non datur vnum sine reliquo, & cum sint contraria, inuicem agunt patiuntur & mutuo permutantur; quod confirmatur, quia motus eorum rectus est & contrario præditus, qui æternus esse non potest: at nullum corpus valet esse ęternum, cuius motus non sit æternus, nam tale est subiectum, qualis est eius affectio. (Ex his itaque cõstat necessario dari generationem &c.)

Hæc est pars quarta in qua cum per antecedentia principia patefecisset necessitatem generationis, ex hoc inuento fine elicit rationem multiplicis motus Cęli; cum enim ex Cœlo mortalia pendeant, si datur generatio & varietas horum etiam ea debet reperiri in communi causa: nam per motum diurnum, qui

dicitur

dicitur motus totius, cuncta consimiliter mouerentur & se haberent, ac ob id non inuicem permutarentur, qua de re in libro de ortu & interitu, latius & cumulatius erit sermo.

Ex his autem quemodo dicta sunt hanc rationem elicimus; datur generatio, igitur datur ignis & media Elementa, hæc dantur cum detur terra, quæ datur cum pro æterno motu requiratur aliquid semper requiescens, vt in Calce huius libri, necnon in libro de motu animalium ostenditur.

ANNOTATIONES.



VARIA se offerunt explicatione egentia & notatu digna. *1. Considera tio.*

Considero primo, quod Aristoteles dubitat cur Cœlum non vno solo motu moueatur, qua de re verba facit nedum hoc in loco, verum insuper in 8. Phys. Cont. 53. in secundo de ortu & interitu 56. necnon in 12. Metaphysicæ 34. ex quibus locis varia ad rem facientia elici possunt.

Et cum orbium Cœli motus sint varij & distinctorũ Planetarum distincti; non quæritur modo, quot sint, & cur sint tot & non plures vel pauciores, sed confuse cur non vno sed pluribus moueatur motibus: & præsertim considerantur duo, quorum vnus est motus totius, & est motus diurnus ab ortu in occasum quo mouetur primo orbis supremus quem mox sequuntur alij: alter est motus partium ab occasu in ortum, competens Planetis, qui variorum Planetarum varius est. *Motus totius.* *Motus partium.*

Considero secundo, quod Aristo. inquit, hoc esse inquirendum, quia motui Cœli non competit contrarium: nam si contrarium competeret, hoc non esset inquirendum, quia ex vno contrario alterum infertur, vt de Elementis simulcem contrarijs hoc in loco fecit Aristoteles. Sed iure quærendum occurrit cur de contrarijs hoc facere liceat, non autem de non contrarijs, & præsertim cum mundus sit rerum vniuersitas, & in æternis esse & posse non distinguantur, vt legitur in 3. Phys. Contex. 32. *2. Considera tio.* *Dubitatio*

Pro solutione dico, tres posse considerari rerum conditiones, vna est contrariorum, altera est variorum specie attinentium ad vniuersi perfectionem; tertia est variorum neutro modo se habentium, quorum trium contraria maxime sunt pro eorum esse colligata, cum ratione subiecti, quia eadem est materia, quasi idem campus eorum: tum insuper ob contemperamentum eorum, ac etiam ob vniuersi perfectionem; hinc ex vno eorum perspicue infertur aliud: loquendo de secundo gradu, si esse poterit etiam reperitur per regulam relatam: at quia non ita sunt colligata non semper ex vno potest inferri aliud; vt euenit de contrarijs. *Solutio.*

Loquendo de tertio gradu, cum non sint colligata vt contraria, nec requirantur pro mundi perfectione, nec ex vno infertur aliud nec in vniuerso necessario reperiũtur veluti possimus imaginari motum aliquem tardiorem vel velociorem, vel plures Cœlorum motus, qui tamen non repetiuntur.

Considero tertio, quod Aristoteles ait, id cuius est opus est gratia operis ex quo patet quod constituit opus pro fine operantis, quod est dubium, quia finis est causa, opus autem non est causa operantis, sed res effecta: solutionem patefeci in 2. Physicorum loquens de causa in genere finis. *3. Considera tio.* *Dubitatio.*

Nam opus potest tribus modis considerari, vel vt est in facultate cognoscente operantis, vel vt est in intentione & appetitu eius, vel vt absolute seorsum reperitur productum; prima consideratione est efficiens, quia est forma operis mente concepta ad artificem pertinens apta producere opus ei simile. *Solutio.* *Opus tripliciter consideratur.*

Secunda

Secunda consideratione est finis, in quem tendit appetitus; tertia est opus effectum, latius hoc explicaui in 2. Physicorum.

4. Consideratio. Considero quarto quod Aristoteles ait, opus Dei esse immortalitatem, quæ est vita æterna, & ob id infert Deo competere motum æternum. Nomine Dei denotat omne diuinum & proprium Deum & Cęlum & congregatum, vt etiā Plato in Timeo Cęlum appellat Deum.

Opus Dei duplex. Opus Dei est duplex internum & externum, modo est sermo de externo, quod magis patet & per quod eleuamur in cognitionem interni.

Opus externum est motus, qui dicitur æternitas quatenus munere motoris diuini, hoc est, secreti a materia est particeps continuatæ æternitatis, per quem mox collocata sub Cęlo successione seruantur, qui motus æternus dicitur æterna vita, quia perinde se habet ad Cęlum ac vita ad viuentia mortalia; nam munerum vitæ Cęlo solum competit non nutritio nec sensus, sed latio; sic Cęlo nomine Dei denotato munere verioris Dei competit motus æternus.

5. Consideratio. Considero quinto quod Aristoteles ait, non totum Cęlum esse huiusmodi vt moueatur in orbem, denotans nomine Cęli mundum, & ait non totum ita moueri, quia pro latione in orbem necesse est aliquid in medio manere, idque est terra, vt latius in calce libri explicatur.

Quattuor immobilia. Pro notitia considerandum quattuor in vniuerso reperiri immobilia, Deus, centrum, poli, & mundus totus; ex immobilitate Dei pendet immobilitas cæterorum: ex quo patet immobilitatem esse origine priorem motu, & ex ea motum fluere. Ideo iure de Deo cecinit Boetius;

Stabilisque manens das cuncta moueri.

Quod motus omnis supponat quiescens patet inductione, de violento non est dubitatio; nam tractio est ad quiescens, pulsio a quiescēte: sic motus omnis animalium exposcit quiescens, cum fiat tractione & pulsione. Motus simplicium corporum sunt a medio, ad medium & circa medium quiescens; quies terræ in medio multiplicem prębet vtilitatem: est enim tanquam mensura motuum & est tanquam sinus constanter recipiens munera Cœli, per quæ fæcunda redditur & constituitur pia mater viuentium, & firmum eorum domicilium; non autem absolute eius quietem puto necessariam pro motu Cęli, adeo vt si per imaginationem in nihilum redigeretur, quod Cœlum moueri non posset: sat est enim immobilitas centri quod indiuiduum est, Aristoteles tamen id considerauit quod Dei prouidentia reperitur in mundo.

Omnis motus exposcit quiescens.

6. Consideratio. Considero sexto quod Aristoteles ait, nil præter naturam esse æternum, quia est posterius eo quod est secundum naturam, & recessus ab eo.

At non apparet vis huius rationis, nō enim quia aliquid sit posterius eo quod est secundum naturam videtur carere æternitate: propterea dico triplicem esse motuum conditionem, vel enim sunt supra naturam propriam & secundum naturam totius, vt motus ignis in orbem, vel sunt secundum naturam propriam partium; vel sunt infra & posteriores motu secundum naturam; duo prima genera motuum possunt esse æterna, cum sint naturæ consentanea, tertium nequaquam, quia est aliquid posterius, adeo vt sit recessus a natura, pugnet cum natura, remittat & eneruet naturam, nec fiat sine contrarietate; & cum hac conditione sit posterius, non valet esse æternum.

Triplex conditio motuū.

Motus violentus quomodo æternus. Motus violentus potest esse æternus genere, quatenus in mundo mortali semper reperitur motus aliquis violentus, at non numero.

7. Consideratio. Septimo loco considero, quod Aristoteles comparans ignem cum terra tanquam calidum cum frigido, calidum nuncupat affirmationem, frigidum negationem; & ait affirmationem esse priorem negatione, nam semper contrariorum vnum est tanquam forma, alterum tanquam priuatio, forma autē est prior priuatione, quia semper priuatio supponit formam & dicitur formæ priuatio & recessus a forma, non autem contra.

Similiter

Similiter negatio supponit affirmationem & est ea simplicior, non autem contra; hinc ait Aristoteles in libro de interpretatione quod oportet id ipsum negare negationem, quod affirmauit affirmatio.

Priuatio potest esse prior origine in eodem at non absolute, vt dicitur in nono Metaphysicæ de actu & potentia. Terræ dicitur contrarius & ignis & aer; ignis per grauitatem & leuitatem, vna cum calore & frigore: Aer vero per ambas qualitates alterantes, modo autem sumitur pro contrario ignis tanquam loco & motu maxime distans.

Octauo id considero quod principale est, nimirum causam, ob quam plures sunt motus & orbes Cœlorum: causa esse dicitur, vt detur & seruetur generatio mutua Elementorum & cæterorum ex eis quæ solo diurno motu non seruaretur; ex vno enim consimili non potest prodire varietas sed sola consimilitudo, permutatio autem Elementorum adinuicem dissimilitudinem & varietatem exposcit. *8. Consideratio.*

At duo præcipua emergunt dubia, primum est, quia Aristoteles pro fine motuum Cœli accipit generationem mortalium, quod videtur absurdum: quia finis dignitate præstat ordinatis in illum; mortalia autem sunt viliora Cœlo & generatio motu secundum locum. *1. Dubitatio.*

Altera dubitatio est, quia si per imaginationem Cœlum solo diurno motu moueretur constituenre diem & noctem, adhuc daretur ortus & interitus sublunarium, tum quia omnis motus vt motus includit varietatem propriam, tum insuper quia seruata contrarietate Elementorum & principiorum generationis & interitus etiam seruatur generatio & interitus.

Insuper est inquirendum an varietatis circumlationum alia causa valeat assignari.

De prima difficultate dico finem esse duplicem vnum proximum & perspicuum, alterum remotum & latentiorem, Aristoteles pro causa assignat finem Physicum proximum & nobis notiorem; nam deinde hæc mortalia vt in finem vltimum ordinantur in Cœlum & diuina, præterea mortalium finis proximus est homo, qui mentis est particeps & præstantior motu & corpore Cœli. *Solutio 1.*

De secũda difficultate dico, si Cœlũ vno solo motu moueretur, non daretur ordinata series permutationis mortalium cũ ordine & varietate quattuor temporum anni; hinc Aristoteles in libro de ortu & interitu ait solem per accessum ad nos tempore veris esse causam generationis, per recessum vero tempore autumni esse causam interitus: seruaretur itaque ortus & interitus at confuse tanquam in Chao. *Solutio 2.*

Tertio inquirendum proponebatur an alia causa assignari possit, qua de re dico, motum Cœli ad quinque posse referri; primo ad motores, secundo ad genus motuum, tertio ad orbes Cœlorum, quarto ad orbem totum; quinto ad Elementarem, cuius finis est homo: & ex singulis relationibus potest ratio elici; nam primo dum referuntur ad motores, cum illi sint plures & ordine distincti, etiam plures debent motus producere. *Motus Cœli ad quinque refertur.*

Insuper omnes referantur in Deum vt finem postremum, plures debent producere motus vt plenius & latius ei inseruiant, eiusque gloriam enarrent.

Dum secundo referuntur ad genus motuum, vt motus recti cum contrarietate sunt plures, ita orbiculares modo eminentiore & seorsum a contrarietate debent esse plures.

Tertio dum referuntur ad cœlestes orbes, quia orbes sunt plures & modo aliquo distincti, ideo tanquam partes variæ, varijs lationibus debent circumferri, vt etiam nobis varietatem orbium & motorum patefaciant; hinc Arist. in 12. Metaphysicæ tot ait esse motores Cœli, quot sunt eius orbes.

Insuper cum suo motu effundant vires suas in hũc mundum mortalem, multiplici motu multiplicem virtutem effundunt; insuper ex multiplici motu, varij prodeunt stellarum mutui aspectus, oppositiones, coniunctiones, ascensiones, & similia ab Astronomis obseruata, per quæ operantur modo vario, & sunt tanquam

Atlas. quam litteræ patefacientes futura per naturam euentura viris peritis notitia earum insignitis, qualem fuisse aiunt vetustissimum illum senem Atlantem, cuius liber dicebatur Cœlum, litteræ vero dispositiones stellarum.

Quarto dum celestes motus referuntur ad mundum totum, quia est vniuersum hoc est omnia in vnum versa, & summa multitudo cum summa vnitione, debet in ea motuum varietas reperiri, quæ conducit pro eius multiplici forma & ex qua consurgit harmonia; hinc cecinit Orpheus Cœlum esse Dei lyram, ad cuius sonum contenta sub eo exultant, choreasque ducunt.

Demum dum illi motus ad mortalem orbem referuntur, vt retulit Arist. sic sunt necessarij nisi pro rerum ortu absolute saltem (vt dicebat Alexander) pro ortu ordinato, & p varia anni tempora, tanquã per mensuras varias distributo.

Præterea si Cœlum solum moueretur ab ortu in occasum, cuncta fluerent in occasum, quorum modo consurgit contemperatio per motum oppositum: Constat itaque multiplici ratione debere Cœlum multiplici motu moueri; ex quo etiam conspicue patet eminentissima Dei prouidentia, distinctius approbanda in progressu in Contex. 56.

Cont. xxij. xxiij. & xxiiij.

Necesse est autem Cælo figuram sphæricam competere, hæc enim maxime propria est substantiæ, & natura prima est.

Loquamur primo de figuris vniuerse, quæ earum prima sit, cum planarum, tum solidarum; Omnis figura plana aut est rectilinea aut circularis: rectilinea pluribus lineis clauditur, circularis autem vnica.

Quoniam igitur in quouis genere natura prius est vnum multis & simplex composito, prima vtique planarum circularis erit.

Præterea si perfectum id est extra quod nil est accipere eorum, quæ eius sunt, vt prius determinatum est, & rectæ quidem semper licet aliquid addere, circulo autem nunquam, patet circulum esse perfectum: quare si perfefectum est prius imperfecto, circulus erit prima figurarum; similiter etiam sphæra solidarum, sola enim hæc vna superficie clauditur; rectilineæ autem pluribus: vt enim circulus se habet in genere planarum figurarum, ita sphæra in genere solidarum.

Insuper etiam illi qui resoluunt in plana & ex planis aiunt corpora gigni, huius testes esse videntur; nam solidarum solam sphæram non resoluunt, tanquam vnica superficie præditam, nam diuisio in plano non est sectio totius in partes, sed vt in specie distincta.

Patet itaque sphæricam esse primam figurarum; licet etiam ordine numerorum patefacere hoc esse rationi maxime consentaneum; nam circulo respondet vnum, triangulo dualitas, cum sit præditus angulis, duobus rectis æqualibus, nam si triangulo responderet vnum, circulus non esset figura.



VLTITVDINIS relata ratione motuum Cœli, intentio Philosophi modo est de eius figura verba facere; nam motus figuræ respondet, qua de re loquuturus primo patefacit intentionem suam; secundo comparatis inuicem solidis figuris ostendit sphæram esse primam earum, tertio manifestat eam competere Cœlo. *Intentio.* *Diuisio.*


Conclusio quæ ostendenda proponitur hæc est; necesse est Cœlo figuram sphæricam competere, quæ hac ratione ostenditur: ea figura quę prima est, primæque essentiæ propria, debet tribui Cœlo, figura sphærica est prima, primæque essentiæ propria, igitur tribuenda est Cœlo. *Conclusio ostendenda.*

Maior vt nota relinquitur; minor comparatis inuicem figuris, quattuor rationibus in secunda parte ostenditur, quarum hæc est, in omni rerum genere vnum & simplex est prius natura multitudine & composito; in genere figurarum planarum circulus est aliquid vnum & simplex, reliquæ figuræ includunt multitudinem & compositionem, quare est natura prior cæteris figuris. *Ratio 1.*

Secunda ratio hæc est; perfectum est natura prius imperfecto, circulus est ex genere perfectorum non autem vlla linearum rectarum, quare est natura prior figuris rectilineis. *Ratio 2.*

Maior profertur vt nota, minor ostenditur; nam id cui nil sui generis addi potest perfectum est, circulo nil sui generis addi potest, lineæ vero rectæ semper potest aliquid addi, circulus itaque perfectus est, rectilinearum autem figurarum nulla. Et similiter comparatis inuicem solidis, sola sphæra est perfectione prædita.

Tertio ostenditur circulum esse natura simpliciorem, authoritate Platonis, qui in Timeo sequens Pythagoram putantem solida componi ex planis, reliquas figuras resoluit in triangulos, & triangulum in scalenones; circulum autem non resoluit, cum vnica claudatur linea; nam solida rectilinea diuidunt in corpora trigona, hęc in triangulos quattuor, mox vnum quemque eorum in sex scalenones hunc in modum. *Ratio 3.*



At dicet aliquis etiam sphæra & circul diuidi possunt in suas partes, vt circulus in semicirculos & partes quartas: soluit Aristo. hanc tacitam obiectionem inquiens, nomine diuisionis modo non eam denotari quæ est totius in partes, sed tanquam in specie distincta, hoc est, in sua principia; & propterea rectius dicitur resolutio quam diuisio. *Instantia.* *Solutio.*

Demum additur ratio quarta sumpta ex ordine numerorum; nam id cui competit vnum est prius binario & alijs numeris, circulo competit vnum, quia vnica clauditur linea, triangulo primo figurarum rectilinearum competit binarium, nam constat ex tribus angulis æqualibus duobus rectis, circulus itaque est natura prior. *Ratio 4.*

Hæ duæ posttemæ rationes sunt confirmationes eius, quod in prima ratione dictum est, nimirum quod circulus sit simplex & vnum aliquid, nam prior ratio confirmat simplicitatem, hæc vero vnitatem.

ANNOTATIONES.

1. Consideratio.

Cur Arist. prius loquutus sit de motu quã de figura



CONSIDERO primo, quod cum Cœlo competat figura & motus, figura est origine prior & magis interna mobili, motus autem competit iam figurato mobili.

Aristotiles tamen prius est loquutus de motu, tũ quia est communior & magis proprius corpori Physico, tum insuper quia nobis est notior & nobis patefacit figuram.

2. Consideratio.

Cur figura sphærica sit natura prima.

Considero secundo, quod omnia viuẽtia & sola sunt prædita propria figura, inter simplicia corpora solum Cœlum viuit, ideo solum dicitur præditum propria figura, quæ modo quæritur, & figura sphærica dicitur natura prima & maxime propria substantiæ: quod sit natura prima ostenditur, quod autem sit substantiæ maxime propria ex eo patet, quia est prima; ita enim primæ & simplicissimæ substantiæ propria est.

3 Consideratio.

Considero tertio reperiri hæc tria, natura primum, simplicius & perfectius, quæ non reciprocantur, sed natura prius est communius, & dicitur de simpliciore & perfectiore: simplicius autem & perfectius frequenter secernuntur, veluti Elementa sunt simpliciora mixto, non autem perfectiora; hinc iure Aristotiles his tanquam medijs distinctis pro formandis distinctis rationibus est vsus; nam de circulo & sphæra vtrumque dicitur.

Natura primum duplici.

Et animaduertendum, quod in his quæ generantur consideratur duplex natura prius vnum productione, alterum intentione; sic puer est natura prior productione, vir est natura prior intentione.

Id quod est natura prius intenrione etiam est perfectius & magis proprie dicitur natura prius, quia natura finem & optimum quærit, alterum rectius dicitur prius generatione quam natura.

4. Consideratio.

Dubitatio.

Considero quarto, quod Aristotiles ait lineæ rectæ semper posse aliquid addi, & quauis ac quantauis excogitata linea recta valemus excogitare maiorem; at hoc in dubium vertitur ob diametrum mundi, cui nil potest addi, cum extra mundum nihil sit.

Solutio.

Soluitur dubitatio solutione Physica primo, mox Mathematica: Physica quidem, quia regulæ semper debent intelligi secundum se, linea recta vt recta, & ex se caret termino vltimo, & si eum habet, recipit ab alia, & diameter mundi a Cœlo; circulus autem ex se suo termino est præditus. Mathematice autem soluitur, quia linea recta caret termino & ei semper aliquid potest addi, dum consideratur consideratione Mathematica seorsum a materia, non autem vt iuncta corpori Physico.

5. Consideratio.

Triplex abstractio.

Quinto occurrit considerandum quod, vt ad rem facit, triplex est gradus abstractionis Physicus, Geometricus & Arithmeticus: Physicus abstrahit a singularibus & conditionibus indiuiduantibus considerando communia; Geometra abstrahit a matheria Physica, quæ est subiectum & substantia considerans quantum continuum & partes: Arithmeticus abstrahit a quanto continuo solum considerans discretum & partes: sic Physicus minus, Geometra magis Arithmeticus maxime abstrahit.

Hinc Pythagorei, quos sequitur Plato in Timeo, Physica resoluunt in Geometrica, & Geometrica in Arithmetica, & Physica præsertim per Geometrica, diuina per Arithmetica explicant, qđ quõ facere liceat in declaratione proœmij

de

de Cœlo & alibi patefeci: hoc indicare voluit Aristoteles in hoc contextu affirmans eos putasse corpora constare ex planis, & planas figuras resolui in numeros.

Considero sexto, quod Aristoteles ait, triangulo binarium respondere, at cōtra; nam de circulo loquens ei tribuit vnum ob lineam vnam, quare etiam in triangulo considerandæ essent lineæ, & non anguli, quæ sunt tres: respondeo in circulo non posse considerari angulos, quia eis caret, qui mox in triangulo considerari possunt & in sequentibus figuris, qui anguli intimiores & magis proprij sunt figuris rectilineis quam lineæ, & triangulo primo inter figuras rectilineas numerus primus, qui est binarius respondere debet, vt circulo tanquā principio figurarum vnitas; & quia semper figuræ debent in numeros resolui, si triangulo competeret vnum circulus non esset figura, quia prius vno nil est. 6. *Consideratio.*

Cont. XXVI. XXVII. XXVIII. xxix. xxx. xxxj. & xxxij.

Quoniam autem figura prima primo corpori congruit, corpus autem primum illud est, quod in extrema circumlatione est positum, sphæricum id corpus erit quod circumfertur, & similiter sphæricum erit id corpus, quod ei est continuum; nam continuum sphærico sphæricum est: similiter etiam reliqua corpora vsque ad medium; contenta enim a sphærico illudque tangentia necesse est vt sphærica sint, corpora autem infra Planetas posita, tangunt superam sphæram, quare sphærica erunt omnia, cum omnia mutuo se tangant, & sphæræ continua sint.

Præterea quoniam apparet & supponitur vniuersum in orbem ferri, & iam est ostensum, extra supremam circumlationem nec locum nec inane reperiri necesse est ob hoc etiam, id corpus sphæricum esse; Si enim esset rectilineum, eueniret quod extra & locus & inane reperiretur: nam rectilineum dum reuoluitur nunquam in eodem est interuallo, sed vbi prius erat corpus, mox non est, & vbi modo non est, mox erit ob permutationem angulorum eius; Similiter etiam si quauis alia figura id fiat, cuius lineæ a medio ductæ non sint æquales veluti figura lentis & oui, de omnibus enim euenit vt extra supremam lationem & locus & inane reperiatur quatenus totum non semper in eodem internallo reperitur.

Insuper si motuum mensura est latio Cœli, quia sola est continua regularis & æterna, vniuscuiusque autem mensura illud est quod est minimum, minimus autem motuum ille est, qui est velocissimum, quare motus Cœli velocissimus erit.

At vero eorum, quæ ab eodem sunt ad idem minima est circuli linea, per minimam autem motus fit velocissimus, quare si Cœlum fertur in orbem & velocissime necesse est sphæricum esse.

Cuius rei fides etiam ex his corporibus elici potest, quæ circa medium sunt collocata; nam si aqua ambit terram, aer aquam, ignis autem aerem &

superiora corpora eodem ordine sunt disposita: nam continua profecto non sunt tangunt tamen se; superficies aquæ sphærica est id autem quod continuum est sphærico aut circa sphæricum reuoluitur, & ipsum esse sphæricum necesse est, quare etiam ex hoc elicitur Cælum esse sphæricum.

At vero quod aquæ superficies sit talis, redditur notum supposito, quod sui natura apta sit fluere ad magis cauum; id autem est magis cauum, quod centro est propinquius: ducatur autem ex centro linea A. B. & linea A. C. & nectantur per lineam B. C. linea ducta ex centro ad basim nimirum A. D. minor erit primis duabus ex centro ductis, quare locus ille magis cauus est, & propterea aqua in eum fluet donec æquetur illis; quare linea A. E. æqualis erit illis ex centro ductis & nunquam quiescet aqua, donec illis æquetur, linea autem tangens æquales lineas ex centro ductas est circulus & figura sphærica, quare superficies aquæ erit B. E. C.

Ex his itaque patet mundum nedum esse sphæricum, sed etiam ea diligentia in orbem esse redactum, vt nil vel arte elaboratum vel aliud quod vis eorum quæ apud nos reperiuntur tale sit; nil enim horum ex illis constat, quæ tam exacte figuram sphæricam sint apta suscipere, vt natura cælestis corporis, patet autem recta ratione sibi respondere, vt queadmodum aqua se habet ad terram, & Elementorum ea quæ magis distant ad minus distantia.



Intentio. *Diuisio.*

EX mutua figurarum comparatione apparuit circulum & sphæram principem obtinere locum, quo ostenso intẽrio Arist. modo est ostendere mundum sphæricum esse, & vtitur quattuor rationibus, quarum numero diuiditur Contextus in quattuor partes, quarum prima hæc est, corpori primo ex figura competit, quæ prima est; sphærica est figura prima, & Cœlum est corpus primũ, quare figura sphærica Cœlo competit.

Ex quo elicitur, reliqua etiam simplicia corpora vsque ad terram sphærica esse; nam contenta a rotundo idque tãgentia necessario rotunda sunt, simplicia autem corpora mutuo se ambiunt & continent. (Prӕterea quoniam apparet & supponitur &c.)

Hæc est pars & ratio secunda, quæ ducit ad absurdum & ita formatur; Si Cęlum non esset sphæricum extra Cœlum & locus & inane reperiretur, at in primo libro est ostensum neutrum reperiri; est itaque sphæricum.

Deducitur consequutio, quia si sphæricum non esset extremarum partium eius, nõnullæ magis alijs a centro distarent, & propterea dum Cœlum reuolueretur, partes magis distantes vt in figuris rectilineis angulares desererent locum, in quo reperiũtur inanem, & alium prius inanem replerent, id ipsum eueniret de figura lentis & oui, cuius partes nonnullæ magis a centro distant.

(Insuper si motuum mensura est latio Cœli, &c.) Hæc est pars & ratio tertia, ita formanda; motus qui est mensura cæterorum debet esse minimus, motus Cęli est mensura cæterorum, igitur est minimus: motus minimus ille est qui est velocissimus, huiusmodi autem est motus in orbem competens sphæræ, quare Cœlum est sphæricum. Maior primi syllogismi patet ex definitione mensuræ, quæ est vt sit aliquid primum & minimum illius generis.

Quod Cęli motus sit mensura cæterorum ostenditur, quia solus est cõtinuus sine intermissione regularis, quia semper consimilis & æternus; sic per motum primum constituimus horas & partes eius ac insuper dies.


Quod

Quod motus minimus sit velocissimus patet, quia minimo tempore & citissime absoluitur. Quod autem motus in orbem sit velocissimus ostenditur, quia linearum ductarum ab eodem ad idem rotunda minima est, & propterea motus ille citius absoluitur, qui est in orbem, huiusmodi autem motus circulo & sphæræ congruit. (Cuius rei fides etiam ex his &c.)

Hæc est ratio quarta & postrema sumpta ex figura Elementorum & præsertim ex aqua & ita formatur; quattuor simplicia corpora sub luna contenta sunt sphærica, quare etiam Cœlum est sphæricum: consequutio ostenditur, quia cōtentum recipiens figuram a continente ea figura est præditum quæ ambienti competit.

Quod autem quattuor simplicia corpora sint sphærica, ostenditur de aqua assumendo conditionem eius sensu perspicuam hanc esse, vt semper & pro facultate fluat ad decliuia, & caua ex qua conditione infertur, quod sit sphærica; nam nisi esset sphærica, partium extremarum nonnullæ magis, aliæ minus distarent, minor autem distantia est cauitas ad quam æquandam magis distantes fluerent quousque æque distarent: linea autem, vel superficies æque distans a centro rotunda & sphærica est.

Pro quo patefaciendo formatur hæc figura ex se satis perspicua.



Centrum

Ex his quattuor rationibus Aristotiles colligit, Cœlum nedum esse rotundum, verum etiam quod exactius sit sphæricum quam aliud quod vis corpus apud nos vel arte vel natura formatum; cuius additi rationem affert ex conditione & natura corporis deprompta: nam essentia cœlestis corporis purior, simplior & præstantior, exactius figuræ sphæricæ esse capax.

ANNOTATIONES.



ERBA huius Contextus ex se satis perspicua sunt, in attinentibus tamen ad sententiam varia se offerunt cōsideranda, primum est, ex simplicibus corporibus solum Cœlum propria figura esse præditū, quattuor autem carent figura propria & figuram sphæricam recipiunt a Cœlo; ratio est; quia id solum est præditum vita, & iure debuit figura propria insigniri, cum terminus sit cæterorum corporum ea intra se claudens, ac ita se habens, vt figura eius debeat esse figura mundi totius: Plato tamen singulis simplicibus corporibus propriam quandam figurā tribuebat considerans vna cum Pythagora non terminos corporum sed naturam & proprias affectiones eorū, ac ita ob acumen igni tribuebat figuram pyramidis, terræ ob immobilitatem figuram cubam inceptam motui, & sic de cæteris, vt patet ex Timeo, qua de re alibi verba feci. *Cur inter simplicia solum Cælum sit figura prę ditum.*

Considero secundo, quod cum Cœlo ex se & primo competat figura prima ei competit exactissime, adeo vt nil apud nos reperiatur tam exacte sphæricum *2. Consideratio.*

vt est Cœlum: ratio ex multis elici potest, prima quæ ab Aristotile refertur sumitur ex conditione cœlestis corporis, quod est præstantius, simplicius & purius cæteris, & ob id exactius figuræ eius est capax, quæ omnium prima est & simplicissima.

Insuper tale est quoniam est immune ab ortu, interitu & contrarietate ex qua inconstantiæ, dissimilitudines & diminutiones ortum ducunt.

Alia ratio sumitur ex motore Cœli, a quo proxime pendet Cœlum & a quo vitam recipit.

Tertia ratio elici potest ex fine; ita enim corpus redditur magis aptum motui, & cum nulla in eius suprema facie sit varietas, semper sibi æqualem & consimilem locum occupat.

3. Consideratio. Considero tertio, quod iure etiam Cœlo & mundo congruit figura sphærica, nedum ob eius figuræ præstantiam, verum insuper quia mundus est imago sensilis insensilis Dei & filius eius: propterea debet pro facultate ei reddi similis.

Est Deus sphæra eminentissima ex eodem in idem rediens cum sit principium & finis; & dicitur sphæra cuius centrum est vbique, circumferentia nullibi cum termino careat.

Præterea debuit Cœlum esse præditum figura sphærica vt congruentius esset sedes Deorum sine vlla totius interualli permutatione, nam sphæra dum reuoluitur dicitur immobiliter moueri cum nunquam permutet & deserat locum suum.

Præterea dum refertur ad mortalem orbem congruit ei sphærica figura vt ea melius contineat & seruet; nam figura sphærica est omnium capacissima &, cum per sui reuolutionem æque semper a mortalibus distet, consimiliter ea seruat & perficit.

Insuper in sphæræ reuolutione eminenter & sine contrarietate includuntur varietates mortalium motuum; in ea enim refulget summa velocitas prope æquatorem, summa tarditas prope polos; & moderatio horum in circulis medijs, quæ sunt semina varietatis mortalium.

4. Consideratio. Considero quarto, quod Aristotiles ostendit Cœlum esse sphæricum ducendo ad hoc absurdum; quia extra Cœlum & inane & locus reperirentur ob distantiam non æqualem extremarum partium a centro earumque reuolutionem, ex qua ratione tres præsertim prodeunt difficultates, prima est, quia de figura lentis, collocatis polis in medio latitudinis eius, & de figura oui & columnæ & collocatis polis in terminis longitudinis hæc absurda minime sequuntur. *Triplex dubitatio.*

Altera dubitatio est de loco, quia non ob id daretur locus extra Cœlum, tum quia Cœlum nec loco eget, nec est in loco vt dicitur in quarto Physicorum, tum insuper quia locus est intima superficies corporis ambientis, quæ extra Cœlum non reperitur.

Tertia dubitatio est de inani; nam inane a statuentibus illud dicebatur interuallum, in quo non reperitur corpus, aptum tamen est reperiri: Aristotiles in quarto Physicorum hoc interuallum distinctum a corpore reijcit, adeo quod si per imaginationem mundus redigeretur in nihilum, non remaneret interuallum, sed nihil penitus. Similiter si descendentem lapidem sequitur aer, id non fit ne deferatur interuallum sine corpore, vt multi minus recte loquuntur, sed ob necessarium nexum corporum, & mutuam cõsequutionem extra quam nihil est nisi corpus eam ambiens.

Solutio 1. Hæ dubitationes mihi non videntur leues; ordiens autem a prima dico, iam esse ostensum Cœlum non vno sed multiplici motu moueri, propterea poli non in vna sed in varijs Cœli partibus reperiuntur; de figura oui & similium solum non sequerentur absurda si in vnica sola parte considerarentur.

Solutio 2. & 3. Præterea Cœlum ita ob eius perfectionem debet esse figuratum, vt in quauis eius parte constituantur poli, nunquam sequantur absurda.

De

De secunda difficultate,necnon de tertia dico, morem fuisse Aristotilis nonnunquam vti communi & populari opinione quamuis ipse secus sentiat, vt fecit de aspectibus in libro Meteororum; hoc seruauit Aristotiles in hac formanda ratione,popularis enim & valde communis opinio est, quod locus sit interuallum,quam opinionem etiam approbauit Philoponus, secundum quam popularem opinionem Aristotiles modo ducit ad absurda : per principia autem Aristotiles dicendum esset,quod vbi modo est aliquid, esset nihil, & vbi modo nihil est,reperiretur aliquid, quæ reciprocatio negligenda videtur & præsertim, quia nunquam apparet apud nos fieri.

Quinto loco pro attinentibus ad ostensionem aliam ex eo sumptam quod Cœli motus sit mensura cæterorum considero,quod Cœli motus dicitur minimus,quia est velocissimus; ostenditur autem illum esse velocissimum, quia eorum quæ sunt ab eodem ad idem minima est circuli linea, per minimam autem fit motus velocissimus: at ex hoc duo prodeunt dubia, primum est, quia Aristotiles secum pugnare videtur; nam in Contex. 59. dicet figuram sphæricam minime aptam esse motui. *5. Consideratio.* *Duplex dubitatio.*

Alterum est, quia perperam videtur Aristotiles circumscribere motum velociorem inquiens esse illum, qui fit per lineam minimam; non enim motus est velocior,quia per minorem lineam fiat, sed quia in eodem tempore per maiorem lineam vel per æqualem tempore breuiore.

Prima dubitatio facile soluitur,quia sphæra aptissima est pro motu in orbem & velocissimo, de quo modo est sermo; ineptissima autem est pro incessu & progressu, quo animalia mouentur cum careat instrumentis pro eo motu congruentibus de quo tunc erit sermo. *Solutio.*

Altera dubitatio est obscurior, soluitur tamen dicendo pro explicando motu velociore duplicem posse fieri comparationem, vnam supposita consimilitudine interualli per quod fit motus,& nunc explicatur vt dixi;alteram considerando varietatem figuræ, per quam fit motus & hanc considerat modo Philosophus, ideo id debuit considerare quod ad figuram mobilis pertinet, propterea recte dixit,motum per lineam breuissimam capaciorem cæteris ad eam pertinet esse velociorem,quia eam percurrendo plura percurrunt, dum est cæteris capacior qualis est figura rotunda.

At se offert considerandum quæ causa velocitatis motus in orbem afferri possit,qua de re dico rationem primam elici posse ex motore; nam mens a materia secreta est apta ita mouere, cum tanquam secreta in se intelligendo conuertatur : mens autem est potentior formis ex materia pendentibus. *6. Consideratio.*

Altera ratio est,quia figura sphærica est vndique simillima, adeo vt nil valeat sua dissimilitudine motum reddere tardiorem.

Tertia ratio est, quia sphæra dum reuoluitur non debet secare corpus intermedium motus resistens,vt euenit de motu recto, adeo vt solus hic motus fiat sine resistentia externa.

Quarta ratio elici potest ex conditione essentiæ corporis mobilis; nam Cœli essentia cui conuenit figura sphærica est purissima simplicissima & eminentissima,& ob id maxime apta velociter moueri.

Considero septimo loco,quod Aristotiles loquens de figura simplicium corporum primo ex eo,quia Cœlum est sphæricum assignat rationem figuræ sphæricæ Elementorum, nam Elementa figuram recipiunt a Cœlo,mox contra per effectum,hoc est per figuram Elementorum infert causam,hoc est figuram Cœli in re effecta refulgentem,& propterea hæc dicitur fides cum non sit per causam. Et accipiens vnum Elementorum ea figura circumscriptum non assumpsit terram, quia imperfectissime est sphærica, non aerem vel ignem, quia eorum figuræ nos latent ob distantiam a nobis, sed aquam nobis proximam perspicue fluentem ad decliuia & præditam extima superficie apptime consimili; & ostēsio qua vtitur Aristotiles est optima & perspicua:nōnulli id confirmant, quia guttæ aquæ vel super terram effusæ; vel in extremitate frondium pendentes *7. Consideratio.*

dem suā deserat: & demum cuncta continet & nil deserit extra se, cum tamen nil contineat & extra inueniatur Deus, qui mundo præest, & nullo clauditur termino; de quo solo vere dicitur, quod est omne quod est, cetera sunt vmbræ eius; cui soli honor & gloria; in eo itaque libentissime requiescamus.

Exposui contextus quos obscuriores & maioris momenti esse iudicaui, de cæteris de quibus agitur in postremis libris de Cœlo, tam exacte disserui in meis de Cœlo & de Mundo libris, vt superuacaneum iudicem in eis latius & diutius immorari.

Finem hunc imposui anno 1605. die 20. Mensis Septembris; ætatis autem meæ anno octuagesimoquinto, in meo Senensi nemoreo rure, nuncupato La casa al bosco.

Finis Libri Secundi.



AVREA

AVREA AVTHORIS DICTA DE CONTEMNENDA MORTE.

Solus mortem non sentit, qui nil sentit:
Moriatur itaque qui mortem sentire formidat.

Non est vita illa, quæ est cum dolore permixta sed mors viua; nam mors mortua dolorem omnem a se longe repellit.

Nil dulcius viuenti amaritudine, nil amarius dulcedine: hæc dissipat, illa congregat vires.

Non est pars mundi vir prauus; nam mundus est filius boni, cuius partes omnes bonæ sunt.

Non vidit mundum oculus immundus; sordem itaque omnem abstergat, qui mundum videre optat.

Non eleuatur in Cælum sarcina terrea; nec opacum est capax luminis; longe itaque a se fecem repellat, qui in Cælum aspirat.

Legitimum imperium hominis est legitima seruitus; seruiat itaque Principi mundi qui legitime cupit imperare mundo.

DE SEX HVMANÆ VITÆ, & mortis gradibus meditatio eiusdem.

Sex gradus vitæ & mortis.



NIVERSVS hominis cursus, eiusque conditio, dum interna animi acie accurate inspicitur, nil aliud esse iudicatur quam multiformis ordo colligataque series multiplicis vitæ & mortis, in qua sex gradus perspicue fulgent: *Gradus 1.* quorum primus Deoque coæuus ille est dum ante omnia secula eminente sapientia decretum fuit certis temporum momentis homines singulos creandos formandosque fore; *Gradus 2.* quem primum generationis gradum sequitur alter in quo ex corporum parentibus proximis in hanc lucem prodimus de quo legitur solem & hominem generare hominem, *Gradus 3.* in quo gradu animæ creatio, eiusque infusio refulget: cui succedit gradus tertius, *Gradus 4.* dum iam adulti, mentisque redditi cōpotes proprium aliquod vitæ genus libere seligimus, & decernimus vitam esse ducendam vel ciuilem, vel monasticam, vel sensibus, vel rationi cōsentaneam. *Gradus 5.* Gradus quartus ille censendus est, dum per accretionem eam corporis perfectionem fuerimus adepti, per quam valemus simile procreare, de quo legitur tunc vnumquodque esse perfectum, dum est aptum simile generare. *Gradus 6.* In quinto gradu collocatus est interitus corporis qui transitus in aliam vitam indicatur, quem demum sequitur gradus sextus omnium grauissimus accuratiusque præmedi-

meditandus per quem in libro vel vitæ æternæ, vel æternæ mortis dicimur scripti, acerrimo ac irreuocabili Dei iudicio patefaciendus. Gradus primus est prędefinitio, ac generatio diuina, alter naturæ, tertius liberæ hominis voluntatis, quartus perfectionis corporis, quintus necessitatis materiæ; sextus gloriæ, vel oppositi eius. Gradus tertius & postremus proprij sunt hominis, reliqui sunt ei communes & feris, & de his duobus hoc solum contingere potest, quod valet homo generare seipsum, non autem de vllo alio. Ex hactenus dictis hoc non sine insigni admiratione elicitur, quod cum homo solus collocatorum sub Cœlo immortalitatis sit particeps, magis tamen cæteris interitui & morti subijcitur.

Gradus proprij hominis & cõmunes.

Homo quomodo se generet.

Insuper hoc aliud refulget verissimam esse eam Platonis sententiam ab eo tamen in alia significatione prolatam, Philosophiam esse meditationem mortis, re vera enim ea nil aliud est nisi accurata meditatio relatorum sex graduum, qui dum ad vitiatos & deprauatos animos referuntur omnes dici merentur gradus mortis, contra vero dum referuntur ad animos probos, cuncti merentur dici gradus vitæ, cum in illis in mortem deterrimam, in his in saluberrimam vitalemque vitam desinant. Hinc iure illud enunciatum est, viro improbo nil boni, probo vero nil mali euenire posse. Ex quo luce clarius patere censeo, quam frugifera, humanoque generi salubris sit eorum graduum meditatio. Et propterea quicunque in hoc vitæ cursu sunt collocati alta mente atrinentia ad eos meditari tenentur, & illi præsertim qui ingenio sapientia, & prudentia magis fulgent, qui nedum suam sed aliorum quoque vitam verbo & exemplo dirigere & corrigere tenentur, sic mors reddetur mitior & vita longe vitalior.

Homo maxime mortalis.

Quõ Philosophia sit meditatio mortis.